




147
89



= Libros Antiguos =

F. Puvill

Batres 10. Barcelona-2. Tel. 227053



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

2 400 40

C. M^o de la For. N^o 521

128
300



= Libros Antiguos =

F. Puvill

Batres 10 · Barcelona-5 · Tel. 2217053



C. M^o de la Foy. N° 521

128
300



F-3-9

Adquirido con cargo a la consig.
nación de Historia de la Farmacia
Granada Abil 1968



A handwritten signature in blue ink, enclosed in a stylized oval. The signature reads "Joaquín Martínez".

R. 5.492 61 (59)

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

THERAPIAE P. P. O. FACVLT. MED. DECANI ACAD.
DECEMVIRI COLLEGIORVM MAI. PRINCIP. ET
BEAT. MAR. VIRG. COLLEGAE ACAD. REG. BORVS.
SCIENT. SODALIS

INSTITVTIONES
MEDICINAE
CLINICAE

PRAELECTIONIBVS
ACADEMICIS
ACCOMMODATAE.



EDITIO SECUNDA.

LIPSIAE

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
M DCC LXIX.

A 3 v. 4

CHRISTIANI CONSTITUTIO PRAE-
PARATIONIS A MOLITORIUM DECORA-
DECORUM CONSTITUTIONE MELIORIS ET
MELIORIS CONSTITUTIONE ALIUD DECORA-
SUSCEPTE ADOPATA.

INSTITUTIONES
MEDICTIONAE
CLINICAE
PRACTICAE
ACADEMICAE
ACCOMODATAE



COMMILITONIBVS AESTVMATISSIMIS S.



In arte salutari addiscenda aequaque, ac ipsam docendo et faciendo excolenda, triginta circiter annos consumsi. Primum decennium studiis theoreticis dicatum erat, quibus totum me dederam, et, cum insigni rerum contemplandarum varietate allectus, laborum suscipiendorum incommoda vix sentirem, nihil magis in votis habebam, quam ut vitae genus inuenirem, quod me in his disciplinis tractandis semper occupatum teneret, et a praxi clinica, taedii plena, remotissimum esset. Sed aliter res euenit: cum enim botanicam et anatomen docendo, me ad munus professoris in academia nostra, quo maxime vota mea spectabant, olim tuendum praepararem, non fieri poterat, quin simul in eorum, qui auxilium

PRAEFATIO.

meum expeterent, sanitate conseruanda et restauranda aliqua etiam laborum meorum pars ponenda esset.

Prima praxeos fundamenta tradiderat mihi SCHACHERVS, vir methodi medendi, iis temporibus accommodatae, peritis simus. Correxit me deinde WALTHERVS, vir perspicacissimus et a placitis clinicorum saepe felici audacia recedens, ratione quippe et experientia ductus. Consilia tandem PLATNERI mihi maxime profuerunt. Nam ut ipse veteres atque recentiores scriptores diligenter euoluebat, ita me ad simile studium saepius impellebat. Praeter veteres itaque ex Italis BAGLIVVM, ex Anglis SYDENHAMVM, ex Germanis FRID. HOFFMANNVM pae reliquis et semel iterumque peruestigauit. Aphoristica dictio BOERHAAVI mihi non aequa placebat, multasque potius dubitationes iniiciebat. Commentatorem eius III. VAN SWIETEN tardius accepi, non parum tamen ab eo eruditus fui.

Ad medicinam faciendam timidus accessi, aegros crebrius examinaui, historias morborum obseruatorum studiose conscripsi, et collectas inter se comparaui, quo in diagnosi et prognosi formanda exercitatio redderer. Paucis et lenioribus usus medicamentis, regimen diaeteticum et vietus praeci-

PRAEFATIO.

praecipue rationem magni semper feci. Saepius necessitate coactus ad efficaciora descendendi remedia, quae tamen non nisi a' viris in praxi versatissimis commendata, caute et post attentam effectuum obseruationem exhibui, in dosibus saepe nimis parcus, quas quidem certior factus non nunquam auxi, ita tamen, ut probe perpendarem, aegrum a medicinis fortioribus interdum quidem solatum recipere, saepius autem iisdem laedi.

In altero decennio, in quo amplissima aegrotos obseruandi mihi subnata fuit occasio, tempus meum ita dispensauit, ut theoreticis studiis quoque operam nauare pergerem: praeter botanicas enim et anatomicas scholas, materiam medicam et chemiam docendo colui; aliis horis physiologiam, pathologiam et therapiam generalem in collegiis priuatis tradidi, et insuper ex lectione praestantissimorum auctorum decerpsi, quicquid in incrementum cognitionis et in commodum auditorum conuerti posset. Cum vero res meae non permitterent, ut variis his disciplinis perficiendis tempus atque studium impenderem, et nouis inuentis inclarescerem, id potissimum curae cordique habui, ut cuncta apte digererem, et ad ultimum medicae artis finem dirigerem.

PRAEFATIO.

Interim theses, ad modo dicta argumenta pertinentes, ita conscripseram, et in lectionibus priuatis exponendis correxeram, ut institutionibus medicinae, in usum auditorum edendis, accommodatae essent, cum mihi in hoc instituto perficiendo aliqua mora iniecta est. Anno nimirum huius seculi quadragesimo octauo, et sub initium tertii decennii, disciplinae nostrae aemuli, post propositam a me generalem therapiam, specialem quoque sive praxin clinicam me duce pertractare cupiebant: missis itaque reliquis laboribus, primas lineas opusculi, quod nunc exhibeo, duxi, ad quarum normam lectiones meas proponerem.

Cum autem in omnibus his laboribus academicis digne perficiendis quotidiana lectio praestantissimorum auctorum, qui rem medicam scriptis illustrarunt, multum conferre posse perspicerem, neque tamen tantum otii mihi relinqueretur, ut huic lectioni solus sufficerem, haud parum in fine illo assequendo adiutus fui per eum laborem, quem cum sociis amantissimis in edendis commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis suscepi. In hoc enim periodico scripto, cuius continuatio haud interrupto ordine prodibit, omnia illa annotare solemus, quae recentiores medici

PRAEFATIO.

medici in arte salutari amplificanda praestiterunt, quae ideo publici iuris facta, et in mea et vestra commoda conuertere potui.

Adminiculis hisce verae eruditionis acquirendae dispositis, Vobiscum, amantissimi Commititones, communicaui physiologiam, et huic praemissam introductionem in uniuersam medicinam, pathologiam et therapiam generalem, tanquam disciplinas corpus quasi medicinae constituentes, in iisque per partes explicandis omne studium posui. Cum vero circa initium anni superioris paelectiones in institutiones praxeos clinicae, aliquoties iam per hoc decennium explicatas, iterum inchoandae esent, facile perspexi, eas multis opus habere emendationibus, quae nec commode paragraphis subiici, nec suis locis inseri possent. Omnem igitur tractationem iterum recognoui, non nulla accuratius definiui, alia passim addidi, et ita elaboratas schedas prelo subieci, ut eo commodius his uti possetis.

In ipsis autem institutionibus praxeos clinicae concinnandis principia doctrinae generalia ex theoreticis disciplinis hausi, uniuersum corpus affidentes morbos primum, deinde illos, qui ad singulas partes per-

PRAEFATIO.

tinent, explicaui. Cum autem facile inteligerem, eum tantum in facienda medicina feliciter posse versari, qui omnem medelam aegris ferendam ex therapiae generalis fontibus ducere valebat, in id semper animum direxi, ut speciales praxeos clinicae regulas therapiae generali accommodarem, eoque citius ab usitatis morborum medendorum viis recedere, et ad regiam quasi medendi viam duci queant Nostris. Breuiores et in individuali morborum consideratione saepe diligentius circumscribendas definitiones ita semper illustravi, ut progressum morborum historice describerem, causas et symptomata praecipua enarrarem, et ita ex signis inter se comparatis diagnosin et prognosin melius stabilirem. Omnes morbos in cathedra curari prouerbium est, ego vero difficultatem curationis, immo eius impossibilitatem saepius obuiam, semper ostendi, non ea mente, ut Vos ternerem, sed ut ipsi cognosceretis, non esse in medico semper, ut curetur aeger, nee Vos ad impossibilia in praxi adstrietos esse, sed methodo medendi non succedente, ea tantum attenda esse, quae aegro solatium afferrent.

Licet vero ea, quae in institutionibus his proponuntur, summaria tantum sint, in paelectionibus uberior explicanda,

PRAEFATIO.

da, aphoristica tamen breuitate uti non placuit, quo peculiares annotationes et variae in morbis cognoscendis et curandis utilles cautiones eo melius inferi possent.

Explicationem quidem positionum ad fabricam solidorum et mixtionem fluidorum laefas refero, hypothesibus tamen et preceario sumtis explicandi methodis non utor, sed specialem declarationem phaenomenis commemorandis trado, cunctaque, quantum fieri potest, exemplis idoneis et lectis illustro, quo idea morbi totiusque eius cursus clarior reddatur. Hinc morbi curandi limites, quantum humana diligentia fieri potest, figo, quae curandi ratio, licet imperfectior videatur, omni tamen iure hypotheticis medendi methodis praefenda est. In illa enim cum aliqua fiducia versamur, in hac vacillantes incedimus, et facile ad symptomaticas curationes deducimur. Curationem morborum non tantum per lenissima, sed, cum opus esset, per heroica quoque medicamenta praestare conatus fui: cautiones tamen ubique adieci, ne iuniores medici medicamentis validis, a multis adeo depraedicatis, abutentur. Omne medicamentum, quod corpus aegri ad sanitatem perducit, suo quoque modo laedit, neque conuenit aegrotum, ab uno periculo liberatum, in alterum prae-

PRAEFATIO.

cipitare; sanitas enim restituenda et in longos annos conseruanda est. Specifica medicamenta caute laudaui, et ubique ex indole interna, per chemiam declarata, di- iudicauit.

Adieci formulas medicamentorum, eas quidem, quibus praecipue in praxi usus sum; saepius vero monui, ne iis coeci inhaereretis, ideoque non raro easdem in praelctionibus mutauit, doses auxi, vel imminui, quaedam addidi, quae interdum usum habere possent, si uni vel alteri formulae adiicerentur. Pauciores forte dari potuissent: sed in his aliqua utilis est varietas; plures autem dare nolui, ne Vobis occasionem praeriperem, aut eas mutatas prescribendi, aut ex praestantissimorum medicorum scriptis alias adiiciendi. Ampliores interdum poscunt aegri, tales tamen ex materiae medicae, etiam selectae, apparatu ipsius concinnare poteritis; caueatis tamen, ne nimia medicamentorum copia aegros obruatis, nec quadrata rotundis miscendo ineptas formulas conscribatis, sed chemiae pharmaceuticae leges, relationem simplicium medicamentorum inter se, et bonitatis notas, quibus spuria medicamenta a veris distinguuntur, semper ponderetis et Vobis cognitas reddatis.

Per

PRAEFATIO.

Per hos itaque labores, quorum rationem breuiter Vobis exposui, viam simul monstravi, humanissimi Commititones, qua ad felicem et sine multo taedio faciendam praxin clinicam deductus fui. In hac enim re eam *avtagneias*, absit iactantia dicto, natus fui felicitatem, ut vitae genus, quod olim auersatus fui, nunc cum quolibet alio permutare nolim. Itaque si exemplum meum imitari velitis, haec omnino Vobis commendata habeatis. Ad audiendas praelectiones nostras, velim, praeparati accedatis, et eam doctrinae partem, quam explicaturus sum, animo Vestro ante peruvoluatis, quo commentationes meas rectius audiatis et, quae in definitionibus et historica morborum descriptione, circa causas praecipue et effectus, signaque exinde petenda pree reliquis inculco, felicius percepta teneatis, ita, ut ea repetere et prorsus Vestra reddere queatis. In addiscendis enim his praxeos fundamentis necesse omnino est, ut mihi credatis, nec nimium dubitetis, ne dubii et vacillantes ex scholis nostris recedatis, sed cum aliqua fiducia in institutione preeceptoris artis principiis obediatis. Ne tamen solum meis positionibus inhaereatis, sed simul assidua lectione optimorum scriptorum, in primis eorum, quos Vobis passim commendaui, scientiam Vestram augeatis. Cum etiam optimorum remediorum cognitio non accurata

PRAEFATIO.

te satis excoli possit, ex scriptoribus materiae medicae, chemiae et pharmaciae sedulo conquiratis, quae de mixtione, indole et bonitate simplicium medicamentorum tradita sunt, quo efficacia quidem, sed et grata, quantum fieri potest, medicamenta componere discatis.

Animo sic præparato quando ipsi morbos dijudicare et curare suscipietes, dupli labore Vestram cognitionem magis perficere poteritis. Consignetis nimurum omnes historias morborum, quorum decursus a Vobis obseruari poterit, accurate et succincte, mutationes attendatis, causas inuestigatis, symptomatum siue effectuum nexus perpendatis, quo, quicquid ipsi vel apte, vel segnius, vel festinantius perfeceritis, cognoscatis. Medicum enim, ne iuniorem quidem, non decet experimenta per mortes agere; sed is demum curationibus morborum praestandis aptus est, qui in ipso morborum progressu se corrigeret, et naturae vias persequi potest. Hoc labore suscepto, ad alterum quoque, scilicet ad electionem praestantissimorum scriptorum rite præparati eritis. In his verae doctrinæ practicae fontibus plura discere, methodum mendendi confirmare, errores corrigere, et ita ad veram medici perfectionem peruenire poteritis. Hisce laboribus exercitati ad genuinam medici libertatem adspiretis, qui omnia ponderat, optima feligit et nullius in verba iurat;

P R A E F A T I O.

jurat; non enim coeca aliqua ratione vel aliorum, vel mei sectatores, esse decet, sed ipse met iudicio exquisito praecepta artis ad usum ducenda ponderetis, ut quocunque modo res aegri cesserint, Vestra culpa illum non periisse persuasi sitis.

Multa quidem et in medicina addiscenda et facienda occurrunt dubia; ipse dissensus celeberrimorum medicorum exercitatisimos saepe confundit; has dissensus causas in exercitiis disputatoriis et examinatoriis excutere soleo, quo sciatis, quo modo in rebus difficultioris momenti Vos extricare et veram mendendi viam inuenire debeatis. Neque in posterum auditores meos alio, eoque perquam utili, labore adiuuare intermittam: aduersariorum enim medico-practicorum editionem molior, quae, si DEVS vitam et animi corporisque vires concesserit, ex commercio litterario, quod mihi cum praestantissimis non nullis practicis intercedit, eruere et publici juris facere tentabo. Licet enim vitae meae genus nimis negotiosum otio litterario parum faueat, tamen, cum et in docenda et facienda medicina semper occupatus sim, et illae horae, quas Vestrae institutioni et curae aegrotorum impendo, materiam subministrabunt huic instituto aptissimam, in primis cum inter amicos, in medicina facienda occupatos, tales

PRAEFATIO.

les inuenerim, qui meos conatus opera sua conferenda sustentare possint.

Institutiones has praxeos clinicae Vobis quidem potissimum, Auditores optimi, dicatas esse volo; quodsi tamen eas exercitatiores practici euoluere haud deditamentur, gratum mihi praestabunt beneficium, si monitis suis me ad correctionem excitent: non enim mihi nimis placebo, nec is sum, qui ab opinione suscepta non discedere possum, sed ipse profiteor varias ex positionibus meis elegantius explicari, alias ulterius confirmari posse; quacunque igitur ratione honesta in me et aliis erudiendis utantur, ea mihi erit gratissima. Vos vero, Commilitones, qui me ad has institutiones proferendas studio Vestro impulisti, me porro ametis et arduam hanc et summe necessariam medicinae partem perenni studio excolatis. Dedi Lipsiae d. 15 Aprilis A. O. R. cIc Iccc LVIII.



PROLEGOMENA.

§. 1.

Qui corpus humanum sanum ex physiologia cognouit, diaetae regulas examinavit, aegrotum hominis statum, ex caussis et symptomatibus dijudicandum, in pathologia considerauit, in materia medica et pharmacia selectorum remediorum indolem et praeparationem disquisiuit, et in therapia generali varias medendi vias peruestigauit, is omnem medicinam theoreticam didicit, et ad hanc normam quoque practicam exercere potest.

§. 2.

Quem ad modum vero exercitatio atque usus ad omnem faciendam artem multum valet, sic et theoretica artis salutaris pertractatio vix sufficit, nisi omnia medicinae praecepta ad praxin transferantur. In theoreticis enim scholis cuncta, quae proponenda sunt, eo ordine considerantur, ut ex physiologia pa-

A

tholo-

thologiae, ex his binis therapiae generalis paecepta deducantur et stabiliantur *. In praxi autem constitutus medicus ex omnibus his disciplinis conclusiones quasdam sparsas colligit easque ad quaestiones varias resoluendas et declarandas applicat.

* Nuper iam in usus paelectionum academicarum introductionem in uniuersam medicinam, physiologiam, pathologiam et therapiam generalem delineauimus: has igitur disciplinas, institutionum theoreticarum medicinae titulo comprehendendas, cum seriem paragraphorum in iis retinuerimus, nunc allegare possumus, dum paecepta medicinae practicae clinicae tradere suscipimus. Hos autem paragraphs a reliquis, in hac tractatione citandis, parenthesi inclusos distinguimus.

§. 3.

Medicinam practicam in clinicam, chirurgicam, forensem et casuisticam siue consultatoriam distinximus (§. 46. 96. seqq.) prout nimiriun vel ad morbos tantum internos respicimus, vel externis et medicamentis et aliis auxiliis, manu potissimum, medemur, vel casus dubios in foro occurrentes dijudicamus, vel casus varios difficiliores et rariores ex tribus partibus medicinae practicae nunc recensitis examinamus. Nunc vero paecepit ad praxin clinicam seu therapiam specialem sic dictam animum tantum aduentimus.

* Licet chirurgiae paecepta in his praxeos clinicae institutionibus tangere nolimus, varia tamen passim inferenda sunt, quae ad eamdem faciunt, et a medico clinico, chirurgum consiliis iuuante, attendi merebentur.

§. 4.

Experientia enim docet, plurimos morbos vulgares in diuersis hominibus saepius sub iisdem circum-

cumstantiis occurrere; hinc rei exigit necessitas, ut is, qui ad medicinam faciendam se accingit, hos morbos saepius obuios ex fundamentis praecedentibus cognoscere, dijudicare et curare discat, quo, animo sic praeparato, simili modo et in ignotos et rarius occurrentes morbos inquirere iisque mederi queat.

§. 5.

In therapia speciali seu praxi clinica exponenda cuiuslibet morbi definitio et, quae huic explicandae inferuit, breuis historia praemittatur: caussae occasio- nales et praedisponentes post ea in ordinem redigan- tur: effectus siue symptomata ex his deducantur et ex signis suis declarantur: diagnosis porro siue praesen- tis morbi accurata determinatio et prognosis siue fu- turus eius euentus definiatur: deinde methodus me- dendi et uniuersalis ex therapia generali petita, et spe- cialis per varias obseruationes ad haec vel illa subie- eta accommodata, proponatur, additis tandem, si rei necessitas id exigit, cautelis practicis methodum me- dendi illustrantibus.

§. 6.

Nemo ad prixin clinicam addiscendam et exer- cendam animum applicare potest, nisi in omnibus theoreticis medicinae disciplinis §. 1. satis versatus sit. Dispositiones enim corporis morbosae et actiones lae- sae non nisi ex comparatione cum functionibus natu- rae conuenientibus et consuetis mutationibus corpo- ris fani deteguntur, nec facile corriguntur, nisi apta et exquisita auxilia feligantur et, ut decet, applicentur.

§. 7.

Auxilia, quae medici aegrotis ferunt, ex triplici. fonte, scilicet ex diaetetico, pharmaceutico et chirur-

gico petuntur: vel enim vi^tus bene obseruata ratio et omnium rerum non naturalium dictarum accuratius regimen, uti sanitatem tuetur, sic morbum quoque abigit; vel medicamenta externe et interne applicata fluidas et solidas partes suo modo mutant; vel remedia externe tantum et manu dextre applicanda variis morbis et externis et internis simul medentur.

§. 8.

Quilibet vero in medicina facienda optime versabitur, si post morbum accurate cognitum indicationes therapiae generalis examinat, vitalem p^{re} reliquis perpendit, caussalem non negligit; curatoriam post modum iudicio certo ponderat, et tandem, si symptomata urgent, palliatuam simul in auxilium vocat; sic enim cognoscet, num uni tantum, an pluribus indicationibus, et quibusnam praecipue, satis facere possit? ideoque et ad indicata p^{ro}sa facile inuenienda ducetur: numquam vero medicamentum suadeat, nisi accurate cognoverit, cui potissimum indicationi illud respondeat.

§. 9.

In examine itaque aegri suscipiendo medicus quidem ad symptomata siue actiones laefas respiciat, ab iis tamen ad indicationes illico ducendus non est, sed potius post statum aegri cognitionem ad caussas regrediatur et, signis rite perpenfis caussaque proxima inuenta, de auxiliis demum aegro corpori applicandis vel ingerendis cogiter. Non enim semper primo examine ad hanc cognitionem accedit, sed interdum, potissimum in morbis chronicis, hypotheticis indicationibus praemissis, per iuvantia et nocentia ad veram morbi indolem eiusque medelam peruenire solet.

§. 10.

In examine symptomatum suscipiendo, non vagis aegri et adstantium querelis commoueatur atque perturbetur, sed iusto ordine in eodem progrediatur. Primum itaque ad pulsum et respirationem, tamquam actiones vitales respiciat; post ea in actionum animalium, sensus et motus vigoreim inquirat, somniique rationem habeat: tandem actiones naturales in adsumendis et immutandis alimentis reliquisque eorum mutationibus continuatis, in primis in se- et excretionibus, attendat; quibus omnibus rite peruestigatis de statu aegri certior factus, vim vitae et morbi dignoscere, inter se comparare, indicationes aptas formare valet.

§. 11.

Sunt et alia, quae medicus in facienda medicina attendere tenetur, v. c. differentiae aegrotorum ratione aetatis, sexus, temperamenti, vitae generis; coeli et tempestatum mutationes tum uniuersales, tum partiales cet. quae vero et alia cum ita compara- rata sint, ut passim in ipsa praxeos tractatione proponi et dissentibus inoculari queant, in prolegomenis his merito negliguntur. Tria tamen monita generalia omnibus iis, qui medicinam practicam discere et exercere suscipiunt, nunc proponenda sunt.

§. 12.

Medicus nec nimis credulus fit, nec arti et medicamentis nimium tribuat, sed omnes caussas in corpore agentes sollicite examinet. Idem in indicacionibus hypotheticis feligendis caute versetur, nec in iis acquiescat, sed, quando his insistit, in fallaci via se versari perpendat. Nec in medendo semper dubitet, nec artem, quam exercet, ipse contemnat, et na-

turae et casui fortuito omnia tribuat, sed probe fibi habeat persuasum, artis in tollendis morbis haud spernendam esse efficaciam.

§. 13.

De ordine capitum in tractatione nostra nunc ineunda solliciti, talem eligendum esse putauimus, qui connexas doctrinas uno quasi intuitu nobis sistat. Hinc distinctione morborum in uniuersales et particulares praemissa, in illis morbos systematis sanguinei, scilicet febres, inflammations et haemorrhagias, fero - lymphatici et neruosi disquirimus; in his autem varias affectiones morbosas in organis et visceribus, in tribus corporis cavitatibus collocatis, apprehendendas subiungimus.

§. 14.

Selectum hunc et naturae corporis animalis conuenientem ordinem in sequenti tractatione semper seruauimus; interdum tamen ita ab eo recessum, ut dispersas doctrinas ex aliis capitibus ad unum referremus; si nempe cauilarum, symptomatum et signorum conuenientia id exigere vila fuerit, v. c. Anginam inflammatioram, ut principem speciem, sub inflammatiis morbis examinauimus, ferosam tamen aliasque species ob doctrinae analogiam illi subiunxi mus. Sic quoque de fluxu menstrui nimio in haemorrhagiis egimus, et in eodem capite omnem dispositionem morbosam, a menstruis pendentem, simul pertractauimus.

§. 15.

Ab hoc tramite nos facile deducere potuisset eruditia praxeos tractatio, quam Cl. IOANNES DE

GOR-

GORTER delineauit*, qui nimirum omnes affectiones morbos generaliter cum signis et auxiliis disposuit, et formulas medicamentorum alio in libro proposuit**; Quem etiam omnino sequuti fuimus, nisi experientia edocti perspexissimus, diffusam hanc idearum propositionem et therapiae generali respondentem, a medico praxin docente ita cogendam esse, ut id, quod in multis morbis simul euenire solet, ad normam quasi morborum individualium tractetur, sub qua specie morbi tironibus medicis occurrere solent. Quicumque autem in praxi exercitatus est, is, neglecta therapia speciali, generalem tantum sequi potest.

* Praxis medicae Systema, Tom. I. et II. Harderouici 1750. 8ua.

** Formulae medicinales cum indice virium medicamentorum. Harderouici. (1753.) 8.

§. 16.

Exhibeamus itaque morbos a nobis in hac pragi clinica tradendos sequenti in tabula.

I. Vniuersales.

I. Systematis sanguinei.

A. Febres.

1. intermittentes.

a. tertiana.

b. quartana.

c. quotidiana.

d. duplicatae.

2. continuae remittentes.

a. catarrhalis benigna.

b. catarrhalis maligna.

c. petechialis.

d. pestis.

e. scarlatina, cet.

f. morbilli.

g. variolae.

h. purpura.

3. continentes.

4. lentae.

B. Inflammationes.

1. phrenitis et paraphrenitis.

2. angina.

3. pleuritis et peripneumonia.

4. hepatitis.

5. ventriculi et intestinorum inflammatio.

6. nephritis.

C. Haemorrhagiae.

1. narium haemorrhagia.

2. haemoptysis.

3. vomitus cruentus.

4. menstruorum vitia.

5. haemorrhoides.

6. mictus cruentus.

7. varices.

II. Systematis seroso-lymphatici.

1. cacochymia et cachexia.

2. hydrops.

3. scorbutus.

4. scabies.

5. lues venerea.

6. malum hypochondriacum.

7. atrophia et tabes.

8. rheumatismus.

9. arthritis.

III. Systematis neruosi.

1. vertigo et morbi soporosi.
2. apoplexia.
3. paralysis.
4. conuulsio.
5. epilepsia.
6. lipothymia et syncope.
7. melancholia et mania.

II. Particulares.

I. Morbi capitis.

1. cephalgia.
2. coryza et grauedo.
3. oculorum morbi.
4. aurium morbi.
5. faucium et oris morbi.

II. Morbi pectoris.

1. tussis et raucedo.
2. asthma.
3. vomica pulmonum et empyema.
4. phthisis.
5. palpitatio cordis.
6. polypus cordis.

III. Morbi abdominis.

1. appetitus depravatio.
2. deglutitio laesa.
3. digestio laesa.
4. ardor ventriculi et fames morbosæ.
5. nausea et vomitus.
6. infarctus hepatis et lienis.
7. icterus.
8. fluxus hepaticus.
9. cholera.

10. lienteria et coeliaca passio.
11. diarrhoea.
12. dysenteria.
13. colica.
14. alui obstructio et ileus morbus.
15. tympanitis.
16. vermes.
17. dysuria, ischuria et calculus.
18. diabetes.
19. incontinentia urinae.
20. satyriasis et priapismus.
21. gonorrhoea.
22. fluor albus.
23. malum hystericum.

IV. Appendix.

1. morbi grauidarum.
2. morbi puerarum.
3. morbi infantum.



PRAXEOS CLINICAE
PARS I.
MORBI VNIVERSALES.

§. 17.

Ad morbos uniuersales illos referimus, qui vel simul totum corpus afficiunt et vere tales sunt, ut febres et cacochymia; vel si in una aut altera parte haerent, mutationes tamen uniuersales producunt, ut inflammatio, conuulsio; vel si diuersis temporibus varias partes afficiunt, ex uniuersalibus tamen causis pendent, per generalia symptomata se exserunt et similem medendi methodum requirunt. Particulares suo tempore pro differentia partium corporis humani distribuendi sunt.

§. 18.

Sanguis per arterias venasque fluens, continuati riuuli seroso-lymphatici ad minima secretoria et nutrientia vasa deriuati, nerueum fluidum ex cerebro oriundum et per corpus distributum, uniuersalia certe sunt flumina, quae ut in fano statu corpus conservant, et solida mutant, sic in morboſo statu contrarium quoque effectum edunt; hinc morbos etiam uniuersales pro differentia systematis sanguinei, seroso-lymphatici et neruei disponere placuit. Licet enim functionum uniuersalium nexus haec systemata ad actiones coniunctas disponat, unumque eorum in alterum tum in fano, tum in morboſo statu agat, id coque v. c. in febre spasmus, in spasmo febris occurrat, mutationem tamen principem a particularibus distinguere et medelam subiectere poterimus.

TRA-

TRACTATIO I.
MORBI SYSTEMATIS SANGVINEI.

§. 19.

Si sanguinem purpureum in vasis suis motum consideramus, ad quantitatem et qualitatem eius respiciendum esse pathologia nos docuit. (§. 933.) Primarii igitur morbi in massa sanguinis obuii et plethoram nobis fistunt et cacochymiam, de quibus primo loco agendum esset. Cum vero plethorae differentias, (in §. 936. seqq.) et eandem ut cauflam praedisponentem consideratain (in §. 1053. seqq.), et curationem (§. 1412. seqq.) in cauflali indicatione disquisuerimus; porro cacochymiam simili modo passim in Institutionibus medicinae theoreticae inuestigauerimus, eamque in hac tractatione potissimum ad systema seroso-lymphaticum retulerimus, nunc in primis ad sanguinis per vasa ducti motum vel nimis auctum, vel impeditum, vel eius denique effusionem respicimus.

§. 20.

Tria igitur in primis capita primam hanc tractationem aboluunt: 1) Febres, quae circulationem sanguinis vario modo auctam et mutatam exhibent; 2) Inflammationes, quae stases sanguinis in minimis arteriis fistunt; 3) Haemorrhagiae, quae sanguinis rubicundi euacuationem per vasa erupta vel dilatata ostendunt. Quoniam etiam inflammationes semper, haemorrhagiae saepius cum febre sunt, de hac primo loco differendum esse censemus.

CAPVT

C A P V T I.

F E B R E S.

§. 21.

Si horror et paullo post calor cum languore aegrum ingrediuntur, tunc is febricitare seu febre laborare dicitur. Magis tamen hic morbus conspicuus fit, si cum his, capitis dolor, sitis, anxietas praecordiorum et alia symptomata grauiora coniuncta sunt. Medici autem tunc demum de febris praesentia certi sunt, quando pulsus celeriorem percipiunt; in hoc enim signum febris pathognomonicum ponunt. (§. 1207.)

§. 22.

Quoniam vero motus corporis vehemens, aer aestuans, potus spirituofus, et alia, quae solidas et fluidas corporis partes exagitant, saepius quoque sine caufa morbosa pulsus celeriorem reddunt, aut in omni tali casu febris adsumenda, aut cum ea restrictione concedenda est: si nimirum hae mutationes ex caufis internis pendent, aut si cum pulsu celeriori et languor totius corporis, et quod saepc fit, sitis et dolor capitis coniuncta sunt.

§. 23.

Febris itaque licet frequentissimus morbus fit, difficulter tamen eius definitio exhibetur; cum et illa, quae a signo pathognomonic solo desumitur, et illa, cui quaedam symptomata adduntur §. 21. ideam rei non satis exprimunt. Nimia certe est varietas in accessu, progressu, statu et declinatione febrilium mutationum, ratione subiectorum, cauſarum et symptomatum, quam quae apte et paucis verbis

verbis describi queat. Exhibeamus igitur potius definitionis loco descriptionem paullo ampliorem, quae ulteriori explicationi ansam praebet, et febris natu-
ram sub vario statu declarat.

§. 24.

Quando corpus humanum vel leuiter cohorre-
scit, vel maiori horrore et frigore, rarius animi deli-
quio vel somnolentia corripitur, et paullo post calor
et ratione impetus, et ratione temporis, plus minus
ingens, cum anxietate quadam et in primis languore,
siti et siccitate oris, nec non dolore capitis aliisque
molestiis afficitur, tunc febre corripi hominem di-
cere possumus §. 21. Haec quidem symptomatum
accessio non semper unica est, nec unicum tantum
paroxysmum febrilem sifit; saepe enim motibus his-
vel prorsus, vel ex parte cessantibus, noua similis-
que priori series symptomatum oritur, et ideam de-
cursus morbi febrilis exhibet.

§. 25.

Insignis igitur febrium differentia est, quam
omnino sigillatim perpendere tenemur. Cum vero
omnes febris varietates in compendio tradere ne-
queamus, generalem aliquam tractationem praemittimus,
in qua symptomata primaria describimus,
causas ponderamus, medendi vias uniuersales exhi-
bemus et ita normam febrium diiudicandarum et cu-
randarum uniuersalem tradimus, ex qua species va-
riæ a nobis considerandæ diiudicari possunt *.

* In pathologia et therapia generali tradenda funda-
menta quidem huius doctrinae passim exhibuimus;
cum autem febrium consideratio in praxi clinica adeo
necessaria sit, non incongruum fore arbitramur, si
sparsa in unam tractationem colligamus.

§. 26.

Horror febrilis in principio adest, et transitum humorum per vasa minima retardatum ostendit, inde vero pallor toti corpori, in primis labiis et extremitatibus, inducitur. Quando nimurum ex caussa viscida, vel ex alio coagulo, humores per vasa minima lentius progrediuntur, parietes vasorum quodam modo cedunt, et initium quasi stagnationis efficitur: Eo ipso autem momento vitalis nervorum motus vasa distenta stringit et vel breui tempore circulum liberorem restituit, aut per huncce excitatum spasmodum, totum corpus concutit et verum frigus sistit.

§. 27.

Hinc itaque cognoscimus, cur minor interdum et vix obseruandus rigor vel horripilatio accedit? cur vero saepius diu durans et cum pandiculatione et oscitatione coniunctum frigus membra concutiat? cur in debilioribus plerumque leuis horror, in validioribus magnum occurrat frigus? cur lassitudo corporis totius, capitis potissimum et ad spinam dorsi extensus dolor, horrorem praecedat et non numquam concomitetur? cur venoso sanguine stagnante, frigus extremorum potissimum et color coeruleus sub unguibus in primis obseruetur.

§. 28.

Aestus siue calor febrilis oritur, si cordis vis resistentias, in extremis vasorum sanguiferorum oriundas, scilicet humorum ad stagnationem proclivitatem et spasmodum superare annititur, eoque ipso violentiorem globulorum sanguineorum attritum tum in se inuicem, tum in vasa efficit. Hoc ipso attritu humoris coacti et in minimis vasculis haerentes resoluuntur,

tur, liberius fluunt et per colatoria fecernendi trans-eunt, tandemque aestus se remittit et cessat.

§. 29.

Calor itaque necessarius est: Sine eo enim materia morbi non immutatur, sed vel stasis uniuersalis redditia motus vitales sufflaminat, vel materia morbi, nec mota, nec correcta, optimis corporis succis remixta, in propriam ruit corruptionem. Si vero attritus nimium intenditur, non moderati resolutorii, sed destructorii sequuntur effectus, qui vel universalem inflammatoriam diathesin, vel putridum statum inducunt. Hinc calor moderatus horrorem discutit et morbum soluit; si vero sub intenso calore horripilatio et frigus accedit, tunc ut plurimum mali ominis et superuenientis gangraenae signum est, in primis si exteriora frigent, interiora vero calent.

§. 30.

Sitis oritur, si circulus sanguinis per minima vasa, colatoriis proxima, difficilior redditur vel prorsus impeditur, et eodem modo, quo transitum per alia colatoria difficilem, immo impossibilem efficit, eundem per vasa quoque sanguinalia haud concedit. Ipse etiam calor, humida tenuissima dissipans, eadem ratione, qua siccitatem superficie corporis, etiam cauitati oris eam inducit. Accedit tandem anxia respiratio, qua humida, in primis in ore et faucibus haerentia, dissipantur.

§. 31.

Dolor capitis, et saepius spinae dorsi, vel a capite ad spinam dorsi descendens, a difficulti transitu humoris viscidioris vel acris irritantis per haec minima vasa, et tensione et irritatione neuorum inde decla-

declaranda dependet. Vti enim distensio vasorum in omnibus partibus lassitudinem, dolorem grauatiuum corporis, aliaque incommoda inde pendentia, inducit; ita in primis in tenerrimis his et sensibilioribus partibus vel grauatius vel pulsans dolor perecipitur.

§. 32.

Est vero cum his saepius connexa summa anxietas praecordiorum, quae sanguinis transitum ex corde per pulmones et totum corpus, tam ob depravatam sanguinis mixtionem, quam ob resistantiam in minimis vasibus, inde difficiliorem redditum ostendit. Ea ut plurimum in horrore maxima est, et calore aecedente soluitur: si in summo aestu remanet, grauem vel pertinacem morbum praedicit, cum vel malignam morbi materiem, vel insufficientem virium cordis in superandis resistentiis efficaciam declareret. Cauie tamen, ne cum tensione hypochondriorum et spasmis, a cruditatibus abdominalibus ortis, anxietatem veram praecordiorum confundas; flatus enim haud raro versus diaphragma urgentes, veram anxietatem febrilem mentiuntur.

§. 33.

Languor in principio et toto progressu febrium obseruatus, a difficile transitu sanguinis et fluidi neruei per musculos, quem materia morbi inducit, explicari potest; hac vero per crisin discussa, languor ab inanitione vasorum et laxitate fibrarum dependens remanet, quem nutrientia et roborantia tollunt. Ab hoc languore debilitas febrilis differt, quae ex pulsu debili potissimum cognoscitur, et in variis febris stadiis occurrens virium vitae defectum indicat. Haec ex dictis quidem languoris caussis

quoque pendet, sed peculiarem et vix satis dignam declarandam materiae morbi in nervos vim sifit, pessimusque est symptoma.

§. 34.

Sunt et alia symptomata febribus accidentia, ut sudor, nausea, vomitus, deiectiones, exanthemata, deliria, somnolentia, conuulsio, de quibus tamen et aliis passim in tractatione febrium speciali acturi sumus *. In hac enim doctrina generali tantum praecipua adduximus symptomata, ex quibus reliqua vel immediate fluunt, vel similem omnino explicationem admittunt.

* De symptomatibus febrilibus omnino conferri mereatur GERARDVS VAN SWIETEN in Commentariorum in aphorismos Boerhaavii Tomo II. §. 62L pag. 173. seqq.

§. 35.

Causa febrium proxima partim in fluidis, partim in solidis corporis humani partibus, et in reciproca earundem actione, quaerenda est. Mixtio fluidorum, quae vasa minima sanguifera transeunt, in variis febribus varia deprehenditur, praecipue tamen vel ad lentorem tantum, vel ad acrimoniam humorum plus minusque insignem simul respiciendum est. Quod si igitur solida cederent, materia morbi, quae numquam profluis spissa est, humores ad statim plenariam non duceret; cum vero vasa ipsa per matrem febrilem distenta et irritata, non blande quidem et in naturali tono, sed spastice contrahantur, maior resistentia cordi humores mouenti obiicitur, quo facto copiosior saepiusque fortior adfluxus fluidi neruei eorū et arterias continuatas ad celeriores crebrioresque contractiones disponit.

§. 36.

§. 36.

Illam vero deprauatam sanguinis mixtionem et spasimum in minimis oriundum, siue resistantiam vasorum inde pendentem, accuratius et in omni febre definire, ardua res est. Phaenomena in reciproco motu fluidorum et solidorum conspicua, ut effectus, caussam illam generatim consideratam proxime sequuntur. Irritatio fibrae neruae plus minusve vehemens vitales motus in gradu vario intendit, irritans siue caussa proxima est materia morbi variae in variis hominibus indolis; haec vero a mechanismo corporis deducta caussa, licet sensibus externis ostendi nequeat, nos tamen per caussas praedisponentes et occasionales aptius ducit, quam si ad animam febrim excitantem respicere vellemus.

§. 37.

Caussas remotas febris in generaliori hac doctrina sigillatim indicare superfluum esset, cum ea repetenda forent, quae in pathologia (Part. II. Cap. II. et III. §. 1002. seqq.) indicauiimus. His enim omnibus mixtio deprauata vel dyscrasia humorum inducitur, per quam celerior sanguinis circulatio siue febris ipsa producatur: hinc tantum in specialiori translatione ad caussas has, pro differentia febrium ordinandas, attendendum erit.

§. 38.

Motus autem in febre excitati materiam morbi mutant, et eam vel plenarie expellunt, vel quodam modo mitiore reddunt, vel adeo extricant, ut destructoria fiat. Hinc optime quidem adserimus, febres vel in sanitatem, vel in aliud morbum, vel in mortem tendere. Hae quidem mutationes satis am-

ple in pathologia (Part. IV. Cap. V. §. 1279. seqq.) de signis mutationis morborum in cruditate, cōctione et crisi declaratae fuerunt: dum itaque in hac febris tractatione ad doctrinam citatam prouocamus, pauca tantum summatim repetimus.

§. 39.

Si vires vitae satis vigent, nec materia morbi adeo maligna et refractaria deprehenditur, tunc illae ad hanc penitus immutandam sufficiunt, et aeger medici auxilio vix indiget: Si vero vel vires vitae deficiunt, vel materia morbi difficiliter mutatur, tunc medicus aegroto suo aptis auxiliis succurrat, et regime et medicamentis id praestet, quod vis vitae debilis perficere haud valet.

§. 40.

In utroque casu aut lenta resolutio materiae morbosae fit, quam lysin vocant, et in qua excernendi humores lente, ipsoque morbo per longius aliquod tempus protracto, mutantur, vel materia morbi cruda dicta sensim praeparata, aut cocta, uno et fortiori impetu per secretionem aptam excernitur, quam crisin vocant. Assimilationem, seu humorum malignorum mutationem in bonos et salutares sola transpositione factam, ad lysin transferre possumus, cum sine secretione particularum, mixtione humorum non conuenientium, sanitatem ipsam tueri nos posse, haud veri simile sit.

§. 41.

Cum autem febris essentia in celeriore pulsu et inde facta auctiore circulatione consistat §. 21. et hac ipsa materia morbi immutetur §. 38. motus quidem febriles vel sibi relinquendi, vel ita moderandi sunt,

ut

ut interdum quodam modo augeantur, interdum vero mitigentur, vel supprimantur, prout medicus, aegroti vires et vim morbi considerans, illud necessarium iudicat. In hoc certe febris moderamine verae scientiae medicae vis posita est, quae ex genuina morbum naturalium et praeternaturalium distinctione pendet.

§. 42.

Febris vero, ex suis caussis orta §. 35. seqq. vel ideo non praepostere infringenda est vel supprimenda, quoniam multi morbi, ea accidente, curantur, et non raro medicus ipse languentes naturae motus excitare et ita febrim accendere tenetur. Recondita abscessuum natura, omnisque suppurationis historia, in vulneribus casu vel arte illatis febrim moderatam inflammatoryam exigunt; excitati quoque sanguinis motus in morbis chronicis, in quibus materia morbi saepe nimium quiescit, hoc abunde testantur.

§. 43.

Ea vero, quae medicus in febre curanda praestare debet, ad generales therapiæ indicationes disquiramus, quoniam vix alia methodus aptior est ad veras curationes, ut in hoc, ita etiam in aliis capitibus inueniendas. §. 8. Praecipua quidem huius doctrinae fundamenta in therapia generali (Part. IV. Cap. VIII. §. 1512. seqq.) de motu fluidorum et solidorum compescendo exposita sunt; iuuabit tamen methodum medendi febribus generalem paullo plenius exponere.

§. 44.

Incitationem virium vitae in febribus vix necessariam esse, primo quidem intuitu arbitrari quis posset,

eum essentia febris in pulsu celeriore consistat: cum vero pulsus celer non raro simul debilis sit, cum in ipso febris progressu interdum vires langueant, et ipse pulsus remissior, naturali quoad ictuum numerum similis, immo ex debilitate parvus et tardior inueniatur; medici officium omnino est, virium vitae rationem habere, et motus nimium depresso augere.

§. 45.

Vires vitae medicus in aegro conseruat, si ictum nutrientem, facile tamen digerendum, v. c. iuicula carnium exhibet, potum fermentatum vinosum interdum permittit, et medicamentis analepticis et confortantibus, non numquam etiam calidioribus, succurrit. Hac enim ratione circulus humorum intenditur, robur elasticum et vitale augetur, et febris incitatur*.

* Conf. Therapiae generalis Pars II. §. 1341. seqq. de indicatione vitali; et Pars IV. Cap. IX. §. 1519. seqq. de motu imminuto solidorum et fluidorum excitando.

§. 46.

In caussis febrium occasionalibus debellandis accuratum examen omnium diaetae errorum requiritur, qui nimirum febribus diuersis ansam praebere possunt, ne, febre iam praesente, noua materia ci-dem alendae apta ingeratur. Licet vero primaria hic attendenda momenta in aeris et victus ratione tantum posita esse videantur, necessarium tamen omnino est, reliquas etiam rerum non naturalium classes sub examen reuocare.

§. 47.

Quod si vero cauſa iam in corpus introducta et praedilponens facta fuerit, tunc praecipue quidem examinanda erit, an ita comparata sit, ut immutata eliminari queat; quo in casu apta euacuantia, vel vomitoria, vel purgantia, vel sudorifera, eligat medicus, omniaque tempori morbi, viribus aegri et malignitati materiae morbi accommodet. Haec caco-chymiae, seu deprauatae humorum qualitati, praecipue opponuntur. Plethora tamen quoque ut cauſa consideranda est; qua per venae fectionem prophylacticam imminuta, liberior humorum circulus restituitur, et materia morbi forte residua blandis naturae motibus corrigi facilius atque ex corpore eliminari potest.

§. 48.

Curatio febris ipsa exigit, ut nimius humorum impetus, et vehementior et iusto celerior circulatio cohibeatur. Cum autem haec a deprauata humorum mixtione, lentore scilicet et acrimonia, dependeant, apta his tollendis remedia eligenda sunt: cum interea quoque spastica valorum minimorum contractio et inde maior cordi resistentia oriatur, ideoque simul attendenda sit, huic etiam parti cauſae proximae §. 35. aptis remediis obuiam eundum est.

§. 49.

Acrimoniam et lentorem humorum corrigunt diuentia leniter resoluentia, infusa scilicet calida, ex herbis amaricantibus et aromaticis parata, quae potissimum diaphoretica vi pollent, v. c. scordii, agrimoniae, betonicae cet. vel etiam prisanae variae loco potus ordinarii exhibendae, decoctum auenae et hordei cum scorzonerae, chinae, aliisque simili-

bus radicibus. Haec enim medicamenta, si caussa febris leuior fuerit, blanda diaphoresi inducta, febribus motus cohibent, et discussionem reliquae materiae morbosae blandis naturae motibus permittunt, eamque iuuant.

§. 50.

Potu hoc diluente et resoluente aestus quoque compelicitur, praesertim si succus citri et alia acida vegetabilia et mineralia immisceantur. Nitrum quoque depuratum his additur, et vel separatis in pulueribus et potionibus cum terreis, vulgo temperantibus dictis, exhibetur. His tincturae acidulae v.c. Fl. Bellidis, Papaueris rhoeados et aliae similes vel per se, vel in iulapiis interponi possunt, quippe quae ob acidum vitriolicum aestum mitigant humorumque ad putredinem proclivitati resistunt.

§. 51.

Quod si vero intensior humorum impetus destructionem vel infarctum vasorum minimorum inducere videatur: si aestus cum pulsu fortiore et siti vehementi urgeat: tunc venae sectione hi motus egregie infringuntur. Sed haec constitutioni aegri, in primis ratione copiae sanguinis, proportionata, et interdum satis larga, et si caussae urgeant, aliquando repetita requiritur. Melius quidem sub initium paroxysmi; si vero tunc temporis neglecta fuerit, in eius vel maximo impetu instituitur: haec est venae sectione curatoria.

§. 52.

Ipsum quoque febris impetum opiate medicamenta infringere posse, certissimum eit: His enim et spasmus in minimis vasis soluitur, et corpus ad blandam

blandam diaphoresin disponitur. In iis vero adhibendis cautē versetur medicus et sciat se medicamentum tantum spasmo, non vero aliis febrium caussis, opponere: Plethora itaque prius imminuta et primis viis euāciatis, ad hoc demum remedium deueniendum est. Cum praeter haec dubium omnino sit, an non opium coagula humorum efficiat, vel praeſentia augeat, et motus febriles faepe necessarios infringat, non nisi dosi proportionata et repetita opiatis medicamentis utatur.

§. 53.

Languor in febribus, ex suis caussis dignoscendus, §. 33. per ipsam febris curationem discutitur. Interim tamen, quae in ipso febris decursu praeſens est, vel post eam superata remanet, debilitas aptis cardiacis et roborantibus corrigenda est §. 45. Praefstat hoc ipsum, nisi corpus nimis exsuccum inueniatur, diaeta nutriendis, roborans et siccā, ex fructibus horaeis acido-dulcibus, carnis assatis bonae notae, quibus cortex peruvianus iungi potest; in excessis corporibus iuſcula quoque concedenda sunt. Frictio corporis et aer purior conclavium defectum in motu muscularis in aere libero quodam modo supplet.

§. 54.

Curatio palliativa ad singula respicit symptomata, quae a morbo eiusque cauſſa et symptomatibus primariis oriuntur, eaque non nihil mitigare intendit. Hic vero in ſpeciali febrium examine disqurenda ſunt: cautē enim hic verſandum eſt, quo urgentia tantum ſymptomata, quae nimirūm vitae viribus nimium minantur, non vero ea, quae a febris indole ſeparari neque poſſunt neque debent, medi-

camentis illis coerceantur, quibus salutares saepe motus simul supprimuntur, v. c. in diarrhoea salutari.

§. 55.

Si materia peccans non plenarie immutari et eliminari potuit, tunc in corpore distributa haerens, vel per crisin metastaticam in aliam quandam partem congeritur; quo in casu, haud raro accensa et mox subsequentे noua febri, materia morbi mouetur, digeritur et expellitur; id, quod in exanthematicis febribus videbimus: vel quoque morbis chronicis anfaam praebet, qui ex aliis doctrinae nostrae capitibus dijudicatidi erunt; saepius igitur consultum est, nouam febrem accendere et reliquias materiae morbo-sae expellere.

§. 56.

Febris morte terminatur, si ob virium vitae defectum vel nimius lensor humorum resolui, vel acrimoniae infringi nequeunt, sed motus quasi sufflaminantur. Saepius etiam fieri solet, ut motus febrilis impetuofus materialm morbi nimis extriceret, eamque acriorem et malignam reddat, quae non raro ad internas et nobilissimas corporis partes ducitur et intimam eius compaginem destruit. Hoc quidem tunc temporis praecipue euenire solet, si laesum aliquod viscus, v. c. scirrhosum, impetum materiae morbo-sae patitur et eandem subigere non valet.

§. 57.

Hanc generalem febres cognoscendi et eurandi rationem ideo exposuimus, quoniam omnium febrium species examinare haud possumus, fundamen-ta tamen medendi ad omnes differentias applicanda omnino praemitti debent. Attamen cum ex tracta-tione

tione adeo generali omnis febrium cognitio peti nequeat, variis et praecipuis exemplis adductis, disquisitionis rationes et medendi vias paullo faciliores reddere conabimur. Subiectamus itaque praincipia de febrium differentiis.

§. 58.

Febris est vel symptomatica vel idiopathica: haec per se scilicet ex dyscrasia sanguinis oritur et morbi peculiaris schema listit; illa vero variis morbis, ex proprio genio cognitis, ut ~~symptoma~~ accedit. Accurate loquendo omnis febris symptomatica est: in priore enim casu quoque dyscrasia humorum est morbus, febris autem symptomata. Eodem quoque modo ea cognoscitur distinctio, quam inter febrem et motus febiles non nulli adsumunt.

§. 59.

Febres symptomaticas omnes recensere, uti impossibile, sic et superfluum est; quoniam morbus, qui eam producit, ex suo praeceos capite, febris ipsa ex generali et praemissa tractatione de febribus explicari et suo modo eurari debet, v. c. febris inflammatoria, stomachica, cet. Sunt tamen non nullae, v. c. exanthematicae, quae peculiarem nostram merentur tractationem, cum variam indolem motuum febrilium nobis diiudicandam offerant.

§. 60.

Febres porro ratione durationis diuiduntur in acutas et chronicas: illae intra certum tempus, scilicet die nono, decimo quarto vel tandem vigesimo primo, ex plurimorum medicorum sententia finiuntur; hae diuersimode diutius, sed vario omnino symptomatum

matum decursu durant, ita, ut et haec distinctio a nobis, ut norma diuisio[n]is febrium, adsumenda non sit. Ex chronicis tamen lentas sic dictas, quae etiam symptomaticae sunt, ob varias rationes in fine separatim pertractabimus.

§. 61.

Vbiue vero adsumta et vera distinctio febrium est, qua ex paroxysmorum indole, et vario ingressu, et d[ur]atione, in intermitentes et continuas; continuae vero iterum in remittentes et continentes distingui solent. Ex dupli[n]i nimirum hac distinctione triplex oritur differentia febrium, intermittentum, continparum et continentium, quae quidem quo modo ulterius inter se differant, in conspectu tractationis nostrae §. 16. summatim exposuimus, uberior vero in sequentibus sectionibus declaraturi sumus.

SECTIO I.

FEBRES INTERMITTENTES.

§. 62.

Intermittens* febris ea dicitur, in qua horror, calor et omnia reliqua symptomata §. 26. seqq. definito quidem tempore accedunt, durant et finiuntur, ita, ut postea aeger per definitum aliquod temporis interuallum a morbo liber sit. Hoc temporis interuallum, in quo aeger a primariis symptomatibus non excruciat, tempus apyrexias seu integritatis dicitur, cum calor praecipue, qui aegro moleitus erat, cesset.

* Germani ob horrorem, in hac febre magis perceptum, diutiusque durare solitum, appellant febres algidas, kalte Fieber, latiore sensu ita dicendas: sed rectius

rectius easdem, cum definitis temporibus omnis morbus abesse videatur, vere intermittentes, *Wechsel-fieber*, dixeris.

§. 63.

Febres intermittentes in quotidianas, tertianas et quartanas diuiduntur, quae omnes duplicatae sunt, si intra tempus, uni febrilium symptomatum et apyrexias progressui destinatum, duplex paroxysmus seu exacerbatio morbi alternatim sibi respondens obseruatur. Quintanae, sextanae et septimanae febres, quae a quibusdam obseruatoribus describuntur, rarius occurunt, et priorum indolem sequuntur, hinc separatim tradendae non sunt. Quoniam febres tertianae frequentiores, magis regulares, reliquisque curatu faciliores esse solent, de his primo loco agere placuit: quibus vero accuratius examinatis, quartanae, postea quotidianae, tandemque duplicatae subiectendae erunt.

SUBSECTIO I.

F E B R I S T E R T I A N A .

§. 64.

Febris tertiana dicitur ea, quae tertio die reuertitur, et unicun diem integritatis habet. Signa, quibus hae febres in ingressu suo, ut tertianae, cognosci possunt, maxime incerta sunt, post unius tamen vel alterius paroxysmi transitum facile cognoscuntur. In huius febris autem progressu aequa, ac in reliquis, tria obseruanda sunt stadia: primum horroris, alterum aestus, tertium remissionis, quae quidem stadia in omni febris ingressu apparent, licet nullibi melius, quam in intermittentibus tertianis, obseruari possint.

§. 65.

§. 65.

Saepius lassitudo, dolor capitis, nausea et vomitus, vel aliud symptoma febrilem paroxysmum praecedens; interdum inopinatus eius est ingressus, qui vel certis horis utplurimum adstrictus est, vel etiam ratione principii et durationis maxime variat. Langor corporis, oscitatio, pandiculatio, horripilatio, tremor membrorum, frigus, pulsus celer, sed interdum debilis et inaequalis, dolor capitis et spinae dorsi, fitis ingens saepe clamosa, urina pallida, praecipua et semper ferme praesentia symptomata sunt; in quibusdam aegris tussis, sternutatio, somnolentia et alia plura occurunt.

§. 66.

Si copiosa saburra in primis viis haeret, non numquam sub frigore, saepius tamen horrore sensim remittente, nausea oritur, quam non raro vomitus viscidæ et biliosæ pituitæ sequitur. Summa tunc temporis est anxietas non tantum circa praecordia, sed et in regione hypochondriaca utraque obseruata, pulsus durior, sudor vel nullus vel parcus; aestu vero per aliquod tempus durante, symptomata sensim se remittunt, et aeger quodam modo tranquillior redditur.

§. 67.

Quando vero aestus non nihil se remittere incipit, et pulsus aequalis et fortis redditur, tunc fitis et dolor capitis utplurimum mitiores fiunt, cutis haeretens sicca, perspirante humore madida fit, et sudores saepe fatis largi erumpere incipiunt: urina varia est et saepe sedimentum deponit, non numquam turbida manet, somnus utplurimum sequitur tranquillus, et aeger

aeger praeter languorem a vehementi paroxysmone
lictum vix insignia sentit incommoda.

§. 68.

Omnis hic febrilis paroxysmi progressus raro per
viginti quatuor horas aut ultra durat, saepius citius
absoluitur. Si autem hae febres, quod interdum
fieri solet, totum paroxysmum in triginta sex, vel
quadraginta horis demum absoluunt, in principio sine
longo horrore sunt, aestus subsequentem intensio-
rem habent, ideoque tempus apyrexias breuissimum
est, caute obseruandae sunt, ne cum continuis con-
fundantur. Accuratum itaque aegri ratione tempe-
ramenti et reliquarum causarum praedisponentium
examen instituendum, in primis vero ad plethoram
et primarum viarum dispositionem attendendum est,
si has aliasque febris tertiana differentias ex sympto-
matibus variantibus dijudicare velis.

§. 69.

Causa proxima, quae febrem excitat et resisten-
tiam cordi efficit, in lentore sanguinis consistit, qui
circulationem in vasis minimis totius corporis, po-
tissimum muscularum forte et nervorum, non qui-
dem prorsus cohibet, sed eandem tantum languidio-
rem reddit, quo facto fluidum nerueum, in motu
suo cohibitum, spasticos tremores excitat. Praeter
ea vero hoc ipso fluido, in organa vitalia vehemen-
tius irruente, solida magis in fluida agunt, calorem
faciunt, lentorem resoluunt, circulum liberiorem
reddunt, et secretiones facilius praefstant, quibus
plus minusque insignis copia materiae morbosae
eiicitur.

§. 70.

§. 70.

Cum autem uno febris impetu seu paroxysmo omnis morbi materia non eiiciatur, sed partim ex primis viis per vasa chylifera noua accedit, partim ea, quae in sanguine subsistit, et in praecedentis paroxysmo non subacta fuit, iterum cogatur et lentorem inducat, hinc simili ratione proxime subsequenti paroxysmo occasionem praebet. Hoc definito quodam tempore fit; sunt tamen caussae, quae paroxysmos accelerant, dum spasmo citius excitando ansam praebent, v. c. refrigerium ex potu nimis frigido, vel ex aere humido et frigido admisso.

§. 71.

Caussa remota praedisponens in primis viis praeципue quaerenda est, quando nimirum a viscido et lentemente victu, per ventriculum et reliqua digestionis organa non subacto, glutinosum nimium congeritur, et ita chylum et sanguinem inquinat. Huic autem glutinoso, acida et biliosa saepius saburra humorum adhaeret, licet non in tanta copia adsit, ut aliis morbis vel febrium speciebus occasionem exhibere queat, sed tantum genium febris tertianae quodam modo mutet.

§. 72.

In caussis remotis occasionalibus, quae partim praedisponentem colligunt, et hac praesente, febiles paroxysmos excitant, praecipue ad victimum ex animalibus et vegetabilibus nimis viscidum respiciendum est; (§. 1015.) attamen et perspiratio suppressa interdum humores eliminandos cogit, et caussa predisponente iam in primis viis haerente, similes febres facit: multum etiam conferre possunt animi

animi pathemata tristia, quae lentorem humorum vel maxime in validis adhuc hominibus inferunt. Saburra etiam humorum in primis viis existente, aquarum mineralium peruersus usus febres has non numquam excitare videtur.

§. 73.

Febres tertianae, quae ceteroquin sanum, nec ultra visceris labore affectum corpus ingrediuntur, et ut plurimum ab erroribus quibusdam diaetae grauioribus, sine insigni cauffa praedisponente oriuntur, et paroxysmos vehementes cum euacuationibus omnis generis efficacioribus excitant, breui per se, vel unico saepius dato remedio euacuante, aut vomitorio, aut purgante, tolluntur. Debilia corpora his febribus vix obnoxia sunt, si vero ab iis petantur, paroxysmi minus validi esse solent, et in primis, si aliquis visceris infarctus imminet, diutius durant. In his febres tertianae saepius aequa pertinaces sunt, ac quartanae, et harum genium etiam in reliquis conditionibus seruant.

§. 74.

Per victum intemperatius sumtum, potum spirituosum et medicamenta calida febres tertianae et aliae intermitentes, non raro in continuas, per nimiam vero durationem in languores et cachexias mutantur. Senibus saepe nocent et interdum quoque lethales sunt, in primis quando in horrore materia viscida ad pulmones ducitur, et catarrhos suffocatiuos efficit. Si qua morbi materia subtilior et periculosa, v. c. podagrifica in corporibus haeret, haec ipsa febre, quae haud raro tertianae similis est, mota catarrhos suffocatiuos et insultus apoplecticos inducit. Vernales

ut plurimum citius curantur, quam autumnales, quae ob aerem humidum et frigidum semper pertinaciores fiunt.

§. 75.

Vitalis indicatio in his febribus raro attendenda est: ipse enim febris ingressus, vires vitae, easque saepe nimis validas, adesse docet, et cum tempore apyrexias sufficiens nutrimentum sumi possit, rarius et non nisi post longas morbi durationes integritas virium labefactatur. Moderata ieiunia in validioribus et in primis voracibus aegris maximi usus sunt, inedia vero, per aliquot dies protracta, saepe noxia, licet febrim compescere videatur.

§. 76.

Aegri vero victus ita ordinetur, ut viscidi et glutinosi cibi, qui febri ansam dederunt, et digestionis organa debilitarunt, prorsus euitentur. Observatio enim docuit, talem victum sequentes paroxysmos grauiores reddere. Multa itaque alimentorum genera, quae a validis tantum digestionis organis subigi possunt, in hac febre reiiciuntur; hinc non solum suilla et aliae viscidae carnes, sed olera, legumina, immo lacticinia et farinacea non fermentata, noxia inuenta fuerunt. Panis bene fermentatus, et quae ex eo parantur, alimenta, carnes bonae notae et frustus horaei exsiccati et cocti, nisi acida acrimonia simul peccet, primaria alimentorum genera sunt.

§. 77.

Quoniam hac in febre caufsa praedisponens iam in primis viis haeret §. 71. illa omnino et prae reliquis euaeuanda est. Vomitorium itaque a nausea et vomitu spontaneo, a ructibus acidis, nidorosis, amarore

rore oris, tensione et pondere ad scrobiculum cordis indicatum, tunc demum, si nullum contraindicans est, (§. 1549.) exhibeat F. 1. 2. 3. Dentur autem haec vomitoria ieuno ventriculo, non post pastum, tempore apyrexias, ab initio parum fluidi superbibatur, si vero ventriculum mouere incipiunt, aqua calida pinguis aut dulcis ad vomitum faciliorem reddendum aliquoties hauriatur, post ea quiescat aeger.

§. 78.

Si vomitorium vel non indicatur, vel minus tuto dari potest, exhibeat purgans, in debilioribus rhabararinum cum sale digestiuo, vel cum stimulo sennae F. 4. 5. 6. in robustioribus, et in quibus saburra nimis viscida et tenax primas vias obfidet, stimulus fortior, imino resinosus requiritur, F. 7. 8.

§. 79.

Tanta saepius saburrae viscidae, in primis viis haerentis, copia est, ut uno vel altero euacuante promoueri nequeat; quo in casu medicamenta digestiva sic dicta et resoluentia salina et amara interponenda sunt, quo materia morbi mobili facta, usus purgantium subiungendorum eo efficacior sit. Exhibeantur itaque per aliquot dies pulueres ex salibus mediis et terreis antacidis F. 9. 10. vel interdum purgans ex salis anglici cathartici uncia una, vel salis amari sedlicensis unica semis, vel drachmis sex interponatur. Si autem verearis, ne primae viae his medicamentis nimis relaxentur, et nimia seri copia subducatur, usus leniorum purgantium F. 11. qui, materia iam mota, interdum satis efficax est, et cum his amara, carminativa et resoluentia F. 12. 13. sua-

deantur. Aliis exhibeatur nodulus laxans ex amaris, in primis F. 14. die integratatis sumendus.

§. 80.

Nos quidem non latet, hanc curationis viam quibusdam medicis nimis lentam videri, qui de suppri-
mendo paroxysmo vel per venae sectionem, vel per
roborantia cito data solliciti sunt. Hi vero perpen-
dant, aliqua patientia opus esse, si viscidam fabur-
ram, in primis et secundis viis haerentein, sine de-
trimento corporis resoluere, eliminare, et integrum
sanitatem restituere velimus. Recensita etiam me-
dicamenta §. 79. breui iuvant, si materia sat mobilis
est; quod si vero nimia eius tenacitas deprehendatur,
morbus praesens quidem dissipatur, sed non raro in-
farctus viscerum infimi ventris remanet.

§. 81.

Tempore paroxysmi, cum naturae motus satis
validi sint, nulla medicamenta requiruntur; sufficit
itaque, si potus aquosus vel calidus, vel frigidiuscu-
lus, pro vario paroxysmi tempore sumatur; si vero
paroxysmi longiores sunt, et in frigore, vel post eius
remissionem, vomitus a natura excitatur, hic aqua
tepida hausta, vel etiam oxymelle squillitico eidem
immisto, adiuuandus est. Quo fudor, calore non
nihil remittente, melius succedat, infusum aquosum
scordii vel similium herbarum F. 15. propinetur, vel
haustus vini, vel cereuisiae optimae, ut cardiacum,
concedatur.

§. 82.

Si paroxysmus grauior est et aestus et fitis urgent,
potio temperans exhibeatur F. 16. aut iulapium si-
mile F. 17. quae vero non nisi anxie appetenti aegro
exhi-

exhibenda sunt, cum aestus vim infringendo, etiam coctionem impedian. Sitis numquam plene extingui potest; hinc potu tenui tantum mitigetur; caue tamen, ne ventriculus nimia potulentorum mole oneretur. Dolor capitis similibus vel fascia, qua caput constringitur, leuatur. Aestum nimium paroxysmi venae sectione infringere, minus conueniens eit: caussam enim non tollit, sed vires ad materiam morbi mutandam necessarias infringit.

§. 83.

Si febriles paroxysmi vel non mitiores sunt, vel diutius durant, materia morbi nondum subacta esse videtur, sed per nauseam, sicut aliae signa se ulterius prodit; itaque resolutioni viscidae materiae, in visceribus haerentis, diutius insistendum est. Cum autem hoc in casu diu continuatus salinorum usus laxitatis inducendae metum excitare videatur, digestua cum amaris F. 18. 19. per aliquod temporis spatium adhuc continuanda sunt, quo eaussa huius morbi proxima §. 69. et praedisponebant §. 11. profus tollantur.

§. 84.

Si febris vehementia remittit, urina diu cum sedimento fuit, et aliae secretiones maximam materiae morbi partem subactam et expulsam esse ostendunt, febriles tamen paroxysmi statim suum tempus feruant, quoniarn et laxitas fibrarum et debilitas systematis neruosi materiam superstitem, licet exigua illa sit, superare haud valent, roborantia medicamenta eligenda sunt. Licet autem tormentilla, bistorta et similia adstringentia remedia virtute sua non destituantur; ob vim tamen nimis adstrictoriam saepius noxia sunt: praestat itaque corticem peruvianum

vel in puluere, vel in electuario, F. 20. 21. adhibe-
re; ille tamen semper electus fit et intra breue tem-
pus in magna dosi ad unciam unam et alteram pro-
pinetur.

§. 85.

Si febris post aliquot paroxysmos sua sponte ces-
sat, corticis usus superfluos videtur. Mixtura itaque
spirituosa amara et carminativa F. 12. vel infusum
vinosum F. 22. vel puluis stomachicus BIRKMAN-
NI, robur primarum viarum satis restituunt. Non
nocet tamen aliquot doses corticis peruviani exhibe-
re, easque post aliquot dies repetere, si signa imbe-
cillitatis primarum viarum, et haud raro oedemata
obseruantur. Corticem vero optimae effectus edere
cognoscimus, si omnes se- et excretiones ex voto
succedunt, in primis si alius libera et copiosior est.

§. 86.

Post febrim omnem superatam victus et omnium
rerum non naturalium regimen ita quidem ordinan-
dum est, ne viscidum in primis viis et in reliquo cor-
pore denuo colligatur, nec laxitas inde in fibris re-
maneat. Vitentur ideo cibi glutinosi viscidii, flatu-
lenti et digestione resistentes; potus nimium spirituo-
sus; aer frigidus et humidus; corpus autem in aere
temperato exerceatur. Purgationes alii vehemen-
tiores quoque nocent; quod si itaque digestio per
nimiam voracitatem, quae post febres solennis est,
laedatur, lenia tantum exhibeantur purgantia, in
primis rhabarbarina.

SUBSECTIO II.

FEBRIS. QVARTANA.

§. 87.

Febris quartana intermittens est ea, quae quarto demum die reuertitur, ideoque duos dies integratis habet. Paroxysmi in hac febre non adeo violenti sunt, sed pertinaciores, qui aegrum magis excruciant, et eundem etiam tempore apyrexias cachectico habitu et lassitudine artuum afficiunt, cum excretiones criticae sub finem paroxysmi segnius succedant. Post meridiem utplurimum accedit febris nostra, saepe tamen definitum tempus non seruat. Si frigus diu durat, proportionato aestu non succedente, si aeger de nimia fame conqueritur, pertinaciores utplurimum febres sunt.

§. 88.

Caussa proxima eadem quidem est, quam in febre tertiana descripsimus §. 69. sed sanguinis crasis magis deprauata, non tantum viscida, sed atrabilaria quoque deprehenditur, hinc et solida iam suo modo labelictata inueniuntur, et homines ad cachexiam proclives ea corripiuntur. Quod ad caussam remotam praedisponentem spectat, non primae tantum viae, sed et alia viscera abdominalia, debilitate, infarctu et obstructione plus minus insigni laborant. Licet autem interdum quoque tertianae febres §. 73. in primis in calidioribus Europae prouinciis, et inter nostrates in imbecillis subiectis occurrentes, hanc indolem prae se ferant, praecipue tamen nostrae quartanae iam descripto modo sese habere obseruantur.

§. 89.

Ad causas remotas occasioales pertinet autumnales tempus post feruidam aestatem pluviosum; vietus durior et vegetabilis acescens; excretiones sanguineae, ut catamenia, haemorrhoides, inimo haemorrhagia narum, alias consuetae, nunc suppressae; moeror et tristitia, quae lentorem humorum non tantum glutinosum, sed et atrabilarium, et itases in visceribus praecipue abdominalibus inferunt; idque potissimum in hominibus infirmis et vitae sedentariae adfuetis.

§. 90.

Haec febris in se spectata, ut plurimum sine periculo est; quoniam tamen saepe infarctum viscerum et ipsam cachexiam coniunctam habet, facile et neglectis potissimum apta curatione et regularum diaeticarum obseruatione, in icterum atque hydropem degenerat, vel in febrem lentam transit. Si in febrem tertianam vel quotidianam mutatur, interdum facilius curatur: si in continuam abit, vel per eam soluitur, vel hae superata, non numquam reddit. Ipsa etiam febris quartana iam consopita vija, facile reuertitur, vel alia mala relinquit, vel obstructionem viscerum incipientem confirmataam reddit.

§. 91.

Difficilis vero in primis curatio est tempore hiberno, in hypochondriacis et in iis, qui diaetae regulas negligunt, vel ob vitae generis conditiones obseruare haud possunt, uno verbo, si caussae remotae occasioales durant, ita, ut praedisponentes debellari nequeant. Difficillime etiam in grauidis et senibus curatur. Si post icterum quartana accedit, rarissima tantum curationis exempla sunt.

§. 92.

§. 92.

Praeter ea, quae in tertiana ratione curationis monuimus, hic saltem addimus a nimio faliū usū abstinentium esse; haec enim licet sanguinem viscidum resoluant, debilitatem tamen solidorum simul inducunt, atque ita vires, quibus tenacissima humorū visciditas, in intimis visceribus haerens, subigenda est, infringunt. Salia quidem digestua, liquor terrae foliatae tartari, fal mirabile G L A V B E R I et tartarus vitriolatus in magna dosi ad unciam semis vel drachmas sex, in sufficiente quantitate aquae soluta ante paroxysmum dari possunt, ut hoc durante resoluentes illae particulae ad massam humorum transferant; hae solutiones etiam proportionata dosi faliū ammoniaci depurati acui possunt, quo vis resoluendi fortior fiat: in his tamen solis acquiescendum non est.

§. 93.

Praefstant enim amara resoluentia F. 13. 18. 19. et in pauperioribus infusum saturatum viribus plantarum amararum, v. c. absinthii, cardui benedicti et centaurii minoris, ad uncias sex vel ultra, mane et vesperi cum fructu propinatur. Cum vero propter ingratum saporem plurimi aegrotorum hoc remedium reculant, continuatus pilularum resoluentium usus F. 23. 24. conuenit, leniori radicis chiae decocto, vel aliis compositis F. 25. loco potus ordinarii, interpositis. His remediis resoluentibus purgantia leniora F. 5. 6. vel interdum noduli laxantes F. 14. 26. subneecti possunt.

§. 94.

Pertinaciiores febres, et quae per hiemem continuo horum medicamentorum usū non debellantur,

vernali in primis tempore, succis plantarum amara-
rum et lactescientium v. c. taraxaci, cichorei, fuma-
riæ, cet. cum sero lactis exhibitis, non numquam
cedunt. His ad minimum humores stagnantes et
viscidi blande resoluuntur, quo usus thermarum et
acidularum, quibus nimirum causa prædisponens
egregie corrigitur, versus aestatem eo efficacior red-
datur. Minime enim credendum est, has aquas in
omni infarctu viscerum noxias esse, iuvant potius
obstructionis resolutionem, et vasis robur reddunt;
in visceribus ulcere obsefisis effectum speratum vix
edunt, præcipue autem nocent, quando per aluum
non secedunt.

§. 95.

Post materiam præparatam et euacuatam dari
quoque potest cortex peruvianus electus pro scopo
roborandi. Quoniam vero humorum, in intimis
visceribus haerentium, tenacitas semper metum re-
cidiuae febris relinquit, rebelles saepe febres feliciter
curantur, si mercurii dulcis moderata dosis pilulis
F. 23. et 24. remiscetur. Non nulli arsénicum alia-
que specifica laudant, quae nobis autem vix tuta vi-
dentur. Qui his febribus opiata opponunt, et in
primis pilulas solares WILDEGANSII exhibent, pes-
simam dispositionem ad morbos soporofos inducunt,
et febriles motus quidem coercent, sed materiam
morbi intactam relinquunt.

§. 96.

Oedemata pedum, quae post tertianas et has po-
tissimum febres saepius relinquuntur, dum modo
curatio rite instituta fuerit, ut debilitatis signum con-
sideranda, nec adeo extimescenda sunt: victu enim
bono,

bono, frictione et motu corporis, nec non lenioribus purgantibus §. 86. optime dissipantur. Ea tamen oedemata, quae post febrem intempestive suppressam et ex neglectu diaetae oriuntur, cachexiae et hydropis prodromi sunt, quo in casu febrem hanc paullo validioribus datis purgantibus iterum excitare, et apta medendi ratione, roborantibus tamen non profus neglectis, faburram mouere, eiicere et tamnum solidorum tandem restituere conuenit.

§. 97.

In hac febre diu tolerata interdum symptomata quaedam noua oriuntur, quae licet maxima incommoda inferant, tamen, cum euacuationes materiae visceribus pertinacissime inhaerentis indicent, toleranda sunt. Sic haemorrhoidum fluxus et diarrhoea saepius curationem iuuant. Hae excretiones tamen bene discernendae sunt: si enim fine leuaminei accedunt, vel fluxus hepatici indolem seruant, non raro ad lentas cacheeticas disponunt. Sic quoque purpura scorbutica et scabies quartanam soluunt, et materiam morbi salutari effectu ad cutis habitum dicunt; uterque tamen morbus ut chronicus considerandus, et peculiari attentione ex tractatione de morbis systematis seroso-lymphatici cognoscendus et debellandus est.

§. 98.

Relaxatio et inde orta debilitas totius corporis, praecipue primarum viarum et viscerum abdominallium, quae post febrem curatam haud raro remanet, continuato, sed leniori, roborantium usu corrigenda est. In his enim non ita, ut in tertiana §. 84. usus eorum copiosus et frequens, sed paullo remissior indicatur: sequentia potissimum medicamenta usu probata

bata inuenimus, solutionem extractorum amarorum, vel infusum corticis peruviani cum marte F. 27. 28. electuarium roborans F. 29. Subiungi tandem possunt infusa vinosa F. 22. tinturac martiales bonae notae, elixirium viscerale HOFFMANNI vel similia F. 30.

SUBSECTIO III. F E B R I S Q V O T I D I A N A .

§. 99.

Febris quotidiana intermittens est ea, quae quotidie et horis matutinis ut plurimum accedit; tempus igitur integratatis versus vesperam et per noctem obseruatur; nec in horrore, nec in calore magna est, et vernali potissimum tempore, imbecillos in primis aggreditur. Cum interdum etiam versus vesperam accedat, catarrhali benignae ferme similis est, horror tamen magis euidens et vera obseruatur apyrexia. Saepe etiam in principio tertianas duplicates aemulari videtur, et paullo post in quotidianam veram mutatur.

§. 100.

Caussae et symptomata cum iis conueniunt, quae in praecedente tractatione indicauimus: in primis autem moeror et tristitia aliaeque caussae, quae debilitatem aegro inducunt, attendendae sunt; in hominibus enim imbecillis materia morbi non satis commoueri, sed tantum leuiter agitari solet. Ideo etiam pertinaciores sunt hae febres, quia primarum viarum et viscerum, digestioni inferuentium, imbecillitas ipsorum actionem impedit, et victus ad vires

vires vitae conseruandas nec assuini, nec satis elaborari potest.

§. 101.

Curatio quoque cum praecedentibus conuenit, sed feligenda sunt mitiora purgantia F. 4. 11. raro vomitorium ex ipecacuanha requiritur. Digestiva non elegantur salina acriora, sed blanda saponacea, amaricantia F. 13. 19. vel infusa amara ~~93~~ 98. vel pilulis F. 23. 24. aloe gummosa, vel mercurii dulcis granum unum alterumque pro singula dosi addatur, omniaque tempori paroxysmi accommodentur, ita, ut quae aluum ducunt, remedia non, nisi illo finito, propinentur. Roborantia caute data interdum febriles motus excitant, et ita coctionem et crisi iuuant.

§. 102.

Si curatio ex voto succedit, hae febres non raro in tertianam duplice, et tandem in simplicem mutantur, et tunc ad methodum supra expositam §. 75. seqq. aptius curari possunt. Optimum est, si, excretionibus aliui, urinae et sudoris, facile et cum leuamine succendentibus, sine crisi euidenti mitescit; materia enim febrilis in his non tanta in copia adest, sed ut plurimum ad laxitatem solidorum respiciendum est. Si igitur aegris purgantia fortiora, vel alia medicamenta calida, sanguinem commouentia, exhibentur, facile in continuas, vel in lentas, immo in hydropem, in primis si roborantium usus prorsus negligitur, mutantur.

SUBSECTIO IV.

FEBRES INTERMITTENTES DUPPLICATAE.

§. 103.

Febres intermitentes duplicatae eae dicuntur, quae intra tempus, uni tantum paroxysmo et subsequentiae apyrexiae febris concessum, bis et inaequali quidem paroxysmi vehementia recurrent, Sic quotidiana duplex matutino et vespertino tempore reddit; tertiana quotidie paroxysmum sistit, sed quilibet paroxysmus vel tempore, vel vehementia, vel utrisque conditionibus alternatim sibi respondet, ut quasi duae febres quotidianae esse videantur: quartana unum diem integratatis habet, paroxysmi vero duplicati eodem modo, ut in tertiana dupli, comparati sunt.

§. 104.

In his quidem eadem medendi methodus, quae in simplicibus tradita fuit, attendenda est, sed tempora obseruanda sunt, quo vietus et medicamenta apte ordinari queant. Ut plurimum virium aegri debilitatem ostendunt, quippe qui, cum unico paroxysmo materiam morbi non satis subigere valeat, post horrorem caloris initia tantum praefstat; viribus autem deficientibus, materia morbi iterum quiescit, proximo paroxysmo denuo agitanda et tandem ad crisi disponenda.

§. 105.

Optima affulget curationis spes, si in simplices, potissimum in tertianas, mutantur; alias enim hae facilius, quam simplices, in continuas vel lentas abeunt. Cortici peruviano et aliis roborantibus, praeter extracta amara, vix locus esse videtur, quoniam

niam materia antea subigenda et ad excretionem disponenda est: hac vero subacta, vel finiuntur, vel in simplices mutantur. Ob debilitatem vero non facile curantur aegri, nisi vel post febrem imminutam, vel quiescente, ea attendantur, quae §. 85. 86. 98. exposuimus; prae reliquis enim facile redire solent.

§. 106.

Febres reliquae intermittentes, quae et ratione ingressus, paroxysmi et durationis variant, vagae dicuntur et anomalae. Hae saepius catarrhalis continuae indolem mentiuntur; hinc per aliquot dies caute obseruandae, nec euacuans forte, nec calidum medicamentum propinandum est, sed blanda tantum resoluentia, v. c. liquor terrae foliatae tartari, potionis et pulueres cum terreis medicamentis et nitro §. 82. exhibentur, donec pateat, quemnam typum tales febres assumant et feruent.

SECTIO II.

FEBRES CONTINVAE REMITTENTES.

§. 107.

Febres continuae stricte sic dictae §. 61. inter nostros ciues potissimum sunt remittentes. In his quidem calor et reliqua symptomata febrilia non nisi post morbum superatum penitus cessant; attamen per vices, matutinis praesertim horis, a grauitate sua se remittunt, et saepius versus vesperam exasperantur, ita, ut plenaria quidem apyrexia non adsit, remissionis tamen et exacerbationis tempora simili fere modo, quo apyrexia et ingressus febris in intermittentibus, se excipient.

§. 108.

§. 108.

Innumeræ ferme harum febrium sunt differentiae, si causas remotas et praedisponentes attendimus, acrimoniam et variam dyscrasiam humorum tamquam causam proximam, et motum febrilem ipsum tamquam symptomam primarium consideramus. Sic enim stomachica, scorbutica, lactea, nonnumquam biliosa etiam, inflammatoria, vulneraria et aliae febris huius species distinguuntur. Nihil vero extenderetur haec nostra tractatio, si has species omnes sigillatim enumerare vellemus, aptius itaque versabimur, si specimina quaedam exponamus et partim ex his, partim ex iis, quae supra de febribus in genere §. 21. seqq. proposuimus, reliquas hic loci non descriptas species dijudicemus.

§. 109.

Normam generalem continuae remittentis in catarriali benigna et maligna primum exponendam habemus, quippe quae et frequentiores sunt, et saepe sine exanthematibus euenire solent; inde vero ad varias exanthematicas progrediendum erit, ex quibus petechialis et pestis sumnum malignitatis gradum ostendunt. Scarlatina, urticata, aliaeque similes coniunctim tradendae, et his morbilli subiungendi erunt; variolæ autem et purpura peculiarem et ampliorem requirunt tractationem.

SUBSE-

SVESECTIO I.
FEBRIS CATARRHALIS BENIGNA.

§. 110.

In catarrhali benigna aeger languorem et communia symptomata febrilia sentit, quae, licet per diem leuiora sint, vesperi tamen nouum horrorem excitant, quem aestus excipit, sub quo et reliqua symptomata grauiora sunt, et plus minusque intenduntur, quae versus matutinum tempus demum remittunt. Saepius cum his est cephalalgia insignis, molestus in naribus, faucibus, pectori et in lumbis sensus; quem ad modum vero interdum solo sudore, eoque saepius foetido, soluuntur, sic in aliis destillationes ex naribus, et excretio pituitae ex bronchiis, in aliis vero diarrhoeae, et ut plurimum simul urina cum sedimento morbum leuant. Si leuior est morbi insultus, tertio vel quinto die, si grauior, septimo, vel nono, vel decimo quarto demum febris soluitur.

§. 111.

Caussa proxima est serum acre, in vasis superficie corporis, praecipue quidem cutaneis, sed et narium, et bronchiorum, et intestinorum stagnans: perspiratio enim ex variis caussis suppressa huic morbo occasionem praebet. Hinc ii, qui in aere paludoso viuunt, praesertim vere et autumno, his febribus corripiuntur; attamen et aliis anni temporibus caussae, hanc febrem excitantes, non deficiunt, cum tempestatum vicissitudines una cum aliis victus et reliqui vitae regiminis erroribus, saepius quoque aestate et hieme occurrant, et hunc morbum frequentissimum reddant *.

D

* *Causa*

* Cauffa praedisponens in laxitate systematis arteriosymphatici posita esse videtur, qua serum nimium accumulatur, vel acre redditur, neque per colatoria expellitur; illam tamen vix urgere voluimus, cum causae occasionales saepius breui tempore et hanc dispositionem et ipsam febrem inducant.

§. 112.

Cum vespertinis horis exacerbetur, nec veram apyrexiam habeat febris nostra catarrhalis, ab intermittentibus, et speciatim a quotidiana, facile distinguitur §. 99. a maligna vero, paullo post a nobis explicanda, benignitate symptomatum differt. Licet enim malignae diutius durare soleant, tamen, cum interdum quoque benignae sine vehementia symptomatum iusto longius §. 110. protrahantur, a tempore durationis vera distinctionis nota petenda non est.

§. 113.

Haec febris raro periculum infert, nisi per continuatos diaetae errores, vel minus aptam medendi viam, protrahatur et exacerbetur. Illi igitur, qui valida ceteroquin sanitate gaudent, vix insignia sentiunt incommoda, sed coctio et crisis in primis per sudores blande succedit: in imbecillis autem et acri lymphaticentibus corporibus leuissimus hic morbus caute tractandus est, ne, humoribus nimium commotis, in malignam abeat vel exanthemata proliciantur. Nimius saepe diaphoreticorum et calidiorum remedium usus benignas has febres in malignas mutauit.

§. 114.

Vires vitae, cum morbus grauior non sit, victu parco et somno tranquillo satis conseruantur. Cum etiam materia morbi parca sit, et facile resoluatur et dissipetur.

dissipetur, primaria curatio in diaetae regimine consistit, quo caussae occasioales, quae morbum excitarunt, evitentur et praedisponentes caute corrigan-
tur §. 111. Aer eligatur purus et temperatus; ex una quidem parte refrigerium evitetur, ex altera vero calor nimius conlauium et stragulorum non admit-
tatur; potus sit tenuis et sufficiens, diluendae acri-
moniae accommodatus.

§. 115.

Venae sectio et purgationes curatoriae raro vel numquam necessariae inueniuntur. Licet enim plethora et consuetudo venae sectionem interdum exige-
re videantur, ea tamen saepius sine noxa post mor-
bum superatum remitti poterit; vel plethora ipsa per
blandum morbum et in eo occurrentes euacuationes
dissipatur: cruditates autem primarum viarum in no-
stra febri vix adeo urgent, ut euacuationem requirant.

§. 116.

Indicatio curatoria id exigit, ut resolutio mate-
riae morbosae praefetur, quo facilis coctio bonam
crisis efficiat, quae denum suo modo adiuuanda est.
Prius praefstat potus aquosus, in primis si liquor ter-
rae foliatae tartari ad guttas sexaginta et ultra, tertia
vel quarta quavis hora, exhibetur: Effentiae amarae,
v. c. scordii, vel etiam spiritus nitri dulcis F. 13. in-
terdum, si febris nimirum mitis fuerit, adiiciantur;
reliqua salia media, in primis nitrum, in febre iusto
vehementiore, nec non in leniore insultu extracta
amara, in aqua destillata bonae notae soluta F. 18. 19.
pro scopo resoluendi optime conueniunt, quibus in-
fusa aquosa calida plantarum leniter amaricantium
F. 15. 31. addi possunt.

§. 117.

Si crisis imminent et, quod ut plurimum fieri solet, ad sudorem tendit, illa vel infusis aquofis continuatis, vel essentia scordii, alexipharmacis STAHLLII, mixtura simplici ad guttas viginti, triginta et ultra omni bihorio exhibitis, adiuuanda erit, quibus spiritus acidi dulcificati pro scopo analeptico addi possunt (§. 1366). Diaphoretica calidiora, v. c. spiritus cornu cerui, in primis in plethoricis et imbellicis, evitentur, cum impetum febris saepius praeter necessitatem augeant, blanda enim analeptica, F. 32. his magis conueniunt.

§. 118.

Destillatio ex naribus similibus fere medicamentis adiuuatur: si tussis accedit, et materia acris et pittuitosa reiicitur, vel liquore terrae foliatae tartari vel mixtura pectorali F. 33. resoluatur, vel lenioribus bechicis, ut syrupo capillorum veneris, vel de crysimo LOBELII, spermate ceti cum saccharo cando et aliis F. 34. 35. mitigetur; horum tamen nimia copia exhibenda non erit, ne pulmones inde relaxentur vel primae viae debilitentur. Diarrhoea oborta leni rhabarbarino medicamento, si opus est, adiuuetur F. 36. nec praepostere suppressatur.

§. 119.

Cum aestus in hac febre raro limites excedat, pulueres terrei cum nitro et potionis similes temperantes F. 16. vel iulapia F. 17. raro vel numquam requiruntur, nisi quis crederet, talia quoque pro scopo resoluendi dari posse. Cephalalgia et alia symptomata vel praecedentibus medicamentis leuantur, vel in ipso morbi decursu sensim sensimque, materia morbi

morbi cocta, sopiuntur atque tolluntur, et ideo vix urgentia, cura palliativa suppressimenda, symptomata dici possunt.

SUBSECTIO II.

FEBRIS CATARRHALIS MALIGNA.

§. 120.

Haec febris a praecedente gradu tantum differt, scilicet symptomatum vehementia et duratione, cum raro nono, ut plurimum decimo quarto demum finiatur, vel ad vigesimum primum vel ultra interdum dederetur. Continuam malignam in genere eam appellare et pro differentia caussarum et symptomatum, biliosam, stomachicam, cert. dicere potuissemus; catarrhalis enim eo modo, ut reliquae symptomaticae, speciem tantum sifit: quoniam tamen saepius cum praecedente in ingressu conuenit, vel ex ea male tractata oritur, vel similem caussam habet, vel simili modo epidemice grassatur, et non numquam contagiosa est, catarrhalem malignam, ut principem speciem, exempli loco adducere placuit.

§. 121.

Licet alii hanc febrem petechizantem dicant, et ad quaedam exanthemata interdum oborta respiciant, vel ea ipsi saepe regimine nimio diaphoretico urgeant et expellant; in hac tamen tractatione febrem continuam, grauissimis symptomatis stipatam*, sine respectu ad exanthemata describendam esse iudicamus, cum haec tantum interdum accedant et aliam morbi speciem exhibeant. Erit itaque haec tractatio generalis, quae postea variis symptomaticis et ex-

anthematicis febribus declarandis multum lucis adfundit.

* Nostrates ut plurimum febres has acutas dicunt ardentes, hizige Fieber, in primis si aetus ad insignem aliquem gradum increscit; sed febris vera ardens, quae inter nostros ciues ratissima est, in continentium febrium tractatione declarabitur.

§. 122.

Aegri mox sub initium huius febris tam insignem languorem sentiunt, ut erecto capite vix subsistere queant; accedunt dolor artuum et uniuersi corporis, cephalalgia, obnubilatio sensuum, fastidium ciborum, praeципue carnium, conatus vomendi, terrores, lipothymiae, anxietates. Versus vesperam horror incursat, quem aetus grauior excipit, pulsus celer et fortis, non numquam debilis, nox infomnis, deliria; matutino tempore symptomata mitiora fiunt, sed versus vesperam denuo exacerbantur, saepiusque alternis diebus vehementior morbi ingressus est.

§. 123.

Haec symptomata plurima, vel non nulla ex iis, interdum secundo vel tertio die morbi accedunt, et subito ad quintum et septimum intenduntur; saepius tamen, et si primis diebus febris, tamquam catarrhalis benigna, §. 110. appareat, si animus tristis metuque abiectus cum agrypnia in aegro obseruatur, morbus grauior latet, qui quinto vel septimo die euoluitur, vel interdum tardius et undecimo, vel decimo quarto demum die symptomata pessima inducit, cum materia morbi lente extricata haud raro deterior euadat.

§. 124.

§. 124.

Causa proxima in acri sero posita est, quod ob summam humorum dyscrasiam, et in primis ob debilitatem solidorum nec rite ex sanguine euolui, nec per consueta corporis colatoria expelli potest. Causae praedisponentes variae sunt: perspiratio saepius et iterato suppressa, acres particulas ex corpore secernendas repellens; secretiones reliquae, serofae in primis, non rite succedentes; cruditates non quidem pituitosae, sed potius rancidae et biliose in primis viis haerentes; nimia defatigatio corporis et animi, ira praecipue et moeror.

§. 125.

In causa proxima huius et sequentium febrium declaranda generalem acrimoniae ideam tantum adducimus, cum depravatam humorum mixtionem siue dyscrasiam in omni febre accuratius definire nequeamus. Attentio quidem medici ad causas occasionales et praedisponentes interdum indolem acrimoniae singularem detegit; quoniam vero idiosyncrasia naturalis et morbosae in variis hominibus varia comprehenditur, et evolutiones humorum in minimis vasis per ipsum febris decursum saepius ad malignitatem rendunt, ipsaque contagia et miasmata non satis cognoscuntur, specialiorem causae proximae definitiōnem exhibere haud possumus.

§. 126.

Occasionem huic febri praebent, et illam quasi latitatem euoluunt aeris vicissitudines subitaneae, animi affectus grauiores, venae sectio intempestive administrata, purgationes drasticae et aliae euacuationes validae, nec non variii diaetae errores, quae

cuncta, dum humores vehementer commouent, caussam praedisponentem ex similibus caussis collectam, siue morbosam aliquam humorum dyscrasiam extricant, et febrim ita accendunt. Ex his generalis febris malignae diagnosis patet, et frequentior in sic dictis catarrhalibus obseruandi occasio occurrit: specialis autem morbi decursus in variis subiectis pro caussarum et symptomatum differentia ita variat, ut ille in quolibet individuo singularem quasi exigat dijunctionem.

§. 127.

Haec febris numquam sine periculo et saepius molestissima est; in primis tamen corpora laute nutrita, ad cacoehymiam proclivia, infirmita et senilia, grauiores morbi impetus experiuntur. Subitanea virium prostratio et inquietudo summa p[re]a aliis signis periculum imminere testantur: pulsus aequalis et fortis bona praenunciat, debilis et inaequalis contraria. Si signa coctionis adsunt, et aliqua morbi remissio obseruatur, stupor et torpor moderatus et surditas non numquam bonum morbi exitum lentamque resolutionem et expulsionem materiae morbosa[rum] indicant (§. 1296).

§. 128.

Virium vitae summa prostratio et vis morbi ingens^{*} indicationem vitalem quam maxime attendandam esse declarant, et cum vires victu et somno parum refici soleant, ea, quae illas magis deiiciunt, omni modo vitanda sunt. Venae sectio igitur prophylactica raro et non nisi in eo casu, ubi plethora urget, tuncque in principio morbi tantum concedenda est, alias enim subducendo conuenientem humorum

morum massam motus resolutorios infringit. Euacuationes per vomitum, aluum et sudores in primis paullo fortiores prorsus euitentur; aeger in conclavi temperato et paullulum obscuriore, stragulis moderate tectus, detineatur, nec ulla occasio detur, qua ab obiectis externis nimium commoueatur.

* Vires vitae ex pulsu potissimum et respiratione diuidet medicus (§. 1341.) Etsi enim in deliriis saepe magnum robur in actionibus animalibus appareat, in vitalibus tamen saepe obseruatur nullum; e contrario sub torpore tranquillo et languore moderato vires internae excitatae potius deprehenduntur.

§. 129.

A iuseculis carnium et vietu nutriente animali aegri ipsi abhorrent; hinc decocta panis, hordei, aliaeque ptisanae F. 37. 38. succo citri acidulae redditae, reficientem potius, quam nutrientem potum exhibent. Qui eum vero fermentatum expetunt, iis cerevisia securidaria vel alia tenuis, interposito tamen aquoso, interdum concedatur. Cerasa sicca et cocta, vel succus eorum cum pauxillo panis albi, pulpa pomorum borsdorffianorum, gelatina ribesiorum et similia optime conueniunt. Iulapia F. 17. 39. saepius pro simili scopo exhibentur.

§. 130.

Indicatio cauffalis pro differentia febrium diuersa est: cum etiam ut plurimum a differentia symptomatum ad differentiam cauffae regredi queamus, de ea in fine huius tractationis fusius dicturi sumus, nunc potius ad ipsam febris curationem unice respicientes. Si itaque aestus summus cum pulsu fatis forti est, tunc medicamenta temperantia, terrea cum nitro, in pulueribus et potionibus F. 16. 40. 41. 42. eundem ali-

quo modo compescunt. Rarius vero aestus febrilis ultra limites excedit, et licet hic in febre biliosa interdum accedat, attamen et in hoc casu inter nostros aegros venae sectio febrim infringens raro locum habet; cum ut plurimum pulsus debilis ostendat, non a copia et impetu humorum, sed a dyscrasia sanguinis et feri, et cius immeabilitate per vasa minima aestum hunc dependere. Opiata et leniora, quibus spasmodus coercetur, hoc in casu summa cum cautela propinanda sunt, ne motus coctioni conueniens supprimatur.

§. 131.

Ex altera parte saepius id necessarium esse videatur, ut vires vitae et ita febris quoque excitentur; si enim pulsus non tantum a celeritate remittit, sed et iusto debilior fit, tunc alexipharmacum et camphoratum, parua et sensim aucta dosi exhibita, optime conueniunt F. 43. 44. 45. caute tamen in his propinandois verisetur medicus, ne nimio horum usu humores agitando, cosdeim ad resolutionem destructoriam et nociuam disponat.

§. 132.

Porro quoque medicus in vera medendi methodo tempora cruditatis, coctionis et criseos attendat et bene distinguat. In cruditate humorum non nisi potu tenui acidulato utatur §. 129. vel medicamento leniter resoluentे, v. c. liquore terrae foliatae tartari addito, materiam morbi ad coctionem disponat, et a calidioribus alexipharmacis ab una parte, ab altera vero a temperantibus terreo-nitrosis abstineat. Coctionis tempore vim vitae analepticis adiuuet F. 32. 44. et tandem crisin obseruet nulloque modo turbet, sed eam, si naturae vires et vias cognouerit,

aptis

aptis remedii*s* iuuet, minime vero vehementioribus impellat.

§. 133.

Soluuntur hae febres lenta saepius materiae morbosae resolutione sive lyfi, in qua omnia colatoria eodem fere modo, ut in statu naturali, peruerse mixtas et noxias humorum particulas blande subducunt; quo facto vires sensim increscunt. In aliis, coctione imperfecta existente, materia morbi non satis mutata in alium locum, et saepius ad telas cellulosas et cutem propellitur. In aliis vera crisis materialis morbi mutantam et subactam per consueta vel minus consueta colatoria euidenti quodam impetu expellit. In aliis tandem materia morbi aeris facta, ad organa vitalia et neruos ducta, subito interficit (§. 1289. seqq.)

§. 134.

In variis his morbi mutationibus officium medici attentam exigit obseruationem omnium actionum, quo cognoscatur, num sibi relinquere, an adiuuare possit aegrum. Praecipue autem ad febris vel auctae vel imminutae varios gradus respiciat, illamque attente moderetur, vires vitae conseruet, et tunc deum naturae succurrat, quando mutationes obortae a viribus vitae inducuntur, motus autem a vi morbi oriundos caute supprimat, uti ex sequentibus cum praecedentibus collatis patebit.

§. 135.

Varietas vero mutationum, praeter febris ipsius decursum, varietatem quoque symptomatum diuidandam offert. Reipiciendum scilicet est, num illa ex vi vitae, an ex vi morbi pendeant? num porro euacuationes obortae spontanæ, an symptomaticæ,

an

an criticæ sint? Quae quidem rerum dubiarum definitio ex iis pœti potest, quae in Pathologiac Cap. IV. de signis morborum prognosticis (§. 1212. seqq.) et speciatim ex tractatione de se- et excretionibus ut signis (§. 1258. seqq.) proposita fuerunt. Compendia autem huius doctrinae repetitio tractationi nostræ illustrandæ aptissima erit.

§. 136.

Sudor tempore cruditatis copiosius erumpens et viscidus debilitat*, fluida tenuia dissipat, spissiora fit; hinc coctionem et crisin difficilem reddit, ideoque diaphoreticis non adiuuandus est, sed præter temperantia terreo-nitrofa et potum acidulum, aerem temperatum et stragula leuiora requirit. Non nulli medicorum aqua primum tepida, postea frigidore, corpora lauant, vel aerem frigiduscum admittunt, quod quidem indicationi cutem roboranti et perpirationem excitanti conuenientissimum est, sed interdum materiam morbi nimis copiosam ad interna viscera repellit. Tempore coctionis perspiratio modica conuenit, minime vero sudor. Si tempore criseos sudor cum leuamine erumpit, et foetore suo malignitatem materiae morbosæ ostendit, apto regimine fouendus et interdum alexipharmacis F. 43. 44. 45. adiuuandus, minime autem urgendus est. Linteorum mutatio non intermittatur, sed caute tantum suscipiatur.

* Ab initio febrium catarrhalium sudor vel natura vel arte excitatus in robustis, in quibus pulsus fortis est, grauissimos morbos saepius ex voto dissipat; tunc vero morbus malignus non est; in debilitate pulsus idem expectari non poterit.

§. 137.

Diarrhoea in febribus malignis accedens saepius morbum leuat, tum illa, quae vel ipso tempore cruditatis oboritur, et humorum seroforum et biliosorum copiam, quibus morbus augetur, euacuat; tum illa, quae instante crisi serosos humores ad intestina propellit. Sed leuamen, quod aegro abinde accedit, bene considerandum est. Iuuatur et coercetur infuso rhabarbari aquoso, vel anima rhabarbari ad guttas sexaginta et ultra, nec non terreis antacidis cum rhabarbaro F. 36. exhibitis. Spasmi et tormina similiaque incommoda simul oborta vel eadem remedia, vel si vires vitae inde frangantur, leniora opiate exigunt F. 46. 47.

§. 138.

Idem ferine de vomitu est dicendum. Hic in principio interdum utilis est, et in febribus potissimum stomachicis blando vomitorio F. 2. promouendus est. In ipso augmento reliquorum symptomatum, viribus aegroti iam fractis, vel inflammationis internae signum iudicatur, vel materiam pessimam in detrimentum aegri mouet. Clysmata blanda lenientia ex decocto auenae excorticatae cum melle et oleo presso, et lenia opiate impetum symptomatis huius refrenant. Faucium inflammatio ut plurimum funesta est.

§. 139.

Haemorrhagia narium tempore cruditatis oborta si magna est, malum leuat et saepius prorsus infringit, ideoque nullo modo turbanda nec cohibenda est. Aliae quoque haemorrhagiae spontaneae, v. c. menstrua eodem modo diiudicanda sunt. Si meticuloſi aegroti medicamenta exigunt, aut tintura florum bellidis

bellidis aut alia acidula ad guttas sexaginta, aut iulapium cardiacum F. 17. aut temperantes potiones cum terreis et nitro F. 40. 41. 42. exhibeantur. Paucae sanguinis guttae ex naribus vel aliis corporis cauis excretae, grauitatem morbi et fractas naturae vires ostendunt, et cum acidorum usu indicationem analépticam exigunt.

§. 140.

Agrypnia non solum molesta est, sed et vires imminuit, et tamen saepius non nisi post ipsam morbi solutionem dispellitur. Forte emulsio papauerina F. 48. eandem ad tempus tollit, vel certe leuat, opata vero minime conueniunt, nisi et alia symptomata eadem exigant. Cephalalgia simili modo diiudicanda est; nitrosi pulueres eandem interdum coercent, quibus non nulli cinnabarinum addunt F. 49. alii grumos panis fecalini acidi cum baccis iuniperi contusis et aceto fronti applicant.

§. 141.

Debilitas post morbum superatum, apto vietu et potu sensim sensimque auctis, leuatur, et somnus tranquillus nutrimentum ingestum et digestum fibris minimis applicat; si aliqua corporis exercitatio accedit, status conualefcientiae et aequalis humorum distributio acceleratur. Cum autem saepius plus ingeneratur, quam a visceribus imbecillis digeri possit, lene rhabarbarinum F. 4. 36. aut infusum laxans F. 6. exhibeatur, et paullo post cortex peruvianus propinetur F. 20. 21. 28. aeger vero omnia intermittat, quae vires animi et corporis infringunt.

SVBSECTIO III.
FEBRIS PETECHIALIS.

§. 142.

Materiam morbi non satis coctam et mutatam, nec
euacuationi aptam, aliena loca petere §. 133-
monuiimus; si igitur ad internas sedes deuehitur, et
febris se remittit, vel prorsus cessat, tunc infarctus
et obstructiones viscerum efficit, quae chronicis
morbis occasionem praebent: quod si vero materia
maligna in internis corporis sedibus haeret, vel in
strata cellularia sub cute posita ducatur, nouaque fe-
bre oborta coquatur et in pus mutetur, abicessus
ipsa format, et his ruptis vel arte apertis, euacuatur.
(§. 1290. 1291. 1300.) Purulenta itaque materia
educta, aeger sanus redditur, in internis vero cauis
haerens pus resorbetur et febribus lentis ansam dat,
nisi noua et rarius occurrente metastasi facta ad col-
atorium aliquod, v. c. renes ducatur et e corpore pro-
pellatur.

§. 143.

In variis his materiae morbosae mutationibus,
quibus illa vel immediate functiones laedit, vel interdum tecta quiescit, vel in diuersis corporis locis
collecta, noua symptomata producit, medicus indica-
tionem certam vix sequi potest; sed has metastases
tantum studiose obseruet, et febris ipsius et in eadem
virium vitae et morbi principis rationem habeat, quo
maligna materia caute ad externas et minus nobiles
corporis sedes alliciatur, ibidem colligatur, coqua-
tur et euacuetur, qua in re chirurgica potissimum
auxilia rite applicanda sunt.

§. 144.

§. 144.

Ad crisin hanc metastaticam quoque referri et pro instituti nostri ratione attentius considerari mereantur maculae et pustulæ variae, in habitu cutis vel eius superficie obortae, quæ exanthemata dicuntur. Dum enim materia morbi, per vasa cutanea transpiratione et fudore dissipanda, nec satis resoluta, nec meabilis facta stagnat, tales maculas et pustulas efficit. Harum tamen est ea differentia, ut interdum materiali morbi non adeo malignam * ab internis corporis sedibus remoueant, ad cutem ducant, ibidemque ulterius coquant, et vario modo dissipent; interdum vero materiali morbi destructoriam factam, internasque partes inflammatione, gangraena et sphacelo sufficientem, tanquam indicia summae malignitatis ad cutem transferant, et mortem propinquam praenuncient.

* Occurrunt forte non numquam exanthemata leniora, a perspirabili materia nullo modo maligna dicenda, in cutis habitu retenta et acri redditæ, quæ per mettafin eo non deduci videtur, cum autem in hac febre motu coctio inchoetur, minime vero perficiatur, leuiorem hanc exceptionem vix attendendam esse putamus.

§. 145.

Ad priorem interdum, saepius tamen ad posteriorem indolem petechiae pertinent, siue maculae cutaneæ rotundæ, vix eleuatae, pulicu[m] morsibus similes, excepto stigmate seu laesionis nota, in media sui parte conspicua, vel maiores et irregularis figuræ, quæ in decursu febrium continuarum malignarum in cute efflorescunt. Hæ si roseæ et parciores sunt, benignæ dicuntur; si vero obscure rubicundæ, liuidæ, nigricantes et copiosores sunt, pessimam harum indolem et mortem propinquam indicant.

§. 146.

§. 146.

Febris petechialis, quae, ut catarrhalis maligna, epidemica plerumque et contagiosa est, symptomata pessima ostendit. Ex his praecipua sunt, summa imbecillitas, lipothymiae, fitis ingens, vel interdum quoque nulla, lingua arida vel squalida, saepius exigui vel nulli motus febres, pulsus debilis et inaequalis. Quarto vel quinto die, vel paullo tardius petechiae conspicuntur, quae vero interdum subito iterum euaneantur; urina turbida vel saepe naturalis visa, horror et conuulsio, quae regressum petechiarum comitantur, funelium utplurimum inducunt morbi exitum.

§. 147.

Causae, proxima et praedisponentes cum iis, quas in catarrhalis maligna exposuimus, conueniunt §. 124. grauitas vero morbi a subtiliori materiae morbosae resolutione et acrimonia, magis actiua reddit, dependet. Dubium quidem est, quidnam sit illud contagiosum, quod et in aegroto euoluitur et vicinis corporibus communicatur, cum nec mixtiones minimas perspiciamus, nec differentiam morborum symptomatum adeo definire queamus, ut ab iis ad materiam ipsam concludere valeamus. Duas vero eiusdem proprietates, scilicet halitusam et multiplicatiuam maxime attendendas esse, experientia docuit.

§. 148.

Halitusam indolem inde cognoscimus, quod non tantum aeri, stragulis et vestibus, sed et corporibus vicinis contagium ipsum communicatur; quod in calidioribus regionibus praecipue euoluitur, in
E frigi-

frigidioribus vix tanta vehementia facuit; quod etiam varia anni tempora contagio euoluendo plus minusque fauent. Multiplicatiuam vero indolem ex motu intestino sanguinis et humorum, per caussas morbosas intenso, explicandam esse censemus; hic vero non a motu progressu aucto dependet, saepius enim vis cordis et arteriarum exigua est; sed a natura particularum malignarum, summe mobilium et acrum, quae nimurum globalis sanguinis fani putridam, vel huic simillimam, indolem inducunt, idque celeritate quadam per motus corporis animalis vix explicanda.

§. 149.

Ex his ideis celere morbi et symptomatum incrementum facile declaratur, contagiosa enim morbi materia non tantum ex sanguine et sero euoluit, sed ad seroso-lymphatica vasa, immo ad nervos penetrat; vel contagium, ab aliis corporibus illatum, mox ab initio nervos afficit et tandem in reliquis humoribus se euoluit: Hinc etiam non infirma tantum et cacochymica, ad euolutionem materiae febrilis pree aliis disposita visa corpora, sed robusta etiam et sana penetrat materia contagiosa, in illis motus morbosos excitat, et vires cito deicit.

§. 150.

In castris saepius, et ubi multi hemines in aere paludosso et putrido simul vivunt, intensum calorem de die, refrigerium de nocte experiuntur, crudo vidente nutriuntur, fructus horaeos saepius immatuos edunt, aquas impuras et vina iuniora non rite fermentata bibunt, hic morbus oritur, subito propagatur, et nisi remediis aptis coereccatur, in augmento suo

suo, semper vehementior redditur; hinc febris hungarica dicta, febris carcerum s. *the goat-fever*, et aliae similes epidemicae contagiosae a variis auctoribus scriptae, licet non numquam in symptomatibus variant, ad nostram tractationem pertinent, cum ex idea febrium petechialium diiudicandae sint.

§. 151.

Ex symptomatum igitur grauitate et contagiosa indole, nec non ex ipsis petechiis praesentibus morbus hic cognoscitur *. Si diarrhoea cum leuamine et sudor multus foetidus morbum soluunt, viribus vitae utcunque constantibus, aliqua spes salutis superest, in primis si petechiae rubellae apparent. Febris exigua vel nulla, inquietudo et anxietas summa, euacuationes incompletæ, petechiae liuidæ et nigrantes, lethalitatem indicant.

* Petechiae non semper efflorescent: loco earundem interdum purpara alba maligna, vel similes pustulae cutaneae conspicuntur; malignitas igitur et contagium præcipue consideranda sunt, et uti in præcedenti tractatione febres malignas plurimum non contagiosas, sic in hac tractatione eas vix non semper contagiosas sub petechialium nomine proposuimus, et tractationi de peste præmisimus.

§. 152.

Qui circa hos aegros versantur, iisque auxilium ferunt, medici in primis, lintea et vestimenta saepius mutent et aeri liberiori exponant, saliuam crebrius exspuant, os aceto vel vino rhenano eluant, corpus saepius lauent, in aere puro et temperato, quantum fieri potest, viuant, nec corporibus aegrorum halitusis corpora motu agitata, aestuantia et sudantia, audacter nimis admoueant. Nimius me-

tus saepe plus, quam ipsum contagium nocet, iuuat vero animus tranquillus, diaeta accuratior, in primis ea, quae perspirationem intra limites sanitati conuenientes conseruant.

§. 153.

Circa indicationem vitalem ea valent, quae supra §. 127. 128. commemorauimus, quoniam tamen in his morbis causa praedispone ns, actuosa, non raro in primis viis, et praecipue in ventriculo et duodeno, haeret, mox in principio attendendum est, an specialia indicantia adsint, quae euacuationem primarum viarum urgunt, quo in casu lene vomitorium F. 2. praestantissimum est, quod si vero contraindicans occurrat, laxans F. 50. 51. et hoc etiam repetitum exhibeat ur. Sudor nec conclauibus, nec fragulis, nec medicamentis calidioribus excitetur, sed perspiratio regimine conuenienti adiuuetur; sudor tamen largus, foetidus, per vires vitae tantum excitatus, nullo modo cohibendus est. Si in plethoricis venae sectio requiritur, illa omnino caute et ante, quam virium fractarum signa apparent, instituenda est.

§. 154.

Si petechiae retrocedunt, pulueres bezoardici cum camphora, vel alia medicamenta alexipharmacae F. 43. 44. 45. parca, sed repetita dosi propinanda sunt, quo maligni humores ab internis sedibus auertantur, et ad habitum cutis ducantur. Iulapia et ptisanae acidulatae F. 39. 52. 53. quae putredini resistunt, et materiem acrem diluunt, crebrius exhibantur, praeter ea vero symptomatibus, quantum fieri potest, occurratur; quae cuncta, cum in praecedenti

cedenti tractatione §. 136. satis exposita sint, nunc
lubenter omittimus.

SVBSECTIO IV.

P E S T I S.

§. 155.

Si caussae superius enarratae §. 124. 147. seqq. adeo
increscunt, ut cum utensilibus communicentur,
et contagium quasi uniuersale fiat, id, quod in cali-
dioribus regionibus, in primis illis in locis, ubi aquae
stagnantes putrefactant, interdum euenit; tunc lanae
et pellibus potissimum et variis arte inde praeparatis
materia morbosa ita se insinuat, ut cum his in dissi-
tas regiones transferatur et per contagium ultius
propagetur; quod in peste massilienfi et aliis hoc
ipso seculo tristi experientia cognouimus. Hinc in
regionibus europaeis, ad mare mediterraneum po-
tissimum fitis, eura habetur, ne contagium per
commercia introducatur.

§. 156.

Pestis itaque est vehementissimus febris epidemi-
cae vere malignae gradus, a pessimo contagio corpo-
ribus ad illud suscipiendum aptis inductus. Maior
malignitas, quam in praecedente febre, ex grauitate
symptomatum et celerrimo morbi progressu perspi-
citur, ita tamen, ut pro varietate locorum et anni
temporum impetus morbi et contagiosa indoles in-
tensior vel remissior sit. Calidum clima et aestas pe-
stem magis fouent et incitant, frigidum clima et
hiems vehementiam eius minuant et prorsus infrin-
gunt.

§. 157.

Sunt, qui in peste subito concidunt, et mortem fere citius, quam alia symptomata, experiuntur; aliū vero vel secundo, vel tertio die, vel tardius moriuntur. Vbi contagium sulcepitum eit, trititia et subitanæ summaque virium prostratio aegrum inuadunt, oculorum et faciei vigor perit, horror externas, aestus internas partes afficit, lingua sordida, fissâ, saepius sanguinolenta, odor cadauerosus ex ore, pulsus debilis, celer et mollis, nausea, conatus vomendi et alia malignitatis symptomata obseruantur.

§. 158.

Caussa in celeri putredine vel destructione partium internarum huic simillima, consistit, quae per contagium partim ad humores ducitur, et celerrime propagatur, partim ipsos nenuos singulari aliquo modo afficit; prius dissectionibus cadauerum eorum, qui peste perierunt, patuit, signis nimirum corruptionis in omnibus fere visceribus obseruatis; alterum vero celerrima virium prostratio docuit. In primis autem bilis corrupta et summa quoque humorum resolutio, quae cor et vasa turgida reddidit, inuenta fuerunt, quam ob caussam haec etiam cadauera citius patrescunt. De natura contagii, in quo caussa proxima ponenda est, supra §. 147. seqq. diximus, caussæ vero prædisponentes et occasio[n]ales vix enumerari possunt, cum sine ullo discriminâ valida aequa ac infirma corpora ingrediatur pestis, paucis exceptis, in quibus nulla ad contagium suscipiendum est dispositio.

§. 159.

Ex statu igitur epidemico et contagioso pestis ipsa cognoscitur. Prognosis vero maxime dubia est, cum

vix definiri queat, quinam prae aliis euadant. Consuetae crises et euacuationes vix expectentur; materia enim morbi adeo actuosa et maligna est, ut circulo humorum non coqui possit, sed vasa destruat. Sudor copiosus, interdum in principio suscepti contagii obortus, morbum magis areet, quam critice expellit. Illi igitur felicissimi sunt et saepius euadunt, in quibus materia morbi mox ad peripheriam corporis ducitur et in bubones et anthraces cogitur; in his tamen vera coctio in pus non semper succedit, sed tumores critici una cum materia maligna, si fieri potest, excindendi, vel certe solito citius aperiendi sunt, in primis cum saepius subito recedant, alia loca externae superficie corporis petant, non raro tamen ad interna referantur.

§. 160.

Optimum auxilium in fuga consistit: sufficit tamen saepius, si illi, qui contagium timent, ex ciuitatibus populosioribus, in quibus pestis grassatur, sedent et ruri viuant, vel omni attentione habita, domum propriam a contagio liberam seruent, quod tamen rarissime succedit, nisi situs aedium separacionem a commercio cum aliis hominibus admittat. Cum autem multi homines, in primis medici, his calamitatibus publicis se subtrahere nequeant, ea obseruent, quae §. 152. exposuimus.

§. 161.

Praeseruare aegros melius possumus, quam curare, ideoque praeter ea, quae §. 160. exposuimus, acida in primis conueniunt. Acetum vel simplex, vel cum herbis alexipharmacis, ruta, absinthio, cet. digestum, succus citri, guttulae aliquot spirituum

acidorum mineralium, aquis diapnoicis, iulapiis vel ptisanis admistae, haustus vini rhenani, vel similis generosi optimam medicinam exhibent. Observetur praeter ea diaeta accurata, vitetur venus, ebrietas, omnis corporis et animi defatigatio et incalescens. Vestimenta ex linteo cerato optima sunt, cum lana, et quae ex ea parantur, contagium facile suscipiant. Animus tranquillus et fortis plus iuuat, quam omnia remedia. Euacuationes aluinae blandae in his, qui contagium nondum suscepserunt, convenient, sed in aliis res valde dubia est, cum in corpore peste affecto nihil omnino mouendum sit.

§. 162.

Cum vis vitae valida contagium vel arceat, vel ad exteriores corporis partes pellat, in hac unica salus posita est: alexipharmacum, theriacalia et diaphoretica medicamenta a multis laudantur. Si quaedam specifica sunt, non valent in omni peste, et multi moriuntur ante, quam indoles contagii pestiferi et solatum a medicamentis petendum satis innotescat. Febris sic dictae pestilentiales, quae gradu a peste differunt, ut catarrhales vere malignae et petechiales considerandae et curandae sunt*. Auertat omnipotens hoc malum a nostris terris, in quibus etiam ob climatis temperie non adeo, quam in orientalibus regionibus, faeuit.

* Praeter alia scripta de peste in primis legi meretur : Traité des causes, des accidens et de la cure de la peste. à Paris 1744. 4. in quo libro, curante Ill. CHICOYNEAU, archiatro Regis Galliae, edito, de peste maliensi praecipue uiles observationes continentur.

SUBSECTIO V.

FEBRIS SCARLATINA, CET.

§. 163.

Exanthemata metastasis materiae marbosae ostendere et interdum, ut in febre petechiali et pete, materiae malignitatem indicare, rarissime autem in nunc citatis, saepius tamea in exanthematum reliquorum generibus, materiam morbi non adeo malignam ab internis sedibus arcere, et ad plenariam coctionem et crisi praestandam ad cutem ducere supra iam indicauimus §. 144. Nunc itaque de praecipuis exanthematum generibus, quae in se benigniores indolis sunt, et per accidens interdum maligniores funt, accuratius dicendum est.

§. 164.

De omnibus his in genere notandum est, ea peculiarem quandam materiae marbosae mixtionem ostendere, et in pustulis ipsis et maculis cutaneis utique differentiam prodere, quae quidem ad aliquas species certas reduci, minime vero ratione diuersae idiosyncrasiae subiectorum satis certo definiri potest. Porro quoque attendendum est, materiam morbi siue miasma peculiare contagiosum esse, ideoque hos morbos raro inter sporadicos, saepius inter epidemicos referendos esse.

§. 165.

Forte nimis audacter §. 163. adsumsimus, materiam morbi in his exanthematibus non adeo malignam esse, sed de asserti veritate conuicti sumus: respximus enim ad miasmatis in se considerati indolem, cuius contagium in sanis suscepimus, nec per-

uersa medendi via nec regimine malignius redditum, semper morbi benigni symptomata producit. Quod si vero causae praedisponentes et occasioales ita habeant, ut putrida humorum indoles moueri et malignitatis signa, qualia in febribus petechialibus descripsimus §. 146. 151. appareant, tunc forte contagium per accidens malignum factum fuit, vel materiam malignam aliis indolis exagitauit, ita, ut cum exanthematici hi morbi febrem semper coniunctam habeant, hauc in se quidem benignam, tunc tamen in malignam, immo pessimam conuertere queant.

§. 166.

Ex his febribus exanthematicis frequentiores sunt illae, quae catarrhales dici possent, cum ut plurimum sub specie catarrhalis benignae ingrediantur §. 110. tertio autem quartoue die totus habitus cutaneus cum pruritu rubet et calet. Si aequalis rubor est et vix eleuata cutis apparet, scarlatina febris appellatur, si vero pustulae sparsae albidiiores, vesicula ruin in modum, rubori insident, idque cum pruritu exquisitiore, tunc urticata febris dicitur. Perspiratione sub apto regimine ex voto succedente, intra paucos dies rubor cum desquamatione cuticulae fecedit, et aeger sensim pristinae sanitati redditur, manifesto indicio, erysipelaceam inflammationem superficiem cutis tantum occupasse.

§. 167.

Cum praecedentibus ratione symptomatum conuenit febris oedematosa erysipelatodes, quae faciem praecipue occupat, nostris der Baurenwezel dicta, ubi caput solum ad confinia collis usque intumescit et rubet, intersperlis non raro copiosis vesiculis, ichore reple-

repletis; palpebrae etiam potissimum tument, ut oculi fere claudantur, anxiaque respiratio cum siccitate oris et narum obseruatur. Singularis porro morbi indoles est ea, quae in aliqua corporis parte, potissimum supra umbilicum ita appetat, ut quasi zona quaedam rubens variis pustulis vel vesiculis ichore repletis obseffa conspiciantur. Reliquas erysipelatis species, in aliis partibus obortas, nunc non tangimus, licet etiam febre plus minus insigni coniunctae sint.

§. 168.

Causa quidem proxima in acri sero, ad corporis superficiem pulso, quaerenda est; occasioales quoque eadem sunt, quas in catarrhali benigna adduximus, sed praedisponens est singularis acrimoniam seri, quae vasa vellicat et stringit, ideoque haud permittit, ut tubulos cutaneos extremos transeat, sed dum in iis haeret, leuem inflammationem efficit. Diagnosis igitur ex modo dictis et historia morbi abunde patet.

§. 169.

Prognosis varia est. In infantibus et iunioribus acri lympha non scatentibus, haec exanthemata nec diu durant, nec grauiora symptomata inferunt: Senilia vero corpora, vel quae acrimoniam habitualem obtinent, diuturniorem morbum et symptomata grauiora sustinent, ita, ut in his saepe transitus in purpuram eamque malignam eueniat. Negligentia in obseruando blando et diaphoretico regimine pessimum reddit morbum; regrediens enim materia morbi vel tunc, quando perspiratio blanda in morbo ferme superato reliquias eius expellit, pessima perturbationis criticae symptomata, v. c. deliria excitauit.

§. 170.

§. 170.

Angina grauior, quae saepius cum his morbis praecipue scarlatina et erysipelatode febre, coniuncta est, magis attendatur, quam exanthemata ipsa; cum his superatis illa saepius molesta sit. Et tussis non raro coniuncta est, vel post superatum morbum remanet, quae omni igitur cura examinanda et dissipanda est. Cognita enim analogia superficie corporis perspirantis et internae bronchiorum, facile apparet, materiam non satis coctam tristi metastasi ad bronchia deferri, et infarctus et scirrhos, indeque tusses chronicas et asthma relinquere, tandemque febrem lentam cum phthisi inducere.

§. 171.

In morbo autem abigendo omnia fere valent, quae in febre catarrhalis benigna §. 114. 115. commendauimus. Cum etiam materia morbi per habitum cutaneum expellatur, perspiratio lenioribus diaforeticis adiuuetur §. 117. non vero urgeatur. Symptoma forte accidentia, angina et tussis §. 170. ex aliis praxeos capitibus dijudicentur et carentur. Hoc etiam valet, si morbus grauior redditur, ubi plura repetenda sunt, quae de febre maligna diximus.

SUBSECTIO VI.

MORBILLI.

§. 172.

Ad febres exanthematicas quoque referuntur morbilli, qui multa cum variolis communia habent, et ideo illis subiungendae essent; quoniam vero haec exanthemata parum eleuata, quoad ortum, mutationes

tiones et medendi methodum ad ea quoque accedunt, de quibus iam exposuimus, de iis ipsis nunc dicendum esse arbitramur. Raro sporadice, saepius epidemice, grassantur morbilli, et tunc saepius benigni, rarius maligni obseruantur. In iunioribus utplurimum accedunt, interdum in adultis pauci sunt, qui ab iis liberi manent, paucissimos altera vice si vere umquam inuadunt. Roseolas, die Rötheln, a morbillis parum differre et forte mitiores esse experientia me docuit.

§. 173.

Ingressus morbillorum est, ut omnium reliquarum febrium exanthematicarum. Infantes non raro per plures dies ante eruptionem tussi sicca vexantur. Post ea symptomata febrilia interdum mitiora, interdum grauiora excitantur; tussis sicca, sternutatio frequens, oculi lacrymantes et rubore circumfusi *, ut plurimum conspicuntur. Conatus vomendi vel vomitus interdum praecedit eruptionem, diarrhoeae saepius et in principio morbi, et in continuato eius decursu accedit.

* Hoc signum praecipue ut pathognomonicum a multis auctoribus adsumitur, idem tamen et in aliis exanthematicis interdum, frequentius autem in nostro occurrit.

§. 174.

Pustulae ipsae tertio vel quarto circiter die, raro citius erumpunt et rubrae et paruae sunt, sensim latiores fiunt, interdum distinctae, saepius post breve tempus confluentes, parum vero eleuantur, et partim ob hanc cauflam, partim etiam, quod in facie quoque conspicuntur, a purpura differunt; in omnibus enim fere corporis locis deprehenduntur morbilli,



billi, in dorso copiosiores adsunt, cum haec pars maiori calore foveatur. Cum his papulis et cutis uniuersa et potissimum palpebrae tument, sed non adeo, ut in variolis: nullam enim suppurationem subeunt, sed septimo vel octavo die pallescunt et interdum sine desquamatione cuticulae discutiuntur, saepius vero, ut in praecedentibus exanthematibus euidens desquamatio obseruatur.

§. 175.

Causa proxima in contagio quaerenda est, quod peculiaris naturae deprehenditur. Prognosis ex natura morbi, et in primis constitutione epidemica, petatur. In impuris corporibus, praecipue si errores in diaeta et medendi methodo committantur, saepius purpura accedit, quae ex sua indole dijudicanda et curanda est. Cum miasina vi ipsius febris ad superficiem corporis pellatur, ac in eadem sustineatur, methodus medendi ex antecedente tractatione petenda est. Calidum regimen in diaeta et medicamentis vix non semper nocet, in primis cum in hoc morbo febris rarius iusto debilior sit. Tussi, tamquam symptomati primario, medicamenta bechiaca, infusa scilicet et syrapi medentur F. 54. 55.

SUBSECTIO VII.
VARIOLAE.

§. 176.

Variolae sunt exanthemata cum febre accendentia, quae a Graecis haud descriptae, Arabum tempore potissimum innotuerunt; cum vero ab his non satis accurate explicatae fuerint, in scriptoribus seculorum

lorum sequentium morbi historia satis declarata deprehenditur. Variolae itaque sunt contagiose, indeque epidemicæ et iuniores potissimum inuadunt; qui tamen in hac aetate liberi ab illis manferunt, saepe in adulta, immo in senili, contagio accedente, iis afficiuntur. Pauci forte ab hoc morbo prorsus immunes sunt; in quibusdam enim, licet paucissimis, febris variolosa sine eruptione exanthematum accedit. An, qui variolis semel laborarunt, altera vice hoc contagio affici queant, dubia adhuc quaestio est, et exempla adducta nihil certi definire videntur.

§. 177.

Est vero in exanthematis, ad variolas relatis, maxima differentia: aliae enim dicuntur verae, aliae spuriae, et hae quidem, si duriores sunt atque acuminatae, *Steinpocken*, *Spizpocken*; si sero quo-dam humore scatent, *Wasserpocken*, *Windpocken* inter nostros appellantur. Hae quidem spuriae cum exigua febre et raro copiosæ sunt, leuiora symptomata et parum periculi ostendunt, plerumque enim blando regime diapnoico dissipantur, raro diu durant, et vestigia quidem aliqua, sed paullatim evanescentia in cute relinquunt.

§. 178.

Verae autem variolæ sunt pustulae, quae post varia symptomata febrilia interdum leuiora, interdum grauiora, in tota corporis superficie, non numquam simul in lingua et fauicibus, forte etiam in internis corporis sedibus, propullulant, ab initio paruæ paullulumque acuminatae sunt, sensim sensimque eleuantur, suppurationem subeunt, pure emissæ vel exsiccatæ, cuticulam desquamant et foueas in cute

cute relinquunt. Morbus hic decimo quarto die interdum fuitur, si benigniores sunt variolae, raro cito, tardius saepe, si copiosae sunt et confluentes, pessimaque symptomata malignitatis coniuncta habent.

§. 179.

Causa proxima variolarum in miasmate quodam singulari posita est, quod sanguinem et humores seroso-lymphaticos inquinat, et per commercium cum hominibus variolis affectis propagatur. Miasma ipsum in sua natura non satis definitur, et dubium adhuc est, num detur fomes variolosus semper continuatus, an vero particulae variolosae denuo generentur? Contagiosum esse experientia satis confirmavit, licet non negemus, aliquam dispositionem in hominibus requiri, cum ex insigni hominum copia pauci sint, qui contagium non suscipiant.

§. 180.

Causas praedisponentes et occasioales sigillatio recensere, vel a contagio distinctas, declarare vix possumus. Licet enim certum sit, eos, qui lauiori vietu nutriuntur, grauius decumbere; inde tamen tantum patet, febrem cum contagio varioloso accedentem, alia quoque miasmata morbosa in corpore latitantia euoluere §. 165. Animi affectus vehementiores, in primis metus et terror, contagii receptionem et evolutionem iuvant, cum humores et nervos agitando, vim miasmatis quasi allicant et fortius impellant.

§. 181.

Quando itaque variolae iam epidemicae graffantur, illis, qui contagium suscipere possunt, illudque timent, nulla alia curatio prophylactica suadenda est,

est, quam diaeta accurata, in omnibus sex rerum non naturalium capitibus obseruata, et, quantum fieri potest, fuga contagii. In plethoricis venae se-
ctio prophylactica dissuadenda non est, sique in pri-
mis viis faburra haeret, lenia laxantia, eaque repe-
tita materiam morbo augendo aptam subducant.
Ptisanae diluentes et leniter resoluentes F. 25. 38.
non improbandae sunt.

§. 182.

In variolis corpora sicciora magis periclitantur,
quam laxiora: hinc senibus ut plurimum funestae
sunt, obesa tamen corpora et succiplena variolis sus-
cipiendis raro apta inueniuntur. Feminae graui-
dae et eae, quibus catamenia, stato licet tempore,
fluunt, maxima cum cura tractandae sunt. Aestate et
hieme ut plurimum benigniores esse solent, quam
vere et autumno; in decursu morbi epidemici, non
numquam menses occurunt, ubi variolae benignio-
res sunt, alii, ubi malignae euadunt: Differentia ta-
men subiectorum magis attendenda est, quam tem-
pestatum vicissitudines.

§. 183.

Haec de generali morbi historia et caussis breui-
ter indicata sufficiant. De ipso autem ingressu, pro-
gressu et decursu variolarum et quoad prognosin et
quoad symptomata concomitantia et curationem, ni-
hil certi enunciari poterit, nisi morbum ipsum in
quatuor stadia distinguamus, et eorum decursum et
accidentia sigillatim pertractemus.

§. 184.

Primum stadium est contagii, ubi febris plus minus vehemens continua oritur, et ubi ex epidemica dispositione variolas instare vel suspicamur, vel certo cognoscimus, quae tandem in secundo stadio, quod inflammationis dicitur, sensim sensimque erumpunt et maiores sunt. In tertio stadio suppuration incipit et perficitur, in quarto tandem, quod stadium est conualecentiae, exsiccatio pustularum et desquamatio obseruatur. Haec stadia ulterius distinguere et plura constituere, superfluum videtur.

§. 185.

Variolae imminentes varia in variis producunt symptomata, inter quae plurima ex iis sunt, quae de febre catarrhalis benigna et maligna §. 110. 122. adduximus; sequentia tamen prae reliquis adnotanda, et circa eruptionis initia potissimum attendenda sunt: propensio in sudores, vomiturito, dolores acuti circa praecordia, hypochondria et lumbos, diarrhoea, haemorrhagia narum, splendor oculorum, stupor, somnolentia, deliria, conuulsio. Gratia haec circa initium oborta symptomata grauem morbum prænunciant, mitia mihiorem, sed nihil in his perpetui. Exspectanda est eruptio ipsa, qua facta, si res bene succedit, remissio symptomatum fit, contrarium contraria prænunciat.

§. 186.

Ex crebra autem obseruatione cognouimus, in primo stadio conuulsiuos motus non adeo timendos esse; vel enim neruos agitando, naturam in expellendo miasmate iuuant, vel non a miasmate varioloso, sed a faburra primarum viarum pendent, et haud raro

raro diarrhoea spontanea oborta mitescunt; namque haec dummodo colliquatiua non sit, acrimoniam tubi intestinalis, quae morbum asperiorem reddit, immunit et euacuat. In iunioribus et plethoricis haemorrhagiam narium et mensium fluxum cum successu procedere, experientia docuit.

§. 187.

In curatione febris habeatur ratio, et, si illa mox in principio urget, et aestus sumimus cum pulsu celeri et forti, immo duro sese exserit, venae sectio grauiorem inflammationem cohibeat: ipsae vero variolae, ut pustulae inflammatiae consideratae, continuata venae sectione cohibendae non sunt, cum miasma ipsum inde non tollatur. Eo tantum respi- ciat medicus, ut motus destructorios cohibendo, re-solutorios non supprimat. (§. 1516.) Rarius etiam in nostro climate, et in summe plethoricis tantum, aestus adeo increscit, ut alia auxilia, quam antiphlogistica, exigantur: Eligantur itaque terreo-nitrofa et acidula F. 16. 17. 49. et doses aetati accommo-dentur.

§. 188.

Si symptomata grauiora sunt, et simul pulsus celer et debilis animaduertitur, pulueribus terreo-nitrofis aliquot grana myrrhae vel camphorae addi pos-sunt F. 43. 45. Eruptionem vero variolarum calidis medicamentis excitare periculosum est et saepius nocuit; frequentius enim febris aucta, quam immi-nuta nimis, in hoc morbi principio deprehenditur. Si tamen vis vitae alexipharmacis adiuuanda est, le-niora medicamenta parca et repetita dosi exhibeantur. F. 32. 44.

§. 189.

Eraeuantia, et vomitoria et laxantia, non exhibenda sunt, nisi indicatio specialis urgeat, in quo casu tamen leniora, et statim in principio propinanda sunt. F. 56. 57. 58. Sed cum nausea et vomitatio haec saepius exigere videatur, respiciendum omnino est, an symptomata haec ab inflammatione ventriculi oriuntur, quo in casu vomitus non adiuuandus est. Vomotoriis enim inox in principio datis, sine indicatione speciali impetum morbi auertere et mitigare haud tutum esse videtur.

§. 190.

Sunt quidam, qui et in huius morbi initio contagio variolofo specifica opponunt; qui illud verminosum iudicant, mercurialia, qui alcalinae indolis esse adferunt, acidum vitrioli, et non nulli recentiorum infusum picis liquidae extollunt; alii alia laudant. Cum autem miasmati variolosi indeoles nondum satis definita sit, et varia corporum idiosyncrasia varia saepius exigat remedia, specialibus potius mendendi viis, per indicationes confirmatis, infistere, quam generalia specifica adsumere conuenit.

§. 191.

Prae reliquis igitur regimen diaeteticum aptum praescribatur: aer sit temperatus; conclave obscurum; stragulis non oneretur aeger; victus propinetur parcus et tenuis; iuscula nutrientia, oua et diaeta carnium prorsus evitetur; concedantur tamen interdum iuscula tenuia cum farinaceis cocta, addito succo citri. Ptisanae acido citri vel minerali quodam gratae redditae, iulapia acidulata, quibus interdum cardiaca addantur, exhibeantur F. 59. fructus horaei

raei siccati et cocti, vel gelatina ribesiorum et similes suadeantur, nisi diarrhoea oborta, vel aliud quid contraindicet.

§. 192.

Tertio vel quarto die pustulae ut plurimum erumpunt, quae tunc temporis paruae, sparsae et parum eleuatae conspicuntur, et cum hac eruptione secundum stadium siue inflammationis incipit. Si tunc pustulae non prodeunt, et affectus soporosi observantur, furis applicetur vesicatorium ex cantharidibus, vel si illud nimis vehemens videatur, epispathicum ex fermento panis et puluere seminis finapi praeferatur. Non nulli, quo eruptionem magis versus inferiora ducant, balnea * et epithemata ex aqua vel lacte calido cruribus admouent, effectu tamen non semper exspectationi respondente.

* Sunt, qui balnea uniuersalia aquae simplicis vel latetis ad eruptionem facilitandam in primo stadio suadent; sed his forte cutis nimis relaxatur; eam vero balneis mundam reddere ante, quam febris urgeat, melius conuenire videtur.

§. 193.

In secundo hoc studio, ad septimum vel octauum usque diem durante, maculae iam ortae sensim in pustulas mutantur, et paullo post in vesiculos eleuantur, tunc febris et reliqua symptomata grauiora mitescunt, vel prorsus euaneantur. Pustulae si bonaे notae sunt, discretae, magnae, et ab initio rubrae, deinde semipellucidae et quasi serosae fiunt, rubro inferius circulo notatae. Cum his cutis ipsa intumescit, interstitiis eius inter ipsas pustulas paullulum rubentibus, et si variolae paullo copiosiores sunt,

palpebrae tumidae oculos claudunt; tandem si ad stadium tertium progreditur morbus, pustulae pus concipiunt.

§. 194.

Haec est conditio pustularum in discretis, in primis si vires vitae in aegris succipiens validae sunt. Si vero pustulae copiosiores vel prorsus confluentes sunt, ipsa eleuatio et tardius succedit, et in multis earumque media parte depresso fouca conspicitur, cuticula nimirum processibus suis in medio adhuc ad cutem adhaerente, non satis eleuata. Hae itaque et aliae varietates, in primis ratione magnitudinis pustularum, saepe nihil mali indicant, praesertim si vis vitae bona et febris moderata non nihil aucta est, et margo inflammatorius pustulas etiam confluentes cingit.

§. 195.

Rebus itaque descripta ratione et ex voto succedentibus, rarius quaedam symptomata urgentia occurunt, nisi quod interdum fauces doleant et molestam deglutitionem efficiant. In regimine igitur diaetetico unice acquiescendum est; propinari tamen possunt diluentia acidulata atque resoluentia v. c. liquor terrae foliatae tartari. Oculos et in hoc, et in praecedente stadio, halitu allii, caryophyllorum, lacteque crocato illinito, vel aliis remedii non nulli defendere solent, sed his vix opus est, immo saepius stimulo suo nocent; si meticulosae tamen matres remedium aliquod efflagitent, halitus seminum foeniculi admittatur.

§. 196.

In copiosis pustulis, quae confluunt, et saepius citius erumpunt, tardius autem mutantur, summa eleua-

eleuatio pustularum vix expectanda est §. 194. Cum his symptomata vel continuantur, vel aliquo saltem modo remittunt; non numquam etiam noua accidunt; cutis vero tumida et rubens, respiratio libera, et pulsus aequalis et fortis optima signa exhibent. Angina et ea, quae a pustulis in faucibus haerentibus, et ea, quae a tumore nimio colli oritur, pessima est. In infantibus saepius diarrhoea, interdum sanguinatio; in adultis saepius sanguiae copiosior affluxus, raro diarrhoea obseruantur; his enim euacuationibus prouida natura morbum, quem per cutis superficiem expellere nequit, ad canalem alimentorum dederit, et semper fere cum successu prospero euacuat.

§. 197.

In grauiore igitur hoc et non nihil diffcili morbo, omnes se- et excretiones, quantum quidem fieri potest, intra iustos limites contineantur, nisi quedam crisis accessoria naturae motu ad variolosam accedat et cum leuamine ingrediatur. Regimen sit moderatum, nec calidum nec frigidum, et excretio pustularum omni cura sustineatur, quod quidem optime febris moderamine alibi commendato §. 130. 131. perficitur. Praeter ptisanas diluentes, interdum acidulatas, decoctum seminum cardui benedicti, vel infusum calidum herbae betonicae vel scordii conducunt.

§. 198.

Pessimum est, si in hoc stadio symptomata alia et grauiora accidunt: micturitio *, guttae paucae sanguineae ex naribus, aliae haemorrhagiae vel consuetae et parciores, vel minus solennes, phrenitis, sopor, conuulsio, cet. Pustulae tunc ut plurimum sunt depresso, cuticula quasi flaccidente, non num-

quam nigricantes et cinereae, ichore foetido replete, interdum duriores atro-rubentes, interdum epidermis in maiores bullas nigricantes eleuatur, sub quibus gangraena est; interdum simul purpura, rarius petechiae, pessimae indolis accedunt, nullaque inflammatio in cute obseruatur.

* Micturitio saepius adeat, non semper tamen metuenda, dummodo reliqua signa bona sint, in primis si urina non profusa aquosa, sed quodam modo tintata est, et partem materiae morbosae subducit.

§. 199.

In tristissimo hoc rerum euentu bona praedicenda non sunt; vires vitae potius sustinendae et symptomatis, quantum fieri potest, occurrentum est. In spasmis, ab acrimonia neruos afficiente, ortis, emulsiones papaverinae F. 60. cum nitro, addita interdum camphora ad grana sex et ultra, propinanda sunt: Lenia etiam opiate non negligenda sunt, quae interdum sudoribus criticis ansam praebent, materia morbi tamen et in primis et secundis viis copiosius haerente, morbum non leuant. In soporosis vero affectibus vesicatoria et finapisimi suris, vel epithemata calida ex herbis emollientibus et amaris in lacte coctis pedibus admouenda sunt. Si angina urget, praeter decoctum auenae excorticatae linctus detur F. 61. vel gargarisimatibus et injectionibus fauces eluantur.

§. 200.

Die nono circiter stadium tertium, scilicet suppurationis, accedit; citius in benignis, tardius in malignis et confluentibus. Dum enim sub conuenti cutis tumore pustulac serofae visae, pure albo et spissae replentur, morbus ut plurimum mitior fit.

Si

Si pus flauescit, et pustulae non nihil contrahuntur, tumor cutis detumescit et rubor eius sensim dissipatur: insitendum igitur est omnibus illis lenioribus diaphoreticis infusis et decoctis, quibus materia maligna ad habitum cutaneum dicitur, quo perspiratio succedat; id, quod in discretis facile obtinetur.

§. 201.

Cum vero in confluentibus et malignis perspiratio nunc praecipue necessaria vix expectanda sit, sa- liuatio in adultis collutionibus oris ex radice althaeae, floribus sambuci et verbasci, vel similibus ex aqua et lacte coctis sustinenda est. Hoc in casu, si unquam in variolis locum inueniant, mercurialia exhiberi possent, cinnabarina enim a quibusdam laudata frustra adhibentur. Cum vero in adultis et saepius in infantibus diarrhoea quoque obseruetur, haec ut critica rhabarbarinis et mannatis, minime vero drafticis purgantibus datis, adiuuanda est. Hoc in casu opiate non facile propinanda sunt, nisi certe cognoscemus aegrum deiectionibus debilitari, tunc enim opiate rhabarbarinis iungenda sunt F. 62. Si dolores infimi ventris et tenebris cum parca excretione urgent, clysmata emollientia et abstergentia F. 63. suadeantur.

§. 202.

Circa initium huius stadii in confluentibus potissimum febris variolarum secunda dicta oritur, siue praesens adhuc exacerbatur. Haec si moderata est, reforptionem puris praecauet *, si vero nimium urget, et acidum citri et mineralia, in primis vitrioli spiritus, in ptisanis, et leniora diaphoretica terreo-nitroso vel infusa calida scordii propinanda sunt. Cortex peruvianus in febre moderanda, minime

vero supprimenda, partes suas explet, qui etiam tunc temporis potissimum necessarius esse videtur, si gangraena imminet F. 64. Alia symptomata forte accidentia ex indole morbi et natura aegri dijudicentur et curentur; in primis autem ad motus naturae et crises variolarum accessorias respiciatur.

* Forte pus resorptum hanc febrem excitat, continuati vero motus febriles damnum inde metuendum auertunt.

§. 203.

Stadium quartum ei adsignatur morbi periodo, quae a die undecimo ad decimum quartum solet protrahi, interdum tamen citius, interdum tardius accedit; febris tunc imminuitur, pustulae siccantur et decidunt, cutis rubi:undis maculis obsessa apparet, ut plurimum non nihil eleuatis, et tenuis nouaque cuticula inducitur. In benignis igitur vix alia, quam lenia alexipharmacæ requiruntur F. 65. 66. quo perspiratio blanda sustineatur. Si paullo copiosiores fuerunt pustulae, vel scalpendo nimis irritatae crustæ densæ relinquuntur, eae interdum exigunt, ut lacte vel oleo amygdalarum, vel butyro non salito, in superficie sua, cute tamen intacta, inungantur, quo facilius separari queant, nec duritie sua teneram cutem laedant. Omnibus superatis, non nulli iuscule tenui carnis veruecinæ, vel decocto lentium, quibus faciem et corpus lauant, mollitem cuti conciliare intendunt, minus autem necessarium id esse videtur, cum aqua tepida vel saponata cutem satis imundam reddat.

§. 204.

Si malignae sint variolæ et pus sub crustis diu haereat, acu in margine separentur, quo pus effluat,
nec

nec adeo facile absorbeatur, nec cutem teneram arrodat, foedas cicatrices efficiat. Pustulas vero discretas et magnas aperire superfluum cognouimus; cum crustae postea ortae cutem plus laedant, quam pus blandum facile exsiccandum. Superueniunt interdum malignis superatis nouae pustulae maiores sparsae, seu variolae secundariae, vel etiam furunculi, emollientibus quantocius ad suppurationem ducenti, ne pus resorbeatur, quod ad internas partes recedit, et saepius abscessus format, quibus in profundis sedibus haerentibus tandem ossa arroduntur et cariosa fiunt. Hi abscessus, in primis ad ossa et articulos orti, citius omnino aperiendi sunt.

§. 205.

Palpebrae crusta conglutinatae non vi deducantur, nec aqua vel lacte nimis emoliantur, cum tandem per se aperiantur, et bulbus oculi et tunica coniunctiva blando lacrymarum affluxu satis defendantur, atque lucis ac aeris vis ab oculis arceatur. Cum autem, si dolor urgeat, frictio nocentissima sit, pomum coctum vel per se, vel cum pauxillo croci vel camphorae applicetur. Post variolas, in primis medicamentis minus necessariis adhibitis, saepe lippitudo chronica et alia oculorum vitia oriuntur: quae etiam non raro ex malo habitu corporis et peruersa curatione v. c. ex abuso medicamentorum temperantium pendent, et ex aliis praxeos capitibus cognoscenda et curanda sunt.

§. 206.

Post variolas omnes, in primis malignas, feliciter superatas, serum lactis et interposita lenia laxantia cum optimo successu exhibentur. Licet enim multae

multae malignae partes expulsae fuerint, tamen, cum contagium malignam quasi humorum indolem augeat, et latentem cacochymiam euoluat, lenia dia-phoretica, diuretica et laxantia, in primis rhabarbarina medicamenta acrum humorum successivas euacuationes praestant. Corpora autem per grauem morbum iam extenuata, nimia insuper euacuantum copia non debilitanda sunt; quam ob rem etiam requiritur, ut accuratior diaeta in victu et regimine et post morbum superatum seruetur, quo aeger plenarie reficiatur.

§. 207.

De infitione variolarum pauca adhuc proponenda sunt. Haec saepius et inter varios populos tentata, saepius etiam neglecta fuit, nostris temporibus demum repetita, per experientiam non tantum innoxia, sed vere utilis deprehensa fuit, cum variolae in praeparatis corporibus excitari et contagium ex optimae notae pululis desumi queat, et nunc demum cognoscatur, contagium cuti applicatum, non adeo valide humores commouere, quam si illud ore et naribus attrahatur, et diu forte lateat, ante quam euoluatur.

§. 208.

Ad praeparationem spectant in plethoricis venae sectio, crebra et blanda alui euacuatio, diaeta accuratior, vegetabilis potissimum, et diluens potus in ptisanis. Perficitur autem post balneum uniuersale una vel altera vice adhibitum, leui incisione cutanea, quae ad pinguedinem non penetrat, in eo brachii loco, ubi fonticuli applicantur, et filum laneum pure variolofo imbutum in vulnus immittitur. Affrictio puris supra cutem, in qua cuticula vesicatorio ablata fuit,

fuit, vel supra cuticulam ipsam, minus certa esse videtur, licet et hac ultima iam dicta ratione rem bene cessisse, per recentissimam constet experientiam. Infusio autem variolarum anno aetatis sexto ad duodecimum optime perficitur, sed tardius quoque, si res ita postulare videatur.

SVBSECTIO VIII.

PVRPVRA.

§. 209.

Purpura seu febris miliaris est morbus exanthematicus, veteribus vel ignotus, vel ab iis non accurate satis descriptus, et a febre maligna petechiali non satis distinctus, quem purpurae epidemicae malignae nomine NEVCRANTZIVS primum accurate obseruauit et descripsit *; paullo post hic Lipsiae circa medium seculi praecedentis WELSCHIVS ** et alii eam, ut nouum morbum Friesel dictum, primum in puerperis obseruarunt, quam deinde, causis nouis accendentibus, per uniuersam Germaniam aliasque Europae prouincias varie gravissimem cognoverunt medici clinici, quam tandem nostris temporibus, regimine haud nimis calido, sed moderato, et accurata medendi via obseruatis, paullulum mitescere vidimus.

* Vid. PAVLI NEVCRANTZII de Purpura liber singularis. Lubecae 1648. 4.

** Vid. GOTTFRIED WELSCHII Hist. med. nouum istum puerparum morbum continens, qui ipsis der Friesel dicitur. Lipsiae 1655. 4.

§. 210.

Facile quidem praeuidemus, purpuram eiusque mutationes ex iis, quae de variis exanthematibus ha-
stenus proposuimus, intelligi posse, ideoque peculiarem tractationem non requirere: Ob insignem ta-
men morbi varietatem, a diuersa indole miasmatis,
a variis diaetae erroribus aegrotorum, eorumque
idiosyncrasia naturali et morbosa, tandem etiam a di-
uersis medendi viis pendente, eiusdem historiam
et curationem sequentem in modum pertractare ne-
cessarium duximus.

§. 211.

Est vero purpura saepius cum febre, interdum
sine ea; saepius benignae, rarius malignae indolis;
saepius non contagiosa, interdum maxime contagio-
sa et epidemica; ea quoque non unius, sed variae
indolis exanthemata sifit. Aptius tamen tractatio-
nem nostram instituere non poterimus, quam si in
generali tractatione de purpura rubra et alba, eaque
vel benigna vel maligna, agamus, et ad febris ca-
tarrhalis benignae et malignae, immo petechialis,
varios gradus et differentias respiciamus, tandem ve-
ro de purpura puerperarum et scorbutica obserua-
tiones non nullas subiungamus.

§. 212.

Obseruantur in aegris eadem fere symptomata,
quae in febre catarrhalis benigna §. 110. et maligna
§. 122. 123. exposuimus, et quarto ut plurimum die,
non nunquam tardius, pustulæ minores, primum
in pectori, post modum in aliis corporis partibus,
excepta facie, erumpunt, quae sensim eleuantur,
vix vero latiores, aliquantum potius acuminatae
fiunt,

funt, et tunc aliqualis symptomatum remissio sequitur; persistunt illae per plures dies et prioribus haud raro nouae succedunt; tandem pro diuersitate temporis, quo ortae fuerunt, modo citius, modo tardius maturantur, exficcantur et desquamantur, et omnibus excusis conualeſcentiae status animaduerſitutur.

§. 213.

Horripilationes vagae, et molestae, et in ipso aestu saepius, sed incerto tempore obſeruatae, ſymptoma peculiare huic morbo quaſi proprium ſunt, hinc germanicum nomen *Friſel* a frōſeln dictum oratum duxiſſe arbitramur *. Praeter ea vero anxietas praecordiorum et singularis quaedam pectoris strictura, dolor aliquis ſpaſticus circa vertebras lumborum ortus, ad spinam dorsi descendens, pullus celer, saepius durus, interdum debilis, urina pallida, utplurimum purpurae accessum praenunciant. Praefentiam eius ostendunt pustulae et foetor sudoris specificus; Saepius vero, si purpura aliis morbis accedit, vel lentius irrepit, praeter horripilationem ſupra deſcriptam, certa ingressus ſigna non inueniuntur.

* Licet aliter ſentiat *WELSCHIUS* Disp. cit. cap. III. §. 3. et denominationem ab aspredine cutis, *frieffliche Haut*, vel a panno aspero, *Frieff* dicto, deriuet.

§. 214.

Purpura pustulas oſtendit miliareſ, ſeu milii ſeminis figurae ſimiles, eleuatas et durioreſ, ac renitentes ita, ut tactu cognosci poſſint. Rubra utplurimum cum aliqua inflammationis ſpecie erumpit, in imaturatione vero saepius alba fit et ſenſim desquamatur. Alba multum variat: vel enim pustulae in inferiori ambitu rubent, vel in ipſo ſui medio laetefſcens
vel

vel pellucidum magis serum continent. Pustulae etiam copia differunt, et vel discretae vel confluentes deprehenduntur; aliae differentiae quoad colorem et consistentiam saepius fallaces inueniuntur; cum enim purpura sensim sensimque in maturatione et per alia accidentia mutetur, in diuersis aegris pustulae non nihil diuersae apparent. Morbi itaque indoles magis ex caussis et symptomatibus, quam ex pustularum differentia, declaranda est.

§. 215.

Causa proxima in acrimonia seri et lymphae quaerenda est, quae in cacoehymicis corporibus collecta, vel ob nimiam copiam ad cutem progreditur, vel febre mota eo pellitur; hinc inter caussas praedisponentes cacoehymia habitualis sanguini et humoribus inhaerens, merito referenda est; hinc quoque intelligitur, cur illi, qui aluum segniorem habent, vel in quibus haemorrhoidum et mensium fluxus superflius est, vel feminae, quae fluore albo affectae sunt, hanc excretionem cutaneam cerebrius experiantur. Ipsa vero acrimonia, quae in variis subiectis omnino varia est, ex effectibus potius, quam ex mixtione singulari, declarari potest.

§. 216.

Inter caussas occasioales primum locum obtinet, aer paludosus et impurus, hinc in quibusdam prouinciis saepius epidemicus est morbus; urbes populosiores et conclaui calida, impuro aere scatentia, idem praestant, quod uniuersalis causa nunc indicata inducit. Victus laetus et acrior aromaticus, uti et glutinosus, non fermentatus, pinguis, potus calidus, in primis in iis, qui simul vinorum et fermentatum

tatum potum amant; exercitia corporis intermissa; somnus nimius; animi affectus vehementiores, moeror in primis atque ira post pastum potissimum exandescens, aliquae diaetae errores, purpurae generanda et continuandae occasionem dederunt. In primis vero purpuram apud nos adeo frequenter reddiderunt eae caussae, quae cutem relaxant et ita disponunt, ut ea omnis acrimoniae, ex corpore euandae, colatorium euadat.

§. 217.

Purpura ab omnibus aliis exanthematibus distinguitur liquore, quem continet, lymphatico, et singulari interdum obseruata eleuatione supra cuticulam, ut parvulae etiam pustulae pellucidae, visum saepe effugientes, tactu solo cognoscantur. A febre itaque scarlatina et urticata ex absentia ruboris cutanei, a variolis et morbillis ex minori pustularum ambitu, eleuationi non proportionato, distinguitur: ab his et aliis exanthematicis morbis in eo quoque differt, quod faciem non occupet, nisi confinia frontis et colli in copioso pustularum prouentu consideraueris.

§. 218.

Medicus in purpura diiudicanda magis respiciat symptomata, quae eam comitantur, quam colores et alias externas pustularum proprietates. Rubra ut plurimum benigna esse solet; melioris quoque notae est illud albæ genus, cuius inferior margo rubet; pellucida, aquosa et lactea mali ominis esse dicitur; copiosa, immo confluens pessima; sed nihil in his uniuersale est, cum habitus corporis, methodus mendendi peruersa; regimen neglectum et epidemica constitutio, exanthemata non numquam immutent.

Retropulsa saepius peior redit; sed interdum subito retrocedit, si maturitati propior est et tunc ut plurimum breui letalis existit. Optimum est in omni purpura, si se- et excretiones urinae, alii et sudoris blande succedunt; si eae cum leuamine augentur, tolerandae et moderandae sunt; pessimum est, si cum illis debilitas summa inducitur. Purpura copiosa interdum, sed rarius ptyalismo soluitur.

§. 219.

Indicatio vitalis, quae in purpura benigna vix attendi meretur, in maligna negligenda non est; hinc consilia et cautelae practicae, quae §. 128. adductae fuerunt, sedulo obseruentur. Si aeger a iusculis tenuibus, vel decocto panis, vel similibus non prorsus abhorret, lenia haec nutrientia modice exhibeantur. Nec fractus horaei exficiati et cocti distillandisunt: licet enim non nulli acida huic morbo iniuncta pronuncient, cum illum a caufa acida deducant, tamen, nisi acido-dulcia faburram acidam in primis viis relatam augeant et moueant, acida medicamentosa in febre moderanda negligenda non sunt*.

* Quod si etiam febris non adeo valida sit, acida tamen putredini humorum, quam ex sudore foetido cognoscimus, recte quidem opponuntur.

§. 220.

Indicatio caufalis exigit attentionem ad omnia, quae acrimoniam augere, mouere et ita purpuram expellere valent. Hinc evitentur et corrigantur ea, quae inter caufas adduximus, §. 215. 216. in primis calor nimius et conclavium et stragulorum ex una parte, omnis aeris perflatus et refrigerium, in primis subitaneum ex altera parte non admittatur.

Haec

Haec bina extrema de potu assumendo quoque valent. Aer nimia frequentia hominum effoetus, nec renouatus, quoque nocet; hinc aeger in conclavi apto detentus minus periclitatur.

§. 221.

Acrimonia potu diluatur: propinetur itaque ptisana F. 37. 38. 67. vel decoctum panis domestici vel albi leniter acidulatum; fermentato enim potu vel prorsus interdicendi sunt aegri, vel is parcus tantum interponatur. Febris in moderamine feruetur, et si exigua est, caute excitetur F. 43. 44. 45. purpura enim ipsa et his et moderato regimine in excretione conseruanda, minime vero pellenda est. Hinc calidiora medicamenta alexipharmacæ nocent, blanda diaphoretica perspirationem sustinent quibus etiam, si nimius aestus accedit, pauxillum nitri adiici poterit. Pro hoc scopo a multis pulueres et potionis F. 68. 69. vel emulsiones F. 70. exhibentur, aliis iulapia F. 52. placent.

§. 222.

Si purpura retrocedit, pessimaque symptomata in scenam prodeunt, v. c. motus conuulsu*i*, tentanda saepius medicamenta calidiora, in primis si pulsus debilis simul obseruetur. Essentia alexipharmacæ STAHLII, liquor cornu cerui succinatus, et camphorata medicamenta, et cum his infusum calidum scordii vel simile exhibeantur; in aliis quoque, praesertim si sopor urgeat, suris vel etiam nuchac et brachiis applicanda sunt vesicatoria ampla *, puluere cantharidum insperso. In tam graui euentu in solis bezoardieis terreis acquiescere non conuenit.

* Magna vesicatoria efficaciora videntur, quam si simul diversis partibus minora apponantur.

§. 223.

Praeter symptomata a §. 136-141. in febre catarrhalia maligna considerata, obstructio aluina attendatur, quae quidem in ipsa purpurae eruptione toleranda est, nisi grauia symptomata nos de aluo liberanda sollicitos esse iubeant; si vero aluus libera requiritur, et lenissima laxantia salina et maunata eandem vix mouent, nec tuta esse videntur, tunc oleum amygdalarum dulcium, vel lenissimum clyisma sine stimulo F. 71. in alumum erit iniiciendum; vix enim dici potest, quam sensibilia in purpurae malignae cursu inueniantur corpora.

§. 224.

Purpura puerarum praecedenti similis quidem est, ita, ut benigna et maligna, rubra et alba, gradu differant, et sub iisdem symptomatibus accedant et finiantur: cum autem mutatio corporum, respetu solidorum et fluidorum, in grauiditate et puerperio insignis deprehendatur, et haec corporum conditio purpuram inter nostrates primum induixerit, caussarum, prognoseos, curationis et symptomatum varietas omnino exigit, ut paullo specialius in hanc primam speciem inquiramus.

§. 225.

Caussae superius enarratae §. 215. 216. in his quoque, sed et aliae infuper in grauiditate et circa partum obuiac, attendendae sunt. In grauiditate multae caussae, circulationem humorum liberam impediētes, sanguinem et humores inde deriuatos, ad corruptionem prinos reddunt, in priinis si laetus victus et ille, qui ex farinaceis glutinosis cum ouis et buty-

butyro paratur, abusus potus calidi, in primis cof-
fee, et alii diaetae errores, ex quibus aliis obstructa
vel segnior redditur, committuntur. Post partum
vero secundinarum, vel cruaris, partialis vel totalis
retentio, lochiorum fluxus primis diebus iusto par-
cior, aliis adstricta, lactis repressio, calor nimius
conclavium, aer iners et putridus, vehementiores
animi affectus, abusus ciborum nutrientium et po-
tus spirituosi, praecipuas caussas sificant.

§. 226.

Purpurae accessum signa §. 213. exposita do-
cent, alba vero, si tertio iam vel quarto die post
partum erumpit, cum deliriis, aestu summo et aliis
grauioribus symptomatibus, semper ferme funesta
est, in primis si sudor copiosus eam praecedet; si urina
pallida, stranguriosa cum retentione lochiorum
simil est; si inflammatio uteri et refrigerii sensus in
abdomine percipiuntur; si cum purpura petechiae
erumpunt. Interdum si symptomata quodam modo
mitiora sunt, et febris cum fluxu largo materiae
foetidae ex genitalibus remittit, spes aliqua salutis su-
pereft. Multo mitior est purpura in puerperis, si
rubra quinto, septimo vel nono demum die erum-
pit; si symptomata mitiora sunt et excretiones con-
suetae ex voto succedunt.

§. 227.

Praeter indicationem vitalem, quam §. 219. ex-
posuimus, prophylactica et ante et post partum, in
primis in corporibus acrimonia scatentibus, atten-
denda est: In grauidis plethoricis venae sectio vel bis
vel ter instituatur, praecipue paucis ante partum die-
bus in pede, in prioribus autem mensibus in bra-

chio: reliqua etiam plethorae minuendae consilia non negligantur (§. 1415. seqq.) Alui semper habeatur ratio, et illa ex indicatione speciali vel pulueribus rhabarbarinis F. 4. 11. vel infuso aquoso F. 72. vel clysinato F. 71. cui etiam stimulus ex sale vel melle addi potest, subducatur. Diaeta potissimum quoad alimenta et potulenta ita ordinetur, ut alius facile respondeat. Hinc in iis, in quibus acrimonia abundant, potus copiosus, sed aquosus ex ptisanis suadeatur, spirituosus vero non nisi pro roborando ventriculo concedatur.

§. 228.

Post partum potus spirituosus et nutritio ex iusculis pinguibus et gelatinosis, in primis in illis, quae succis abundant et lactare nolunt, dissuadeatur *. Detur potius ptisana ex hordeo vel pane cocta cum radicibus scorzonerae, foeniculi et similibus. Lachiorum habeatur ratio, et illorum fluxus vel pulueribus cum castoreo F. 73. vel si febris urget, potionibus temperantibus cum nitro F. 42. adiuuetur. Exhibeat etiam pro hoc scopo infusum aquosum melissae vel simile F. 74. vel quod nostris solenne est, decoctum cereuisiae cum floribus chamomillae. Euitetur refrigerium, et calor nimius, et regimen externum, quod in grauioribus morbis suadent medici, attente obseruetur.

* Feminis debilibus, quae nutricis officium suscipere interdam coguntur, nec febre nimia agitantur, lochiaeque copiosa experiuntur, vietus quodam modo nutritiens concedendus est.

§. 229.

Venae sectio, primis post partum diebus, raro vel nunquam, nisi uteri inflammatio urgeat, locum habet,

habet, cum virium ratio habenda sit et fluxus lochiorum magis, quam alia sanguinis euacuatio, requiratur. Alui obstructio non diu toleretur, sed illa leni laxante adhibito F. 72. vel si corpora sint phlegmatica, pilulis STAHLLI, BECCHERI et similibus polychretilis vulgo dictis, a granis quindecim ad vinti et ultra soluatur. Casus specialissimos therapia generalis diiudicat, et venae sectionem aliasque euacuationes, vel in aliis casibus apta cardiaca adhibenda ostendit; in primis autem ea, quae superius §. 221, 222. exposuimus, attendenda sunt.

§. 230.

Purpura scorbutica in corporibus, quae impuris humoribus scatent, saepius sine febri euidenti, aestiuo potissimum tempore accedit, non nunquam vero aliis leuioribus morbis, v. e. febri catarrhalis benignae superuenit; in utroque casu semper fere chronica est et aegros diu exercet. Rubras ostendit pustulas, et asperam reddit cutis superficiem, cum pruritu multo, in primis si corpora incalescunt. Saepius sine noxa recedit et facile reuertitur. Cum hac morbi specie nec languor insignis, nec anxietas praecordiorum, nec alia symptomata, in grauiori purpura observata, occurrere solent.

§. 231.

Causa in acrimonia seri posita est, quae ab acri, falso et aromatico vietu in corporibus rarissimis et vitae sedentariae deditis frequens morbus est; potus copiosus calidus, potus diluentis frigidiusculi parcior adsumptio,abusus tabaci, multum ad eius genesis faciunt, praesertim si corpora in aere libero raro vel nunquam exerceantur, et euacuatio aluina definitis

temporibus absoluenda negligatur. Si obstructio mensium et haemorrhoidum, vel plenaria harum euacuationum cessatio obseruatur, et ex his caussis viscerum infarctus imminet, morbus diuturnior redditur.

§. 232.

Quo grauior corruptio humorum est, et quo diutius durauit morbus, eo difficilior eius duratio est, cum cutis quasi singulari modo ad acrimonias suscipiendas disponatur; quod si vero ea, quae in therapia generali (Part. III. Cap. IV. §. 1420. seqq.) de cacochymia corrigenda monquimus, studiose obseruentur, facile succedit curatio, in primis si in principio morbi apta et caussis contraria diaeta eligatur. Diluente nec fermentato potu, cibis acrimonia destitutis, motu corporis sufficiente in aere libero et puro, frictione et balneis multum solati aegro affertur.

§. 233.

In plethoricis venae sectio consueta prophylactica haud intermittenda est, licet curatoria raro locum inueniat, scarifatio interdum melius conductus. Euacuationes aluinae leniores crebrius instituantur, fortiores prorsus intermittentur. Ptisanae ex radicibus demulcentibus, scorzonerae, chineae et bardanae, in primis si ventriculi robur adhuc satis valet, crebrius suadecantur. Omnia medicamenta calida et alexipharmacae, quibus purpura expellitur, euitentur, nisi forte interdum, diluentibus praemissis, et spongiosis corporibus haec curatio tentanda sit. Vernali tempore accedente, usus aquarum mineralium vel prophylacticus vel curatorius negligendus non est, qui tamen constitutioni aegroti adaptandus et exquisita

sita diaeta adiuuandus est. Post morbum superatum balnea frigida aquae dulcis ad cutein roborandam conueniunt.

SECTIO III.

FEBRES CONTINENTES.

§. 234.

Febres continentes sunt, quae a principio usque ad finem morbi, aequali fere saepe symptomatum vehementia faciunt, nec remissionem, multo minus apyrexiam habent. Aliae vero aequali impetu usque ad mortem incedunt, aliae sensim intenduntur, et si curationi locus est, sensim imminuuntur. In calidioribus regionibus frequentiores sunt et ita a veteribus aeque ac recentioribus practicis describuntur, in nostro vero climate rarius occurunt, et si in principio morbi fortius paullo incedunt, tamen progressu temporis ad continuas remittentes proprius accedunt.

§. 235.

Licet vero eae, quae in nostris terris oriuntur, febres continentibus similes ex sectione secunda de febribus continuis remittentibus intelligi er curari possent, cum in his quoque, unum quasi paroxysmum sistentibus, febribus ad febrim ipsam et symptomata respiciendum sit, a re tamen alienum non erit, si praecipuas obseruationes de febre ephemera, synocho putrida et febre ardente breuiter colligamus.

§. 236.

Cum has tantum febris continentis species in secundam producamus, nos quidem non latet, a veteribus scriptioribus, quos ut normam in praxi clinica assu-

mimus, nec non a recentioribus multis plures species describi. Nos vero ideo haec tantum exempla adducimus, quoniam a symptomatum varietate solum desumptas differentias inter veras referre haud possumus, sed easdem in individuali tantum morborum disquisitione ulterius determinare valemus.

§. 237.

Febris ephemera siue diaria in iunioribus, ceteroquin fauis atque plethoricis corporibus oritur, si paullo grauiores diaetae errores commissi fuerunt, quibus humorum motus insigniter augeri potuerunt, ita, ut tota febris uno quasi paroxysmo viginti quatuor horis et saepe citius, sine notabili quadam remissione interueniente, finiatur *. Si vero paroxysmus per aliquot dies durauerit, ephemera plurium dierum siue synochus simplex dicitur.

* Leues insultus catarrhales, qui intra viginti quatuor horas, saepius etiam citius, finiuntur, ad nostram tractationem vix pertinent.

§. 238.

In hac febre, ut in aliis hactenus descriptis, symptomatum variorum accessum sentiunt aegri; sed cum bene valentia corpora inuadat, haec etiam efficacius resistunt, et intra breue temporis spatium vel vomitu et diarrhoea, vel haemorrhagia narium, vel sudore, vel urina cum sedimento materiam morbi vel subito ingestam, vel motu concitatam, ex corpore expellunt, interdum tamen si excretiones sine leuamine acedunt, morbus malignus fit, v. c. in rarissimo morbo, quem sudorem anglicum appellant.

§. 239.

In his caussa proxima est motus vehemens in sanguine et humoribus subito obortus, sine accidente materia maligna praedisponente, per caussas occasio-
nales subito et vehementer corpus exagitantes, exci-
tatus. Ira, terror, nimia mentis et corporis exagi-
tatio, vigilia, inguiuies, ebrietas, venus immodica,
refrigerium subitaneum in sudore copioso, et similes
corporis et animi motus hic in censum veniunt; ra-
ro enim unica ex his caussis ad febrim excitandam
sufficit, saepius plurimae simul occurrentes morbum
adeo grauem visum efficiunt.

§. 240.

Diagnosis et prognosis in principio morbi diffi-
cillime formatur, in attenta autem decursus morbi
consideratione signa anamnestica cum diagnosticis
comparata ideam huius febris exhibit. Interim
nec medici consilium semper necessarium videtur,
cum vires vitae sufficient, et regimine blando tota
curatio absoluatur. Nec ipse febris impetus, nisi ni-
mius fuerit, quo in casu venae sectio in principio ne-
cessaria est, aliis, quam lenioribus temperantibus in-
fringendus est, quoniam, nisi morbi solutio plenaria
fiat, is saepius sine ulla vel notabili excretione remit-
tit, et interdum febrem continuam malignam, in-
terdum lentam relinquit. Curatio igitur, quam ve-
hemens etiam inueniatur morbi impetus, caute in-
stituenda est, ne vires vitae nimium infringantur.

§. 241.

Similes saepe caussae synochum putridam produ-
cent, si malignus sanguinis et humorum status mox
in resolutionem quandam putridae similem * transit;
quo

quo in casu omnia symptomata grauiora sunt, pulsus inaequalis, respiratio anhelosa, debilitas, inquietudo, deliria, urina turbida, iumentorum ad instar, sudor frigidus, dum interiora calent et destruuntur. Febris haec saepe in ardente et phrenitidem abit, saepius exanthemata erumpunt, quae pessimae indolis sunt. Fallax etiam sub initium non raro hic morbus est, et febris tertianae intermittentis speciem habet, hinc in corporibus cacoehymicis eueniens maxima cum attentione excipiendus est, in primis si summa imbecillitas mox ab initio obseruatur.

* Vera quidem putredo in humoribus non est, sed peruersa quaedam mixtio, quae cras in sanguinis et humorum inde deductorum ab initio resoluit, et simul solida ipsa destruit, motusque elasticos et vitales infringit; nec vera semper inflammatoria est diathelis, quippe quae validam solidorum resistentiam requirit.

§. 242.

In haec febre, cum adeo debilitet, euacuationes excitandae non sunt, nisi forte spontaneae et cum leuamine accedentes adiuuandae vel moderandae sint; quam quidem rem in antecedentibus tractationibus fatis iam declaratam esse cognoscimus; paucis tantum monemus, ptifanas et iulapia ex acidis, pulpa tamarindorum, succo citri, cremore tartari dari et similia quoque per clysmata iniici posse, quo omni ex parte putredini vel simili humorum resolutioni in corpore oriundae obuiam eatur. Regimen caloris sit temperatum, quale in pluriis morbis hactenus expositis commendauimus.

§. 243.

Si febris ardens in vulgari et ubique inter nostrates recepto sensu sumitur, (h̄isiges Fieber) tunc ad febrem

febrem malignam continuam §. 121. cum multo aestu oriundam pertinet; si vero febrim ardentem cum causo veterum comparamus, tunc morbum gravissimum vix remittentem consideramus, in quo aestus insignis vel ardor potius, aut in toto corpore, aut in vitalibus organis, siccitas totius superficie corporis, oris et faucium, ita, ut manus ori admota feruidum halitum sentiat, lingua aspera, fitis clamosa, tussis siccata, respiratio anhelosa, pulsus celer et durus, anxietas vera praecordiorum, cephalalgia, vigiliae, aluus siccata vel liquida biliosa, urina flammacea parca, ut praecepua et maiori cum vehementia oriunda symptomata obseruantur.

§. 244.

Licet autem modo recensita symptomata iam fatis funesta sint, auctum tamen morbum denunciant frigus in extremis cum ardore interno, fitis non percepta, quamuis lingua et fauces siccescant, sudor pinguis non leuans, urina vel nigricans vel aquosa, pulsus debilis intermittens, paucae guttulae sanguinis variis locis excretac, deglutitio laesa, vel summa inquietudo, vel sopor et conuulsio.

§. 245.

Cauffae quidem eadem sunt, quas §. 239. indicauimus, sed praedisposedens in sanguine condensato, saepius atrabilario quaerenda est, qui nimirum per cauffas occasionales vehementius agitatus, in vasis minimis stagnat, inflammationem quasi uniuersalem in iisdem sifit, resistentia cordi facta, internos motus, in primis in corde et pulmonibus, concitat et adeo validum sanguinis attritum aestumque efficit. Qui sanguinem alunt facile in motus concitandum,

iuueni-

iuuenilia corpora, magis tamen ea, quae rigida solida et fluida densa biliofa obtinent, hac febre corripiuntur. Aestus nimius solis, haemorrhoides vel mensum fluxus suppressus, inter occasioales cauſas supra citatas adhuc referendae sunt.

§. 246.

Raro morbi huius solutio per crifin exspectanda est, nisi haemorrhagia narium, vel interdum alia similiſ morbum leuet et efficiat, ut is mitius progradientur et ad veram crifin disponatur. Haemorrhagiam vero narium imminere, ceruicis et capitis dolor, temporum grauitas, faciei et oculorum tumor et rubor, lacrymae inuoluntariae, aurium bombus, pruritus narium, anxietas, pulsus durus irregularis, ostendunt. Simili quoque interdum modo morbus noster, vel per diarrhoeam, vel per sudores soluitur, vel materia morbi abscessus ad glandulas format, ut pluriuum vero valida haec febris adeo funesta est, ut omnem curationem respuat, et tertio quartoue die hominem e viuis eripiat.

§. 247.

Curatio, si qua est, id exigere videtur, ut mox in morbi primo ingressu largior venae sectio instituatur, tardior enim saepius nocet, quoniam humores cito ad coctionem dispositos ad peruersas vias dicit, et perturbationibus criticis ansam praebet. Fluida diuentia et refrigerantia omni modo, per os et per anum ingerantur: Hinc apozemata antiphlogistica, F. 51. 72. ptisanae acidulae F. 53. 75. iulapia similia F. 59. 76. potionēs et emulſiones F. 42. 70. cum copioso nitro, serum lactis et clysmata F. 77. crebrius adhuc
bean-

beantur, et aeris potusque regimen magis frigidiusculum, quam temperatum, eligatur.

§. 248.

Febris biliosa rarius quidem apud nos ad eundem gradum accedit, ut inter continentess referri mereatur, sed pro symptomatum differentia ad catarhalem vel benignam vel malignam pertinet; in calidioribus vero regionibus grauior est, saepius cum reiectione copiosa bilis per vomitum et aluum grauissima symptomata §. 243. 244. producit; hinc si praecedentes morbi ab ira et vehementissima bilis agitatione orti fuerunt, variaeque caussae praedisponentes accedunt, et hic morbus et vehementissimus et continens, cum cholera saepius coniunctus et letalis euadit.

SECTIO IV.
FEBRIS LENTA.

§. 249.

Febris lenta fere continuo calore, post pastum tamen increcente, aegrum conficit, cum pulsu celeri et in primis debili se fistit, in suo quidem principio vix animaduersa, sensim vero aucta increscit. Haec itaque febrium species succos lymphaticos vel dissipat, vel nutritioni ineptos reddit, et praeter ea neruis vigorem, a fluido in illis moto dependentem, subtrahit, hinc non tantum motus elasticos, sed et vitales in corpore perficiendos debilitat, ita, ut sub pessimis symptomatibus imacies tandem corpori inducatur, et aeger viribus exhaustus pereat.

§. 250.

§. 250.

Licet autem febris nostra in essentialibus semper eadem maneat, multa tamen circa varietatem causarum et symptomatum monenda sunt: eius itaque tractationem optime absolui posse putamus, si primum insignem caussarum differentiam, quibus febris nostra excitatur, perpendimus, paullo post omnem morbi decursum eiusque varios gradus et symptoma examinando, succinctam hujus febris historiam exponimus, ex quibus quidem diagnosis et prognosis generalis apte colligi potest, quo facto, aliquot curationis exempla, cum omnes species pertractare nequeamus, subiungimus.

§. 251.

Causa huius febris proxima in acrimonia, qua humores per varias caussas praedisponentes et occasioales lente inquinantur, consistit, quae, cum imbecillitas systematis nervos per easdem caussas simul inducatur, irritatione sua non quidem validam cordi resistentiam, lente tamen depascentem calorem efficit. Licet enim videri possit, ac si sola humorum resolutio morbos calorem euoluat, et spasmodus cordi resistentiam faciens in fibra debili nullus sit, tamen et in nostro casu ad utramque febris caussam §. 35. respiciendum esse celeritas pulsus aliaque phaenomena declarant.

§. 252.

Ad hanc febrim suscipiendam maxime disposita sunt corpora imbecilla, quae ideo acrimoniam suscepit non satis subigere et expellere possunt. Huc faciunt nativa dispositio, morbus quilibet grauis, interdum quidem superatus, insigni tamen virium defectu et debilitate relicta, ita, ut potissimum omnis generis

generis febres male curatae lentas post se relinquant: idem praestant omnia ulcera interna et externa, ex quibus pus vel materia ichorosa resorberi potest: morbi exanthematici acuti et chronicci male curati; ipsa etiam nutritio, vel per minus aptam digestionem et elaborationem vel per dissipationem optimorum humorum laesa.

§. 253.

Causae occasioneis cum innumerae fere sint, omnes sigillatim recenserri hand possunt, praecipuas tamen indicasse sufficiat. Aer putridus, iners, non renouatus, inedia diu tolerata, vel nimia ingluvies, et cruditates primarum viarum inde relictae, abusus potus aquosi, in primis calidi vel etiam fermentescentis, cum vita otiosa et defectu exercitationis, nimiae vigiliae, vel somnus longius iusto protractus; omnes excretiones nimiae, sanguinis in haemorrhagiis, spermatis in immodica venere, lactis in nutricibus imbecillis, immo et saliuæ, sudoris, urinae cet. per inepta medicamenta praestitae; interdum hae ipsae excretiones, ob consuetudinem tolerandæ, nunc suppressæ; nimia animi agitatio in studiis, moerore cet. præ reliquis attentionem nostram exigunt.

§. 254.

Cum igitur ex his et pluribus aliis causis corpora debilitantibus, febris lenta inducatur, distinctiones vulgo adsumtæ, et a causa vel gradu morbi petitæ, vix sufficere videntur. Sic enim non nulli febrem lentam in hecticam, quae a sanguine et lymphâ acri, in phthisticam, quae ab ulcere pulmonum vel alius interni visceris, et cachecticam, quae a lymphâ spissa et viscerum obstructione oritur, distinguunt. Alii len-

tam simplicem leuiorem et heclicam tanquam grauiorem morbi gradum assumunt. Alii alias distinctiones v.c. febrem marasmodem addunt.

§. 255.

Febres intermitentes, in primis quotidianas, imbecillos homines inuadere et sub catarrhalis benignae specie incedere §. 99. saepe etiam in lentas mutari §. 102. exposuimus; continuas quoque vel ex dispositione subiectorum, vel ex peruersa medendi via in lentas abire, vel sub lentarum specie, die vigesimo primo aut tardius terminari experientia docuit *. Quae quidem omnes partim ex iis, quae alibi proposuimus, partim ex hoc ipso capite diiudicandae sunt. Nos vero in hac tractatione potissimum ad lentas chronicas respicimus.

* Attendi potissimum merentur lentaे neruofæ, quas JOANNES HVXHAM in obseruationibus de aere et morbis epidemicis ab anno 1728. ad finem anni 1737. Plymuthi factis. Londini 1752. suo. p. 147. seqq. præ aliis auctoribus bene descriptis.

§. 256.

Ab initio igitur febris lenta, si vel ex suis causis oritur, vel post alios morbos relicta, clanculum quasi accedit, mitissima est: corpus sensim languet et calor, qui post pastum increscit, et in augmento suo involvis manuum et plantis pedum peculiarem quendam ardoris sensum praestat, vires sensim eneruat: rubor quoque genarum, qui in primis post pastum vel leniores corporis et animi agitationes accedit, falso sanitatis signum est, quando alio tempore facies cacoehymica flauescens, in primis circa oculos, depravatam humorum indolem ostendit. Pro tempestatum

statum varietatibus interdum catarrhalis videtur, et sub apto diaetae regimine, vernali potissimum tempore, non nihil remittit, nouis vero caussis accedentibus iterum exacerbatur, et ita per annos lente progressu ad finem pergit.

§. 257.

Increvit morbus, si febris continua fit, et raro vel numquam intermittit; exacerbatur potissimum post pastum, aliis temporibus, in primis post somnum, quodam modo remittit; languor sensim auctus, pulsus celer et debilis, post pastum plenior, non fortis, urina crassa, interdum cum sedimento, saepe varia vel naturali similis, vel tenuis spumosa, praecipua signa exhibent. In hoc morbi statu quoque facilis iracundia, somnus inquietus cum ardore et siccitate cutis, aut quietus cum sudore debilitante obseruatur.

§. 258.

Tandem symptomata omnia peiora fiunt, calor fere continuus est, sine remissione evidenti, pulsus celer et debilis, cutis vel arida, vel pingui sudore difluens, urina parca, lixiuosa, interdum cuticulam apparenter pinguem ostendit, tumor pedum oedematosus, mollis, digitis facile cedens, et foureas diu relinquens, tussis sicca, respiratio breuis, pilorum defluvium, sudor et diarrhoea colliquatiua, quibus quidem aliquis similibus signis praesentibus, mors proxima iudicanda est.

§. 259.

Diagnosis morbi et variis eiusdem gradus ex signis nunc recensitis colliguntur; uni enim vel alteri vix

fidendum est. Prognosis etiam pro gradu vario variaria est. In principio §. 256. si caussae praedispontentes et occasioales corrigi possunt, curatio saepius ex voto succedit; in progressu §. 257. difficillima curatio est, quae non perficitur, nisi acrimonia humorum corrigatur, et solidorum robur et vis vitalis sustineatur, ideoque, caussa proxima §. 251. suppressa, febris ipsa mitior reddatur, vel prorsus dissipetur; in summa tandem morbi grauitate §. 258. cum mors propinqua sit, non nisi curatio palliativa locum inuenit.

§. 260.

Indicatio vitalis id exigit, ut omnia, quae vires infringunt, sollicite euitentur; hinc curae et studia grauiora, nimiaque animi attentio, nec non labores corpus defatigantes, intermittendi sunt. Aeger victu bono, nec adeo iurulento, nec condimentis acriori reddito, nutriatur; is etiam in aere libero et puriore, nec humido, nec calido, sique fieri potest, in montosis locis versetur, et matutino potissimum tempore corpus vel ambulatione, vel ventione in rheda, vel equitatione, pro virium ratione exerceat.

§. 261.

Indicatio caussalis, si febris lenta ex alio morbo orta fuit, et cum eo progreditur, id exigit, ut eidem apta curatione occurrainus: Si vero aliae caussae febrem nostram lente euoluunt, haec quidem suo modo remouendae sunt, id, quod ex caussarum indole §. 252. 253. optime cognosci et diiudicari potest. Quo vero haec medendi via melius perspiciatur, non nulla exempla ad eam explicandam proferimus.

§. 262.

§. 262.

Si post febres intermitentes inepte suppressas lenta oritur, prior febris iterum reuocanda est, id, quod datis lenioribus purgantibus, praecipue rhabarbarinis F. 36. 50. 51. quin et pro diuersa subiectorum ratione paullo valentioribus remediis optime perficitur; interponendae tamen sunt mixturae et pilulac resoluentes F. 19. 23. Si vero debilitas solidorum in primis et intermittentem et lentam foveat, cortex peruvianus exhibendus est F. 20. 21. 64. Post febres acutas similis, sed longe mitior curatio conuenit; dari possunt decocta F. 38. 78. et simul liquor terrae foliatae tartari et extracta amara, habita tamen virium ventriculi ratione, et tandem nisi obstructio vel scirrhus visceris extimescendus sit, cortex peruvianus robur amissum restituit.

§. 263.

Saepius debilitas primarum viarum et cruditates in iis collectae lentam febrem inducunt, quo in casu vomitoria et laxantia pro ratione indicationis generalis et dispositionis aegri exhibenda sunt, sed lenia et repetita fortioribus praestant. Dispiciendum etiam est, an non hoc in casu infusa vinoſa amaricantia et laxantia F. 14. an thermarum et acidularum usus conueniat, cum quibus tamen tum semper, tum praecipue hoc in morbo accurata diaeta, aegri viribus accommodata, praescribenda et lenia stomachica F. 22. 27. 30. interponenda et subiungenda sunt.

§. 264.

Si nimiae euacuationes defectum humoris nutritii induxerunt, id, quod v. c. post abusum veneris, euenire solet, post primas vias leniter euacuatas, nu-

trientia et roborantia exhibeantur. Iuscula tenuia, ex carne vitulina vel pullis cohortalibus parata, cum herbis millefolii, chaerophylli, radicibus petroselini, apii dulcis et similibus recentibus cocta, omnino conducunt. Propinetur simul ptisana ex chiae radice cum pauxillo cassiae ligneae, et si corpora sensim succis nutrientibus repleta fuerint, solidorum debilitas, in primis in visceribus obseruata, cortice peruviano optime corrigitur.

§. 265.

Simili modo et aliis caussis, febres lentes excitantibus, occurrentum est, et sic quoque indicatio curatoria leuioris morbi §. 256. absolvitur. Terrea absorbentia et alia, quae demulcentia dicuntur, v. c. cornu cerui sine igne praeparatum, etiam cum nitro data, in febre extinguenda parum profunt. Febrem ipsam venae sectione suppressere et incongruum et pernicioſſimum est, quoniam ipsa caussae proximae, scilicet humorum acrimoniae et debilitati solidorum §. 251. non opponitur, sed vires potius insigniter infringit; cura vero lactis et iuscula refrigerantia et acrimoniae et debilitati opponi poterunt, ideoque a nobis quodam modo considerari merentur.

§. 266.

In cura lactis igitur asininum reliquis preferatur, quod vel per se, vel cum aquis felteranis, iejuno ventriculo in aere libero et puriore, cum modica corporis exercitatione, a libra semis ad libram unam et ultra singulo mane bibitur. Lac caprillum contemendum non est, et vaccino certe preferendum; animal vero, cuius lac bibitur, optimis herbis nutritur, neque tamen semper requiritur, ut eidem medicatae plan-

plantae selectae exhibeantur, cum tales saepius re-spuat. Lac nutricis sanac ex mammis haustum non-nulli laudant; conuenit etiam serum lactis dulce (§. 737. seqq. §. 1564.) simili modo adsumptum. Saccharum lactis, quod aliis placet, exiguum omnino virtutem habere videtur.

§. 267.

In ipso vero lactis usu eo semper respiciendum est, ut alius aperta sit; eius itaque obstruetio rhabararinis, mannatis et clysmatibus resoluatur, vel potius praeuertatur. Licet enim lac blandum nutriens sit, in usu eius tamen id attendendum est, ut primae viae vel iam dispositae sint, vel eo disponantur, ut lac digerant et subigant; eius enim coagulum plus detrimenti, quam commodi adfert. Hinc etiam, cum lac ab aeris accessu insigniter mutetur, illud in vicinia aegri ex uberibus animalium ducatur, quo tepidum bibatur.

§. 268.

Cum consueta carnium iuscula, pro nutrienti fine hausta, nimis saepe nutritant, ideoque a visceribus debilibus vix subigi queant, ut plurimum aestum augent: ex carnibus animalium exsanguium alii iuscula longe nobiliora coquunt; huc pertinent viperae, testudines, cancri fluviatiles, ostreae cet. Caro autem ipsa horum animalium, in primis fortius cocta, tenacissima est et digestioni valde resistit. Iuscula haec cum herbis et radicibus demulcentibus et nutrientibus magis, quam medicamentosis, in balneo maris, chemicis dicto, digesta, blande nutriunt et acrimoniam inuoluant. Optimis vero his nutrientibus, roborantia, in primis corticem peruvianum, vel

interponendum vel subiungendum esse quilibet perspicit.

§. 269.

Si febris grauior redditur, curationi vix locus est, sed symptomata urgentia tantum attendenda et mitiganda sunt. Sudores itaque nimii blando, et temperato regimine, et terreis medicamentis cum nitro exhibitis, F. 16.79. quodam modo compescuntur. Si ciborum fastidium vel nausea urget, et pulueris cascarillae et radicis ari aliquot grana, dictis medicamentis addi possunt. Sitim et siccitatem oris interdum iulapia F. 52. leuant, diarrhoeas vero obortas pulueres ex coralliis rubris cum aliquot granis massae pilularum de cynoglossa vel styrace mitigant. In tussi sicca, si dulcia ferre possunt aegri, detur linctus F. 55. Pedibus oedematosis imponantur sacculi ex furfuribus cum sale communi, vel ex pulueribus chamomillae, absinthii et similibus; haec tamen applicata remedia, si respirationem anxiam reddant, vel diarrhoeam inducant, remouenda sunt.

C A P V T II. I N F L A M M A T I O.

§. 270.

Stagnans in limitibus sanguiferorum et serosorum vasorum sanguis eadem distendit, et si acrior est, vel stagnando talis quoque fit, irritat: hinc canales illi robore suo elastico et vitali, et vehementius quidem, hoc est, spastice resistunt, ideoque motum humorum circulatorum ita mutant, ut sanguis a corde fortius primum in eam partem, in qua obstructio est, post modum in reliquas quoque corporis partes propell-

propellatur. Oriuntur inde in toto corpore febris, in parte affecta potissimum dolor, rubor, calor, pulsatio et tumor, et hic corporis praeternaturalis status inflammatio * dicitur. (§. 975. et 1209). Est vero idiopathica, ex caussis, parti affectae immedie applicatis, oriunda, vel metastatica ex humoribus, per alium morbum peruerse motis, huc translata.

* Inflammationis notio parti tantum inflammatae, non toti corpori competere videtur, cum autem parte quadam inflammata, vel certe in grauiori casu, erasis uniuersi sanguinis immutetur, et solidae quoque partes vehementius agitentur, uniuersalem corporis morbum dicere possumus.

§. 271.

Cauſa proxima est stagnatio humoris, in primis crux, in vicinis serosis et lymphaticis arteriis, quae in naturali statu sanguinem non vehunt, licet et vasa sanguifera ipsa copioſiore crux distendi et inflammarū queant. Sanguis enim ex natura sua gelatinosus, quoque igitur modo spissus est humor, qui, quiete accedente, in parte affecta condensatur, in reliquo autem corpore celeri motu agitatus incalescit, ut inde lymphatica eius pars eodem modo, ut albumen ouorum, coaguletur. Stagnatio humoris non rubicundi, sed longe tenuioris in vasibus minoribus contenti, quae in rheumatismo et podagra obſeruatur, vel plane non, vel tune demum, quando febrim accedit, ad inflammationem referri potest.

§. 272.

Ipsa vero humorum stagnatio, ex leuioribus cauſis saepius orta, ideo a lento infarctu et simplici obſtructione vasorum differt, quod vasa, in quibus san-

guis continetur et propellitur, vi sua elastica et vitali potissimum resistunt. Inde etiam febris oritur, et motus cordis et arteriarum magis intenditur, quibus naturae viribus liquor stagnans saepius promouetur, discutitur, et circulatio liberior redditur; nimia vero resistentia, vel ab ipsorum vasorum, vel humoris quoque iis impacti indole, inducta, magis cogitur et inflammatio augetur.

§. 273.

Ad caussas praedisponentes praecipue referri merentur plethora vera, et quae hanc saepius comitatur, sanguinis densitas; omnes etiam euacuationes feruae nimiae, quae multum tenuioris humoris dissipant, ideoque relicta crassiore parte densitatem et simul acrimoniam sanguinis saepius inducunt; robur naturale nimis austum, non tantum in iusto strictiore fibra, sed et in viuidiore et copiosiore fluidi nervi influxu positum; hinc mediae aetatis homines magis, quam infantes et senes, et ratione temperamenti habita, cholericci in primis, morbis inflammatorii obnoxii sunt. Attendenda quoque est ipsius obstructae partis singularis seu potius partialis dicenda laxitas; in ea enim ratio posita esse videtur, cur una pars prae altera magis cedat irruenti humoris.

§. 274.

Caussae occasionales inflammationum, quae externas partes occupant, innumerae fere sunt, in chirurgia accuratius disquirendae; illae autem internarum partium inflammatarum ex generali pathologiae doctrina et specialioribus morborum historiis colligendae erunt. Sufficiat non nullas generatim indicare: refrigerium post calorem, vel calor post refrigerium, acrimo-

acrimoniae speciales in variis morbis, iisque interdum malignis, euolutae et alio modo corpori applicatae, v. c. venena et medicamenta minus apta, vel inconsiderate exhibita, cet.

§. 275.

Ex signis §. 270. expositis inflammations exteriores facile cognoscuntur: internarum longe difficilior est diadicatio, dolor tamen acutus et pulsans, fixus, in uno eodemque loco permanens, febris grauior accessus, cum pulsu vix non semper duro, certissima ut plurimum exhibent signa. Saepius sanguis ex ulla missus crustam tenacem et coagulum inflammatorium ostendit. Aliae, quae clanculum quasi accidunt, inflammations et minores viscerum partes occupant, vix cognoscuntur, morbis tamen chronicis anfam praebent.

§. 276.

Inflammationis optima mutatio est eius resolutio, si niimirum sanguis stagnans iterum mobilis redditur, et per venas in circulationem reducitur. Suppuratione vero exspectatur, si humor stagnans blandus est, et una cum vasibus continentibus in pus bonum, scilicet in liquorem spissum, albicantem, lauem et aequalem conuertitur. Si vero humor stagnans acris est indolis, vel nimio motu acrior redditur, tunc ichorosa materia effluit, et partis destruetio in ulcere, gangraena et sphacelo sequitur. Inflammatio in glandulosis aliisque similis fabricae partibus saepius in tumorem durum et indolentem abit, quem scirrum dicimus, qui diu quidem non mutatus haerere potest, tandem vero in cancerum mutatur (§. 977.)

§. 277.

§. 277.

Inflammatio interna saepius oritur, si materia morbosa acrior reddit, et per crisin perfectam non evacuanda, ad varia loca propellitur; qui quidem materiae morbosae transitus, ad externas partes factus, minime compescendus vel confundendus est, quoniam ulteriorem eiusdem coctionem, per suppurationem inflammationi succedentem praefstat. Si vero acris et inflammans materia ad interna corporis loca ducatur, mutatio eiusdem dubii euentus est, et saepius mortem vel subitancam vel lentam inducit, nisi materia purulenta, noua metastasi facta, per consueta corporis colatoria ejiciatur. §. 142.

§. 278.

De inflammationis euentu iudicaturus, medicus aegri naturam et temperamentum, caussas morbi, partes inflammatas et vehementiam symptomatum circumspetere confideret. Si v.c. inflammatio malignae febri accedit, et acris pessimaeque indolis materia in visceribus internis stagnat, certa sequitur destructio: si viscera nobiliora vel etiam membranosa inflammatione afficiuntur, ea saepe letalis est. Reliqua signa prognostica ex speciali tractatione morborum inflammatoryrum patebunt; signa vero malignitatis, in inflammationis consideratione quoque attendenda, ex iis petantur, quae passim de febribus diximus.

§. 279.

Indicatio vitalis in inflammationis vehementissimo insultu id exigit, ut motus impetuosiores supprimantur, hinc victus ex vegetabilibus leuiter nutrentibus acidulatis, v. c. decocto panis et similibus farinaceis, fructibus horaeis siccatis et coctis, reliquis alimento-

mentorum generibus praferatur. Omnia praeter ea arcenda sunt obiecta, quae aegrum animo commouent. Si inflammatio iis accedit, in quibus a diuturno morbo vel alia caussa vires iam exhaustae sunt, et ideo exigua febris adest, res aegri ferme conclamatae videntur: tentandum tamen omnino est, an motus cardiacis sustineri queant.

§. 280.

Indicatio caussalis suaderet, ut ea remoueantur, quae inflammationi occasionem dederunt. Diluentes ptisanae et aquae destillatae refrigerantes, quibus oxymel simplex vel succus citri additur, serum lactis acidulum vel dulce stagnationem humorum imminentem arcent. Regimen aeris externum sit moderatum, nec calidum, nec frigidum; si quedam tantum plethorae signa adsunt, venae sectione prophylactica morbus nondum formatus praeuertatur.

§. 281.

Curatoria indicatio eo potissimum respiciat, ut inflammatio resoluatur; in internis enim inflammationibus mutatio in pus vix non semper periculosa est, cum hoc raro aptis viis resorbeatur, sed in internis corporis sedibus haerens, nouis motibus inflammatoriis et febribus ut plurimum lentis occasionem praebeat; mutatio vero in gangraenam et sphacelum omnino letalis iudicanda est.

§. 282.

Resolutio inflammationis tunc potissimum locum inuenit, si ea recens nec adeo vehemens est; si corpus bonos succos nimia acrimonia non inquinatos obtinet; si nec strictura, nec relaxatio vasorum nimia;

nec

nec sanguinis iusto vehementiores motus adfunt; si apta medendi methodus in principio morbi adhibita fuit. Quod si vero hae conditiones deficiant, vel va-
sa iam ultra modum distenta et destructioni proxima
sint, perfecta resolutio vix exspectanda erit.

§. 283.

Resolutio autem perficitur, si materia stagnans
mobilis, et ab impetu sanguinis ad partem affectam
irruentis libera redditur. Altera haec indicatio prius
attendenda est, eique satis fieri potest, si copia sanguini-
nis imminuitur, et impetus humorum ad alia loca di-
rigitur. Larga igitur venae sectio, eaque interdum
repetita, omnino necessaria est; hinc si inflammatio
leuior est, in parte remota, si grauior est, in parte
propinqua instituenda erit; in hoc tamen casu saepius
altera, in parte remota, paullo post suscipiatur. Re-
media, quae alumum ducunt, efficaciora, praecipue an-
tiphlogistica acidulata et clysmata similia optime con-
ueniunt, draistica vero purgantia danda non sunt. Ar-
teriotome, vesicatoria et alia auxilia hoc in casu non
negligenda, in speciali tractatione proponenda erunt.

§. 284.

His iungenda sunt medicamenta temperantia ex
potionibus et pulueribus cum terreis et nitro, F. 40.
41. 42. quod quidem sal antiphlogisticum in largo-
re paullo dosi addendum et ita constitutioni aegrorum
accommodandum est. Potus aquosus non nihil fri-
gidiusculus, acidulatus et diluit, et aestum nimium
temperat §. 280. calidus autem tunc temporis inter-
ponatur, si resolutione ex voto succedente, diaphore-
sis adiuuanda est.

§. 285.

§. 285.

Humores stagnantes et ad coagulum pronus, praeter diluentia et venae sectionem, saponacea resoluentia, v. c. oxymel, liquor terrae foliatae tartari et similia, mobiles quoque reddunt. Alii camphoram ab initio morbi adhibitam laudant, et vel terreo-nitrofis medicamentis §. 284. miscent, F. 43. vel in emulsionibus F. 48. 60. 70. cum nitri depurati drachma una vel altera, camphorae scrupulum semis vel ultra exhibent. Externa quoque discussio et emollientia, vel in fotu, vel in cataplasmate parti dolenti superhabita, saepius cum fructu applicantur, quoniam internas quoque partes fouent, dolores mitigan, et resolutionem iuvant.

§. 286.

Symptoma inflammationis praecipuum est dolor, a spasio in parte affecta oriundus, cui emulsiones papuerinae, et si nimium urget, lenia opiate opponi possunt, in primis si iam aliqua resolutionis spes afflgeat, quae leni sudore adiuuetur. Febris nimis aucta, quae hic symptomatica est, medicamentis aptis compescatur; quod tamen iisdem remediis praestamus, quae inflammationi ipsi opponuntur. Symptoma febrilia simul oriunda, v. c. cephalalgia et fitis simili modo consideranda et mitiganda sunt.

§. 287.

Cum inflammationes varias corporis partes afficiant, omnes species ex hac generali inflammationum therapia diiudicandae et apta methodo medendi discussiendae sunt: Cum autem breui hac tractatione non omnia abunde exposita sint, a re alienum non erit, praecipuas inflammationum species sigillatim
con-

considerare, quo methodus medendi specialis ea, quae nunc generatim proposita fuerunt, magis explicet et definiat, et in graui adeo morbo variae cautelae practicae subiici queant.

SECTIO I. PHRENITIS ET PARAPHRENITIS.

§. 288.

Phrenitis vi vocis morbum mentis designat: est ea vero inflammatio vel membranarum cerebrum inuoluentium, vel cerebri ipsius, cum vehementi febre continente et delirio feroci perpetuo. Si per se ex caussis cerebro immediate applicatis oritur, idiopathica appellatur, si vero ex alio morbo producitur, v. c. si post febres acutas malignas materia non satis cocta ad cerebrum rapitur, symptomatica dicitur. Haec licet in principio non semper inflammatoria sit, dispositionem tamen ad inflammationem eiusque sequelas inuoluit.

§. 289.

Dolor capitis ingens, vigiliae et inquietudines nocturnae, obliuio rerum praesentium saepe subitanea, prodromi phrenitidis esse solent. Cum his febris acuta inflammatoria increscit, deliria sensim sensimque vel subito se ostendunt, oculi inconstantes sunt, prominent, et cum facie rubent, immo ferociam quandam monstrant; pulsatio circa tempora ingrauescit; respiratio magna et rara; summa oris siccitas linguaque arida et aspera est, licet aeger sitim haud percipiat; urina pauca rubra, flammea vel turbida, vel copiosa aquosa; siccitas et ardor cutis obseruantur.

Inter

Inter omnia vero symptomata, in hoc morbo oriunda, delirium cum grauissimo dolore capitis praecipuum est et nisi morbus apta medendi methodo in primis suis initiis supprimatur, symptomata haec in crescunt, aliaque accedunt, ut quinto vel septimo die letalis euadat.

§. 290.

Causa proxima est inflammatio cerebri et meningum: praedisponentes sunt aetas iuuenilis et media, plethora, temperies cholERICA et atrabilarIA: occasio- nales plurimae; corpora summe frigida vel valida capiti applicata, v. c. radii solis, cibi aromatici, potus spirituosus, vigiliae diurnae, vehementiores animi affectus, meditationes, studia et curae, ven- ris abusus et defiderium, haemorrhagiae consuetae suppressae, grauior capitis contusio et fractura caluae.

§. 291.

Phrenitis a quolibet alio delirio per huius haud interruptam constantiam et grauiora symptomata, quae illud comitantur §. 289. a mania vero vehe- mentia febris, quae in hac abest, dignoscitur; sae- pius tamen, si febris sine praegressa coctione cessat, phrenitis in maniam mutatur. Nisi morbus illico grauissimus fit, sique apta medendi methodus mox in principio eius adhibetur, tunc curationem admit- tit, magis tamen praecauetur, quam curatur: Si ma- teria inflammatoria non rite cocta a nobilioribus ce- rebri partibus remouetur, non raro organa sensoria occupat, et amaurosin vel surditatem relinquit; si inflammatio in suppurationem abit, ut plurimum affectus soporosi mortem praecedunt, nisi forte pus, quod tamen rarissime fieri solet, felici metastasi ad

alia loca ducatur et euacuetur: Si inflammatio in gangraenam et sphacelum abit, febris quidem veheimentia se remittit, sed symptomata alia et peiora oriuntur, v. c. vomitus materiae aeruginosae, sopor, convulsio, sudor frigidus et tunc morbus breui letalis est.

§. 292.

Morbus itaque noster fere semper atrocissimus saepiusque letalis esse solet, in primis vero si pluria grauitatis signa adiunt. Si etiam phrenitis symptomatica est, nulla vel certe exigua salutis spes a fulget, cum resolutio materiae morbosae nec exspectanda nec tentanda sit; pessimum tunc est, si a morbo praecedente vires exhaustae sint. Resolutio inflammationis et plenaria curatio tunc temporis spe-randa est, si post haemorrhagiam insignem, vel natura vel arte excitatam, aut post sudorem criticum, vel aliam similem euacuationem copiosam, symptomata, in primis delirium, mitiora fiunt vel prorsus cessant.

§. 293.

Indicatio vitalis et cauſſalis ex generali inflammationis theoria repetantur §. 279. 280. Diaeta ordinetur tenuis et refrigerans. Si natura euacuationem in haemorrhagia quadam, v. c. narum, vel in sudore aliae crisi molitur, illa non turbanda, sed potius adiuuanda est; si vero sperati non succedunt effectus, tunc viribus eius, licet validi motus apparent, non fidendum, sed in primis si symptomata subito increscunt, ad indicationem curatoriam properandum est, ne morbus ipfe nimium augeatur.

§. 294.

§. 294.

Curatoria autem indicatio exigit, ut mox in principio larga venae sectio administretur. Pulsus in primis durus, respiratio magna et difficilis, necessitatem venae sectionis indicant, quae etiam repetita interdum iuuat §. 283. Incisio venae iugularis interdum praefat, si vero ea administrari nequit, mediana vel alia eligatur vena, amplo vulnere aperienda. Frontalis, quae a non nullis inciditur, minor ramus est, ideoque sanguinis evacuationi minus conuenire videtur. Arteriotome ad tempora ab aliis suadetur. Hae operationes in aliqua delirii remissione optime suscipiuntur, et fasciae bene applicari debent, ne ab aegro delirante remoueri queant. Si vero venae sectio primis diebus neglecta fuerit, ea in inflammatione, ad resolutionem non deducenda, interdum magis nocet, quam iuuat.

§. 295.

Exhibenda quoque sunt medicamenta aestum temperantia, ptisanae et iulapia cum acidis F. 75. 76. nec non potionis cum copioso nitro F. 80. et paullo post aliis vel clysinate F. 71. 77. vel leni, satis tamen efficaci, antiphlogistico purgaante F. 51. 72. moueatur. Camphora, medicamentis aptis adiecta F. 43. resoluendo aestum compescit et humores meabiles reddit; dosin tamen ad grana quatuor et ultra augere necessarium omnino est.

§. 296.

Cum his quoque alia auxilia externa in grauissimo hoc morbo adhibenda sunt, scarifatio occipitis, vel cucurbitulae siccae nuchae, vel in alium finem furis et femoribus applicentur; cum etiam haemorrhagia

morrhagia narium salutaris inuenta fuerit, non nulli scarificationem narium internam utilem iudicarunt; alii rubefacientia furis et plantis pedum, immo vesicatoria adhibent; alii pediluuia frigidiuscula et spongias, aqua simili madidas, variis partibus a capite remotis apponunt, ipsi vero capiti tonso epithemata varia discutientia admouent, quibus remediis motus et aestus sanguinis compescitur et spasimi a nobiliорibus partibus auertuntur.

§. 297.

Symptomata quoque grauiora variis auxiliis, ex aliis praeos capitibus cognitis, compescantur, v. c. in vigiliis continuatis emulsiones papauerinae laudantur F. 60. 81. quibus alii ad motus nimios spirituum compescendos lenia opiata addunt: Haec ta-men caute adhibenda sunt, quoniam et febrim saepius necessariam infringunt, et tempore potissimum cruditatis data ad sudores, quos vires naturae non urgent, intempestive disponunt. Circumspecta cer-te in hoc morbo requiritur remediorum applicatio, cum curatione etiam peracta cephalalgiae chronicae aliaque incommoda remaneant.

§. 298.

Nomine et variis symptomatibus cum praecedenti morbo conuenit paraphrenitis, quae inflammatio diaphragmatis est. In hoc morbo vix non semper quoque graue delirium adeat, licet non semper tam ferox, ut in praecedenti; tenendum enim est, hoc symptoma omnibus membranorum et neruorum viscerum inflammationibus proprium esse: Febris continens vehemens, dolor acutus et pulsatorius circa loca, quibus diaphragma adhaeret, respiratio

spiratio valde difficilis, parua et frequens, actiones cum ea coniunctae dolorifcae, tensio et tumor hypochondriorum diagnosin formant; non raro tamen cum aliarum vicinarum partium inflammationibus confunditur.

§. 299.

Et hic morbus acutissimus est et periculosissimus, quod ex diaphragmatis continua actione et nexu cum aliis partibus colligitur. Gradu tamen differt, prout vel ipsa tendinea vel musculosa pars, vel membranae cingentes, inflammationi obnoxiae sunt, vel caussae grauiores inflammationem ad vicinas quoque partes producunt.

§. 300.

Caussae huius inflammationis sunt illae generales §. 272. 273. 274. sensibili huic parti applicatae, hinc in curatione suscipienda de inflammatione cito resoluenda unice cogitandum est. Quod si igitur natura euacuationem quandam sanguinis moliatur, illa non turbanda, sed adiuuanda est, sin minus, larga venae sectio, ut praestantissimum auxilium eligatur, quaes in brachio instituatur, et si necessitas urget, in pede repetatur. Enemata crebrius iniecta F. 63. 77. quoque conueniunt; epithemata discutientia ex floribus chamomillae, meliloti et similibus, cum lacte coctis, locis dolore affectis applicentur, quo vehementia spasimi, qua inflammatione intenditur, coerceatur, id, quod etiam epispasticis aliis partibus applicatis praeflatur.

§. 301.

Diluentia, refrigerantia, resoluentia aliaque remedia inflammationi opponenda, ex praecedentibus satis cognita, non negligenda, sed copiose ingeren-

da sunt. Si enim resolutio non sucedit, suppuratione abscessum format, aut in pectus, aut in abdomen euacuandum, quo in casu, nisi via apta ad pus educendum inueniatur, aut subitanea aut lenta mors inducitur. Gangraena vero orta subito letalis est.

SECTIO II.

ANGINA.

§. 302.

Angina in genere considerata est morbus fauci-
um, vel respirationem, vel deglutitionem, vel
utramque actionem laedens. Haec autem laesio,
cum a causis diuersis oriatur, varias morbi nostri
species efficit, inter quas inflammatoria et catarrhosia
principuae sunt. Inflammatoriam, quae vera dici-
tur, nunc pertractabimus, et suppuratoriam, gan-
graenosam et scirrhosam subiungemus: de catarrho-
sa, cuius varietates, aquosa, pituitosa et oedematoso
sunt, varia in hac sectione ob aliquam doctrinæ con-
uenientiam addere poterimus; de neruosa autem,
conuulsiva scilicet et paralytica, nihil subnectimus,
cum ex iis, quae de morbis systematis neruosi expo-
siti sumus, intelligi et hoc reduci queant.

§. 303.

Tanta est partium fauces constituentium vel iis
vicinarum differentia, ut angina inflammatoria mul-
tis modis differat, prout nimirum vel fretum oris
tantum, vel larynx et pharynx simul, cum interne,
tum externe, vel trachea ipsa inflammantur. No-
mina veterum, quae differentiam hanc declarare de-
bent, non satis definita sunt, ut inde aliquid com-
modi

modi in praxin redandet (§. 1135.) accurata partium cognitio anatomica et symptomatum obseruatio sedem et gradus huius inflammationis optime definunt.

§. 304.

Quando inflammationis signa cum febre continua acuta se ostendunt, tumor, rubor et dolor circa fretum oris membranas, glandulas et musculos occupat et ad confinia narum et tubae Eustachianae extenditur, tunc respiratio et deglutitio difficillime perficiuntur, faucium summa siccitas est, interdum simul affluxus pituitae cum molestia exscreandae et dolor aurium acutus obseruantur. Si pharynx potissimum inflammatur, respiratio satis quidem bona est, sed deglutitio vix perfici potest, ita, ut adsumta alimenta ad loca minus consueta regrediantur. Si larynx ipse, in internis potissimum sedibus, usque ad tracheam inflammatur, respiratio exigua et molestissima fit cum suffocationis metu et voce stridula acutissimaque.

§. 305.

Haec, quae generalem differentiam morbi nostri concernunt, accuratius ab iis cognoscuntur et dijudicantur, qui situm partium et necessitatem eamdem ad actiones perficiendas bene perspiciunt: deglutitione enim magis laesa, symptomata non adeo ingrauescunt, sed aeger tranquillior est; quod si vero respiratio laedatur, anxietas ingens, faciei rubor, tumores venarum, pulsus debilis et inaequalis, vox clangosa et alia pessima symptomata animaduertuntur, quae eo peiora sunt, quo profundius inflammatio in larynge liaeret.

§. 306.

Causa proxima et praedisponens ex alibi dictis §. 271. seqq. patent, occasioales vero sunt aer valde calidus et frigidus, saepius in contrariam indolem mutatus, in primis si ille sub motu fortiori corporis vehementius in fauces irruit, v. c. in equitatione et cursu aduerso vento factis, venenati vapores, v. c. ex calce viua, ptyalisinus mercurialis errore diaetae, in primis potu frigido, suppressus, euacuationes sanguineae vel aliae subito cohibitae; metaftasis materiae morbosae ad fauces et loca vicina directa, v. c. in febribus exanthematicis, scarlatina, morbillis cet.

§. 307.

Diagnosis ex signis §. 303. 304. propositis patet; vera enim inflammationis signa anginam nostram ab aliis eius speciebus distinguunt, ita, ut, si tumor et rubor in faucibus conspiciantur, certo factis; si vero in profundo loco haereant, neque externe conspiciantur, ex uniuersalibus inflammationis signis et acuto affecti loci dolore dignosci possint. Minime autem leuiores faucium ruborem, sed obscuriores attendimus, cum hoc cauum in fano quoque statu rubicundum appareat, et ideo ad doloris vehementiam et febris vim simul respiciendum sit. Ab asthmate et peripneumonia, in quibus difficilis quoque respiratio est, loco differt morbus noster, cum haec mala non in faucibus, sed in pectore, immo et sub diaphragmate sedem suam habeant, et signis fibi propriis sese manifestent.

§. 308.

In prognosi formanda locus affectus et vehementia symptomatum potissimum attendi merentur. Si inflamma-

inflammatio profundius, in primis in larynge haeret et conspici nequit, pessimum; si ad fauces posita et externo tumore conspicua est, maior salutis spes afulget, cum morbus protrahatur, nec aegrum subito iugulet; si profundius haerens ascendit, et tumor rem et ruborem conspicendum praebet, bonum; malum vero, si apparens in faucebus tumor cum augmento symptomatum euanescit.

§. 309.

Pessimum est, si a compressis venis iugularibus regressus sanguinis impeditur, indeque capitis tumor saepe horrendus sequitur, et pulsatio in omnibus superioribus corporis partibus obseruatur: tunc enim sensuum exercitium supprimitur, idque continuum delirium, stertor, suffocatio et mors excipiunt. Si cacochymia simul praedisponebant causa est, gangraena et sphacelus laxas has partes occupant. Si dolor subito remittit, et in pectus descendit, angina in peripneumoniam summo cum periculo mutatur. Spes vero salutis imminet, si sanguis naturae impletu per nares et alia loca copiose excernitur; si in urina et sudore criseos signa conspicuntur; si artuum dolores oriuntur et symptomata pessima conque- scunt.

§. 310.

Indicatio vitalis et causalis ex generali inflammationis theoria petantur, curatoria vero resolutionem praestandam indicat, quam venae sectione larga in mediana vel potius iugulari administrata promptius, quam incisione venarum raninarum, adsequimur. Et arteriotome interdum conuenit. Clysmatisbus praeceps ea crebrius iniectis F. 63. 71. 77. 82. alius subducatur, et si deglutitio non prorsus laesa est, in-

fusa ex manna et tamarindis, addita largiori dosi nitri et cremoris tartari exhibeantur: In quo casu etiam alia medicamenta antiphlogistica, ptisanae F. 75. 83. et iulapia acidula F. 59. 76. serum lactis, crebrius propinentur; attendendum tamen est, ne his tussis excitetur.

§. 311.

Inter remedia externa, pediluuia, rubefacientia et vesicatoria extremitatibus inferioribus admota, commendanda sunt. In morbo idiopathicō, et ubi inflammatio nondum inualuit, in fauces admittatur vapor ex aqua, cum herbis resoluentibus cocta, addito aceto F. 84. vel si fieri potest, gargarisma discussiō et leniter roborans F. 85. vel collutiones oris et linctus F. 86. exhibeantur. Externe vero collo applicentur cataplasmata resoluentia et emollientia F. 87. An et acria vesicatoria et rubefacientia, quo malum ad externas partes ducatur? Haec forte locum habent, si metus gangraenae imminentis non est. §. 309. Omnia haec remedia ex indicatione speciali dijudicanda et inflammationis temporibus probe accommodanda sunt.

§. 312.

Si inflammatio urget et respiratio prorsus impeditur, bronchotomia tentanda est; in casu enim dubio anceps potius, quam nullum eligendum est remedium. In deglutitione vehementer laesa et inde oriundo nutritionis defectu, clysmata ex iuseculis et aliis fluidis nutrientibus crebrius iniiciantur; ex observationibus enim constat, per clysmata nutrientia vitam hominis diu conseruari posse.

§. 313.

§. 313.

Si inflammatio non resoluitur, sed symptomata persistunt, vel loco doloris acuti grauatius oritur, tunc suppuration accedit, quae et gargarismatibus et injectionibus F. 88. et cataplasmatibus mollientibus F. 89. adiuuanda est; quo vel abscessus sponte ruptatur, vel pharyngotomio, si fieri potest, aperiatur et post modum purgetur.

§. 314.

Si post grauissima inflammationis symptomata, rubor, tumor et dolor subito et sine resolutionis signis cessant, et fauces subsidentes liuidae et fuscae sunt, tunc gangraena letalis oritur, quae, cum in tela cellulosa subito prorepat, nullam medelam admittit, acidula enim et subadstringentia gargarismata vix sufficiunt, et chirurgica remedia, quae in extenis partibus gangraenae partiali opponuntur, in faucibus apte applicari nequeunt.

§. 315.

Quod si vero regimen aptum negligatur, et medicamenta nimium adstringentia praepostere applicentur, post leuiorem saepius anginam scirrhos in glandulosis faucium partibus, praecipue in tonsillis, haud raro relinquitur, qui diuturnas aegro molestias creat. Recens enim malum diluentium et resoluentium, cautoque mercurialium usui raro cedit: inuetatum vero vix tangendum est; extirpatio enim locum non inuenit, nisi eo in casu, ubi tumor angusta basi adhaeret.

§. 316.

In hominibus laxioris habitus, qui ideo serosis et pituitosis humoribus abundant, raro grauis aliqua

qua inflammatio laxas has faucium partes occupat; sed serosa potius colluuiet, quae et tonsillis et vicinis partibus tumorem quasi oedematosum inducit, anginae catarrhosae causa est, quae eos in primis inuidit, qui in aere humido et nebuloso, aestuante saepius corpore, versantur et perspirationem suppriunt. In his si febris accedit, catarrhalis indolem seruat §. 110. seqq. et nunquam ita augetur, ut venae sectionem exigat, quae potius, cum febriles motus suppressat, nocua est. Tumor faucium non est rubicundus, sed pallidus, nec adeo dolens *, quibus signis haec angina ab ista inflammatoria dignoscitur.

* Saepissime partialis rubor in tonsillis, vel parte vicina obseruatur, et morbum quasi fistit ex catarrhosa et inflammatoria coniunctum, quo in casu et discussio seri praestanda est, licet pars inflammativa suppuratione terminetur.

§. 317.

Morbus nostrus nunquam periculum infert, et non raro apto regimine, sine usu medicamentorum, discutitur: Si autem curatio requiritur, ea potissimum id exigit, ut serosi humores deriuentur et resoluantur, et postea partibus relaxatis robur reddatur.

§. 318.

Deriuationem itaque praestant purgantia fortiora F. 6. et interdum stimulo resinoso praedita, F. 90. 91. quae aluum potenter, et aquas potissimum subducunt. Si deglutitio laesa assumptioem medicamentorum impedit, vesicatoria optimo cum effectu nuchae apponuntur. Diaphoretica et diluentia et resoluentia in infusis et decoctis aquosis F. 92. 93. cibrius propincentur, quibus tamen interdum diaphoretica

retica et resoluentia acriora in mixtulis concentratis
F. 94. 95. addi poterunt.

§. 319.

Masticatoria quoque et acria medicamenta ore
contineantur (§. 1617.), ut aromata et alia, quae
stimulando fauces irritant et pituitam subducunt F.
96. Idem praefat essentia pimpinellae albae cum
pauxillo sacchari ad guttas decem et ultra linguaeim-
posita. Sternutatoria etiam medicamenta, ut ma-
iorana, nicotiana et similia naribus immitti possunt,
quo deriuatio eo perficiatur. Cataplasmata et em-
plastra F. 87. 89. 97. emollientia, collo, interposi-
ta frictione, applicata, emolliendo materiam sta-
gnantem resoluunt, et mobilem reddunt. Garga-
rismata leniter roborantia primum F. 85. postea ma-
gis adstringentia suadeantur.

SECTIO III.

PERIPNEVMONIA ET PLEVritis.

§. 320.

In thorace quoque vel pulmonum, vel pleurae, in-
flammatio obuenire solet: prior peripneumonia,
altera pleuritis appellatur, utrumque tamen malum
interdum coniunctum; pleuroperipneumoniae no-
men accepit. In utroque respiratio difficilis et do-
lens est, summae molestiae sensu in pectore depre-
henso; utraque vera dicitur, si inflammationis et
febris continuae acutae signa adsunt; spuria vero, si
molestus sensus sine inflammatione percipitur. Nos
quidem inflammatoryis effectus hic accurate pertra-
ctabimus,

Stabimus, additis tantum quibusdam obseruatis de
spuriis pectoris doloribus.

§. 321.

Peripneumonia infarctum vasorum pulmonalium
sistit, ideoque pro vasorum hoc viscus constituen-
tium differentia insigniter differt: vel enim lympha-
tica solum vasa, in mitiori malo obstructa, erysipe-
las pulmonis exhibent: vel in grauiori morbo bron-
chialia, vel in grauissimo ipsa pulmonalia, vel utra-
que vasa obstructa deprehenduntur; porro quoque
vel aliqua tantum pars pulmonis, vel pulmo unius
lateris, vel uterque inflammatione afficitur, ex qui-
bus omnibus maior minorque morbi grauitas oritur.

§. 322.

Pleuritis eodem modo differt, cum vel pleura
cauum thoracis inuestiens, vel et illa membrana,
quae pulmonem cingit, vel musculi intercostales in-
flammantur. Gradus autem hos diuersos sympto-
mata morbum concomitantia designant, et ex par-
tium fabrica et situ, saepius etiam ex causa laetionis,
cognoscuntur.

§. 323.

Vti vero hi morbi nunc descripti ob inflamma-
tionis symptomata a reliquis pectoris morbis distin-
guuntur, sic inter se frequentibus potissimum signis
discernuntur. In peripneumonia dolor acutus et
grauatus in pectore, respiratio calida suffocans,
anxietas praecordiorum ingens, faciei rubor et ve-
narum tumor leueque delirium obseruantur. In
pleuritide modo recensita symptomata vel non ad-
iunt, vel mitiora deprehenduntur, sed dolor lateris,

in primis sinistri, acutus et pungens magis, quam grauatiuus, inspiratione auctus attenditur, nec tanta praecordiorum anxietas; in utroque affectu respiratio parua obseruatur, in pleuritide ab initio pulsus durus valdeque renitens, in progressu mollior fit; in peripneumonia autem pulsus vix non semper mollior esse solet.

§. 324.

Causa proxima est infarctus sanguinis cum renisu vasorum in partibus semper mobilibus, quales thorax et pulmones sunt, summe periculosius. Ad praedisponentes referri merentur actas adultior', plethora, vita exercitata, qua pulmones potissimum fortius aguntur; his enim de causis fluida densantur et solidae partes magis obrigescunt; ideoque istae huic morbo potissimum ansam praebent. His accedit viscus durior, abusus spirituorum, in primis spiritus ardentis. Pectus in naturali statu angustum et minus dilatabile quoque attendi meretur,

§. 325.

Caussae occasioneles sunt: pulmonum et thoracis violentior agitatio in calido et frigido aeris statu, in primis si repentinae eius mutationes accedunt: sanguis vehementiori animi affectu commotus: metastasis materiae morbofae ad pectus ductae: euacuationes sanguinis consuetae, nunc suppressae.

§. 326.

Diagnosis ex praecedentibus patet §. 323. prognosis vero praecipue ex dispositione naturali aegri et ex vehementia symptomatum formatur. Cum enim et haec inflammatio vel resoluatur, vel in suppuratio-

purationem, vel in gangraenam aut scirrhum abeat: generalis inflammationis theoria §. 276. medentein in his quoque morbis dicit; sequentia tamen ex praestantissimorum medicorum obseruatis patent.

§. 327.

Omnis peripneumonia ob nobile viscus, quod afficit, periculosa est; soluitur tamen saepius, si non adeo profunda est, sputo copioso cruento *, quod tertio quartoque die accedit; interdum urina cum copioso sedimento et diarrhoea mucosa cum striis sanguineis idem praestant. Similibus quoque pleuritis soluitur, sed cum in hac sputum ab initio tenue sit, et in progressu morbi tandem coctum magis fiat, saepius haemorrhagia narium vel alia similis morbum leuat. Solutiones minus consuetae, v. c. per sudorem, ex solo leuamine bonae iudicantur, licet de reliquo morbo vix conuenire videantur.

* Sputum cruentum, vel viscidum sanguine remixtum, optimum iudicatur; flauum enim et ichorosum caecochymiam et difficultem morbi solutionem indicat, in primis si dolor non sedatur.

§. 328.

Haec primis diebus accident et morbum diffi-
pant; si vero symptomata diutius perdurant, et cum
doloris et febris vehementioris aliqua remissione hor-
ripilatio et dyspnoea cum ponderis aucto sensu acce-
dunt, tunc suppuratio abscessum vomicamque for-
mat, quam rubor genarum et febricula versus ve-
speram aucta produnt, lenta haec mala aegro de-
num funesta sunt, nisi pus collectum cito ad eua-
cuationem disponatur. Si vero dolores cum sudore
frigido et aliis malignitatis signis remittunt, gan-
graenosæ

graenosa corruptio et acutus morbi exitus praedicendus est; quae cuncta ex curationis ratione, nunc fuis explicanda, magis declarantur.

§. 329.

In peripneumonia incipiente prophylactica venae sectio instituenda est, in primis si aegri plethorici et rigidiore fibra instructi sunt: si febris simul grauiori impetu accedit, haec venae sectione curatoria pro ratione virium aegroti moderanda est; si vero sputum vel alia resolutionis signa se ostendunt, venae sectio omnino intermittenda erit. In pleuritide quoque vena mediana in latere affecto incidenda est, quo sanguis larga satis copia, pro differentia subiecti et indole symptomatum definienda, educatur; cui, si opus est, venae sectio in pede adiungatur. Illa certe secundo vel tertio die, si vero neglecta fuerit et symptomata urgeant, tardius quoque instituatur. Si post venae sectionem dolor ad clavicularis ascendit atque diffunditur, bonum signum iudicatur.

§. 330.

In utroque morbo si mala materia per metastasis ad pectus deducta est, venae sectio non necessaria, sed potius noxia est. Si sanguiseductus crustam tenacem et mucidam ostendit, dispositio phlogistica venae sectionem necessariam fuisse, et symptomatis subsistentibus, repetendam esse declarat: Si vero resolutus, non consistens et valde ruber appetet, iusto tardiorum et frustraneam venae sectionem fuisse coniiciimus.

§. 331.

Licet inter nostros vehementes peripneumoniae et pleuritides raro occurrant: saepius tamen sub catarrha

tarrhalium specie anomalae sic dictae horum morborum accessiones obseruantur, quae forte ad erysipelas pulmonum referri possunt §. 321. quibus, cum in principio interdum satis vehemens febris adsit, tanquam spuriis fidendum non est: venae sectione potius prophylactica tempestiu[m]a[re] anterior morbi progressus contibendus est, in primis si subiecta ad inflammationem incitandam apta sint. Febris tamen non prorsus supprimatur, quo resolutorii motus, lenem infarctum discutientes, remaneant. (§. 1531.)

§. 332.

Si morbus post venae sectionem aliquo modo remittit, tunc in utroque casu clysmata F. 63. 77. iniicienda, et infusa laxantia antiphlogistica F. 51. 72. danda sunt. Emulsiones cum vel sine camphora et semine papaveris albi F. 48. 70. 81. vel cum gummi ammoniaco F. 99. ptisanae diluentes F. 37. 67. 78. et oxymel simplex vel squilliticum crebrius propinanda sunt, quo resolutio materiae obstructae et excretio per bronchia adiuvetur. Quamuis etiam in peripneumonia, ubi sputum potissimum obseruantur, talia remedia praecipue requirantur: tamen resorptione vix satis explicanda deriuatio quoque materiae obstructae ex pleura in pulmones interdum fieri, ideoque etiam eum in finem aptis remedii adiuvari potest.

§. 333.

Loco dolenti etiam applicari possunt epithemata ex floribus chamomillae cum lacte coctis, vel cataplasmata ex auena excorticata cum croco, vel alia emollientia et discutientia medicamenta F. 87. 89. vel cucurbitulae siccae vel cruentae. Vesicatoria fuisse

ris imposita interdum non sine fructu suadentur. Si etiam expectoratio ex voto succedit, et symptomata minuuntur, mixturae concentratae pectorales in parca dosi conueniunt F. 100. quibus infusa calida addantur F. 15. 54. In imbecillis et senibus robur vitale analepticis, vel etiam usu corticis peruvianii sustineatur, F. 30. 32. 39. 64. 101.

§. 334.

Si resolutio non succedit, et stagnans humor in suppurationem abit §. 313. in pleurite empyema, in peripneumonia vomica oritur, de quibus suo loco plura dicenda erunt; si vero ex neglecto regimine, aut aliis erroribus, aut ex defectu plenariae resolutionis scirrus partium producitur, lentum malum, quod gummi saponacea vel mercurialia vix resoluunt, enascitur. Gangraena imminentia raro prae-cauetur, praesens vero nunquam curatur, sed lethalis est.

§. 335.

In pleurite et peripneumonia spuria, in qua febris nulla vel exigua catarrhalis similis adest, regimen temperatum, sudorifera, resoluentia et discutientia F. 94. 95. et infusa calida et decocta F. 92. 93. adhiberi possunt, quo materia resoluatur, et per consueta corporis colatoria excernatur. Eo tamen attendendum est, ne acrioribus spirituofis medicamentis sanguis nimium exagitetur, et inflammatio et febris vehementior accendatur. Non nulla, quae hic fusius exponi deberent, in tractatione de rheumatismo, asthmate et tussi aptius proponentur.

SECTIO IV.
HEPATITIS.

§. 336.

Interdum quoque oritur inflammatio hepatis, quae hepatitis dicitur. Licet vero in hoc viscere saepius obstructio fiat, ut plurimum tamen lenta et pittuitosa est (§. 1527.), non inflammatoria, quoniam venae portae hepaticae ramifications, quae praecipua huius visceris vasa sunt, non ita cum corde cohaerent, ut vehementem eius impulsu experiantur. Rarius igitur illa, quae venosa dicitur, inflammatio locum habet, sed arteriosa, et ea in primis, quae superficiem hepatis et partes annexas membranosas occupat, interdum excitatur.

§. 337.

Accedit et haec cum febre continua acuta, siti insigni, urina parca, flammea, et dolore tensu atque pectorio, in dextro potissimum hypochondrio obseruato; actiones cum respiratione coniunctae, ob viciniam et nexum diaphragmatis, difficilius perficiuntur, interdum et vix non semper singultus vel vomitus biliosus a spasimis, quibus ventriculus et duodenum in consensum trahuntur, et icterus ab obstructione et regurgitatione bilis cum adstricta alio oriuntur,

§. 338.

Causa proxima ex generali inflammationis tractatione petatur §. 271. ad praedisponentes vero temperamentum cholericum ac melancholicum, malum hypochondriacum, calculus vesicae felleae cum bile viscida et acri referri possunt. Occasionales praecipue

puae sunt: ira vehemens, alimenta viscida, tenacia et acria, vomitus difficilis et repetitus, haemorrhagiae consuetae suppressae, in primis haemorrhoidum vitia, febris ardens biliola, metastasis materiae morbosae, grauior hepatis laesio externe illata.

§. 339.

Diagnosis in dolore vehementi punctorio, ad hepar potissimum oborto et reliquis signis §. 337. expositis colligitur; prognosis vero resolutionem aptam et ita plenariam curationem fieri indicat, si morbus leuior est; si naturae motus vel haemorrhagiæ narium, vel haemorrhoides, vel aliam excretionem sanguineam, vel etiam deiectiones aluinæ biliosas cum leuamine efficiunt; si venae sectio apto tempore administrata iuuat; si urina cum sedimento rubello est.

§. 340.

Peior rerum status adest, si inflammatio in suppurationem mutatur: tunc enim symptomata persistunt, dolor autem grauatus fit. Quando pus collectum non amplius coerceri potest, illud rupto abscessu in abdomen effunditur et tabem inducit, rarius per ductum choledochum excernitur, ubi deiectiones aluinæ purulenta morbuin leuant; saepius autem hoc ultimo in casu a materia purulenta, acri, viscida et sanguinolenta pessimus et chronicus fluxus hepaticus inducitur; interdum, si febris nimium supprimitur, et motus resolutorii impediuntur, in hoc potissimum viscere materia obstructa scirrum aliaque mala producit. Pessimum est, si gangraena oritur, et vomitus et deiectiones aluinæ materiae foetidissimæ, cum summa virium prostratione, et sudore frigido, erumpunt.

§. 341.

Si hepatitis cum febre intensa incipit, potissimum si morbus a laesione externa oritur, venae sectio larga mox in principio fuscipiatur; si vero vel ipsis naturae motibus resolutio intenditur, vel suppurationem instat, venae sectio non iuuat, sed potius noxia est et ob materiam obstructam immobilem redditam scirrhum inducit.

§. 342.

Si venae sectio administrata fuit, vel quoque si ea minus necessaria iudicatur, clysimata F. 63. 71. 77. apozemata antiphlogistica F. 51. 72. ptisanae et iulapia cum acidis F. 37. 53. 102. 52. 59. pulueres et potionis cum nitro F. 41. 79. 16. 80. exhibantur, omniaque temperamento et reliquis aegri naturalibus et praeternaturalibus dispositionibus accommodentur. Si vero symptomata cum resolutionis factae signis remittunt, infusa calida F. 15. 31. 54. et cum his essentia alexipharmacis, vel liquor anodynus HOEFMANNI ad decem, viginti vel triginta guttas propinetur.

§. 343.

Inter externa remedia, si morbus vehementissimus non est, vel praecedente medendi via paululum mitigatus fuit, epithemata ex plantis amaricantibus et resoluentibus, cum aqua coctis, loco dolenti applicentur F. 103. Si vero resolutionis spes nulla amplius supereft, emollientia potius et leniter resoluentia, v. c. flores sambuci vel chamomillae cum lacte cocti et in vesica applicati conueniunt. Si tandem abscessus se formare incipit, et fluctuatione, aliisque externis signis se prodit, cataplasinata F. 87. 89. praestant,

praestant, et ipse abscessus, si fieri ullo modo potest, plaga, scalpelli ope, in ipsis musculis abdominalibus facta, aperiatur.

SECTIO V.

VENTRICULI ET INTESTINORVM
INFLAMMATIO.

§. 344.

Et canalis alimentorum inflammatione, eaque grauiori, afficitur, cum eiusdem fabrica membranosa, neruo-vasculosa et musculosa per spasmos, sub copiosiori et velociori sanguinis affluxu excitatos, ita irritetur, ut stagnans humor in vehementem inflammationem tendat. Ea vero, prout caufsa laedens applicata fuit, vel ventriculum, vel aliquam intestinorum partem occupat; de priori igitur primum ex instituto agimus, de altera post ea paucis verbis exposituri.

§. 345.

Praeter signa inflammationis generalia §. 275. dolor acutus in ventriculo, in primis circa sic dictum cordis scrobiculum oritur, qui tamen ob insignem nexum, quem par vagum cum aliis neruis, potissimum cum intercostali, habet, saepius ad vicinas partes extenditur; ob vehementem itaque spasmum assumta protinus vomitu, vix compescendo, reiiciuntur, sub quibus motibus dolor intenſe augetur. In morbi incremento sitis clamosa, frequens singultus, respiratio breuis, pulsus durus, foetor ex ore, animi deliquia et tandem deliria accedunt.

§. 346.

Causa proxima et praedisponentes ex hac tenus pertractatis morbis patent; occasioales sunt in idiopathica inflammatione: ira vehemens cum vomitu bilioso, cibi aromatice, potus spirituosus, in primis spiritus vini, haustus aquae frigidissimae, corpori potissimum aestuanti ingestus, drausta vomitoria et purgantia intempestive adsumta, venena acria, vulnera et laesiones huius visceris; in symptomatica metastasis materiae morbosae in febribus malignis et reliquis contagiosis praecipue attendenda est.

§. 347.

Diagnosis huius morbi ob nexus viscerum, sub diaphragmate collocatorum, interdum difficillima est. Causa laedens ipsa ventriculo applicata §. 346. certissimum signum est: cum paraphrenitide enim et ea hepatitidis specie, quae partem hepatis concavam occupat, facile confunditur; ab utroque tamen hoc morbo dolore insigni differt, qui oritur, quando vel alimenta, vel medicamenta in ventriculum ingesta fuerunt. A cardialgia spastica, quae quoque cum dolore insigni est, per absentiam febris dignoscitur: in hac tamen, quae ab acri faburra vehementius mota oritur, de inflammatorio motu praecaudo serio cogitet medicus.

§. 348.

Dirissimus acutissimusque morbus est, symptoma vel euentum si species, vel etiam ratione visceris laesi, cum vomitus, qui caussam saepius removere intendit, morbum ipsum simul augeat. Si antea, quam inflammatio increscit, protinus remedia opponi possunt, aliqua sanitatis spes superest; si illa augetur,

augetur, et deglutitio sonora fit, singultus, conuulsio, sudor frigidus et deliria accedunt, res conclamata est. De inflammatione, per metastasim materiae morbosae orta, simile iudicium ferendum est.

§. 349.

Si inflammatio in corpore, potissimum plethorico, imminet, protinus vena in brachio secanda, eaque operatio in augmento morbi repetenda est; si vero nimis aucta fuit inflammatio et materia obstrueta in suppurationem tendere incipit, magis ea nocet, quam iuuat; dum enim inflammatorii morbi progressum impedit, scirrum haud raro inducit. Si inflammatio a metastasi materiae morbosae oritur, venae sectio sine fructu suscipitur. In vehementi cardialgia, signis licet inflammationis nondum praesentibus, prophylactica venae sectio omnino suadenda est.

§. 350.

Causae etiam, quae inflammationem inducunt, v. c. acria, venenata, in ventriculum ingesta, remouendae sunt; id, quod vomitu leni, per lubricantia aquosa, non nihil nauseosa, copiosius hausta, sine valido stimulo perficitur. Huc spectant decocta emollientia F. 104. iuscula pinguis non salita, aqua tepida, in primis mellita, lac aqua dilutum, vel serum lactis, quae cuncta cum oleis pressis recentibus vel butyro non salito exhibita, si vomitum non mouent, acria ad minimum inuoluunt et spasmos lenient. Possunt etiam exhiberi decocta hordei cum tamarindis, et passulis, vel his omissis, emulsiones F. 48. 70. 105.

§. 351.

Inter externa medicamenta, ad resolutionem praestandam applicanda, non nulli spiritum vini camphoratum et iure quidem laudant, dum modo solutio saturata sit; cucurbitulae dorso, scapulis et epigastrio applicatae, quae inflammationem auertunt, egregium quoque usum habent. Ad spasmus leniendum conueniunt emollientia §. 343. nec non elysmata crebrius iniecta F. 63. 71. linimenta quoque ex oleis pressis F. 106. scrobiculo cordis illinita.

§. 352.

Copiosa medicamenta alias laudata, terrea cum nitro et terrae sigillatae saepius ponderosae, argillaceae, ventriculum laedunt; multo magis nocent calida aromatica spirituosa, quae in mala morbi diagnosis saepius exhibentur, et inflammationem intense augment: morbus enim frequentior esse solet, quam vulgo creditur, et ventrichtilum inflammatum lenissima saepius laedunt. Hinc si post exhibita salia blanda, v. c. liquorem terrae foliatae tartari, vel nitri usum, vomitus cum aucta febre accedit, inflammatio subdole increscit.

§. 353.

Datis vero iis, quae acre remouent et inuoluunt §. 350. lenia opiate subiungi possunt, in primis discordium FRACASTORI. I. F. 107. quo vomitus mitigetur. Emulsiones papauerinae F. 60. vel cum nitro et camphora paratae F. 81. 108. cum fructu quoque adhibentur, nitri tamen dosis non nimis aucta sit. Omnes cibi acres, aromatici et roborantes potusque calidus et spirituosus absint, victus autem parcissimus ex farinaceis cum iuseculis tenuioribus coctis

coctis vitam magis sustineat, quam alat, vel quoque motus excitet; quae diaetae ratio etiam post morbum superatum per tempus continuanda est.

§. 354.

A qualibet intestinorum grauiori compressione, vel alia laesione in praedispositis §. 273. inflammatio in membranaceo hoc canali oritur et varias eiusdem partes occupat. Caussae occasioales praecipuae sunt: scybala duriora, hernia incarcerata, medicamenta acria, venena, vulnera, spasmi, metastasis materiae morbosae, v. c. in exanthematibus repressis*, ichorosa, acris, cancrofa materia ad intestina delata, cet.

* Cum in multis, qui febribus continuis malignis et exanthematicis corripiuntur, acris etiam saburra in primis viis inueniatur, sectiones cadaverum, his morbis demortuorum, vix non semper partes quasdam intestinorum inflammatas fistunt, quae etiam subdole et fine intenso dolore inflammatorio accedunt.

§. 355.

Dolor vero tunc oriundus a simplici dolore spastico differt, quod magis acutus, in uno loco permanens sit, et cum aliis inflammationis signis oriantur, cuius locum et partem affectam ex situ intestinorum aliqua cum probabilitate cognoscimus. Obstructio et inflatio alui, tenesmus, vomitus continuus, prima sunt symptomata, quibus, si curatio non praefatur, motus peristalticus retrogradus, singultus, conuulsio, sudor frigidus, deliria et alii pessimis inflammationis effectus succedunt.

§. 356.

§. 356.

Venae sectio mox in principio administrata, clystata repetita F. 63. 77. et si inflammatio in crassis non est, paullulum acriora F. 82. vel fumus herbae nicotianae in anum immisus, et laxantia ex tamarindis et manna simul exhibita F. 51. 72. praecipua praefstant auxilia. Alia quoque medicamenta antiphlogistica, si vomitu non reiciuntur, nec non externa §. 351. exhibenda et applicanda erunt.

S E C T I O VI. NEPHRITIS.

§. 357.

Nepritis vulgo vix non omnis dolor ad lumbos, siue regionem renum obortus, appellatur. Distinguitur autem in veram siue inflammatoriam, et in spuriam, quae iterum vel calculosa vel rheumatica est; de his et in morbis viarum urinariarum, et in tractatione de rheumatismo plura dicenda sunt. Inflammatoria vero, de qua nunc agimus, vel erysipelatodes, siue superficiaria est, vel internam renum substantiam occupat, et ad partes vicinas extenditur.

§. 358.

Dolor in loco affecto profundus, qui primum obscurus est, mox augetur et pulsans et acutus fit, in primis in iis motibus, quibus lumbi tenduntur; alvus inter ea vel laxa nimis vel adstricta cum borbo-ryginis, stupor crurum, dolor ad testiculos descendens, urina pauca rubicunda obseruantur. In leuiori malo haec mitiora sunt, si vero vehementior redditur inflammatio, non tantum febris, sed et symptomata

ptomata nunc indicata ingrauescunt; urina saepius pallida fit et aquosa, vel flammia et foetens, vomitus et obstructio aluina a consensu neruorum et spasmo insigni fere semper simul oriuntur.

§. 359.

Causa proxima est inflammationis generalis §. 271. praedisponentes sunt calculosa et nephritica dispositio, abusus veneris, eius stimulus per aphrodisiaca excitatus, quibus accedunt occasionales, diuretica fortiora adhibita, in primis cum defectu potus, incautus cantharidum usus internus vel abusus externus, calculus tenuum casu quodam motus, v. c. vietu duro, potu spirituoso acri, quauis vehementiore corporis exercitatione, lumbos in primis affidente, vulnus renis, scybala duriora in colo retenta, metastasis materiae morbosae.

§. 360.

Differt vero nephritis a morbo ischiadicō, quippe qui spasticus vicinam partem occupat, praecipue mutationibus urinae §. 358. descriptis: inflammatoria autem a spuria, febre accidente et auēta, distinguitur. Licet enim in inflammatione renūm, praeferim si, quod interdum fieri solet, homines obefos et pituitosos inuadit, febris non adeo vehemens inueniatur, nec pulsus insignem duritatem ostendat, ut in aliis morbis inflammatoriis: reliqua tamen symptomata sensim sensimque auēta vel inflammationem iam natam, vel mox generandam indicant.

§. 361.

Inflammatio renūm profundior raro resolutur; hoc tamen interdum fieri cognoscimus, si mitiora symptoma-

symptomata adsunt; si urina copiosa et crassior cum aegri leuamine mingitur; si menstrua vel haemorrhoides accedunt. Inflammationem autem non resolui, sed in suppurationem tendere cognoscimus, si maximus febris impetus remittit, absque facta crisi, et vagi insultus remanent, donec pus per urinam excretum certum suppurationis factae indicium praebat. Gangraenam accidentem indicat remissio doloris subitanea, horror, excretio urinae nigrae cum carunculis, sudor frigidus et alia. Pro symptomatum igitur differentia raro perfecta sanatio, saepius morbus lentus, interdum subitanea mors praedicenda sunt.

§. 362.

Si in corpore plethorico nephritidis prodromi ostendant, venae sectio in brachio, vel si haemorrhoidum aut mensium fluxus fuerit suppressus, in pede instituenda, et, si febris intendatur, repetenda est; noxia tamen iudicatur, si inflammatio iam in suppurationem tendit, si illa ex metaftasi materiae morbosae oritur, si infirma et laxiora corpora sunt, in quibus, febre depressa, resolutorii motus vix obseruantur. Scarificatio in regione lumborum et aliis partibus vicinis saepius cum optimo successu administratur, et venae sectioni subiungitur.

§. 363.

Laxantia, demulcentia et antiphlogistica F. 51. 72. nec non clysmata F. 63. 77. eaque saepius repetita optime conueniunt; non enim tantum antiphlogistica vi agunt, sed partem vicinam inflammatam fouent et spasmos leniunt. Potus copiosus ex aqua mellis, vel felterana, vel decoctis emollientibus, resoluentibus et diluentibus F. 37. 104. emul-
fiones

fiones quoque cum addito nitro F. 70. 105. conducunt, nec omittenda sunt remedia externa, alibi commendata §. 343. 351.

§. 364.

Omnia diuretica balsamica et acria vitanda sunt; sub finem tamen, et, si resolutio ex voto succedit, iulapia F. 17. 59. et decocta diuretica F. 78. 109. exhiberi possunt. Vetus sit demulcens ex iusculis tenuioribus cum farinaceis, vel cum radicibus diuretica vi praeditis, petroselini, apii dulcis, herba chaerophylli, turionibus asparagi decoctis, parcus tamen una vice exhibitis. Si potus fermentatus permitti potest, purus ille sit et qui renes facile penetrat.

§. 365.

Si inflammatio in suppurationem tendit, similia medicamenta, blanda diuretica propinanda sunt, quo renes purgentur; si vero febris lenta iungitur, aqua felterana cum lacte caprillo, vel lac caprillum et asinum sub apto diaetae regimine, usu tamen continuato adsuinta, optime conueniunt, quibus puluis vel etiam infusum corticis peruviani F. 64. interdum interponatur, et aliud interim et apta diaeta, et lenioribus medicamentis, aperta seruetur.

§. 366.

Ex hactenus expositis morborum inflammatorum curationibus norma quoque peti potest, si vel pars alia interna, v. c. vesica, inflammetur; vel si externalium partium inflammationes medicamenta interna quoque exigunt. Praecipua attentio in febribus eiusque mutationes conuertenda est, cum illa in

in resolutione obstruktionum efficax sit, si intra definitos limites contineatur.

C A P V T III. H A E M O R R H A G I A E.

§. 367.

Si sanguis vel ex disruptis, vel nimium ad latera diffentis vasis sanguiferis, vel ex dilatatis eorum ostiis (§. 961.) effunditur, haemorrhagia oritur, quae ideo vel ab externo quodam impetu, vel sponte quasi et ex caussis internis, euenire solet. Piores casus praecipue chirurgia considerat, ad posteriores nobis potissimum in praesenti attendendum est.

§. 368.

Caussa haemorrhagiae proxima est vel plenaria ruptura, vel distensio vasis sanguinem effudentis §. 367. Plethora varia (§. 936. 1053.) sanguinis nimia tenuitas vel acrimonia, vasa continerit destruens, debilitas solidorum sanguinis orgasmo non satis resistentium, ad praedisponentes referri merentur. Occasionales sunt aer rarus, in summo gradu calidus et frigidus, potus largior spirituosus, grauior animi affectus, nifus fortior in motu suscipiendo, euacuationes sanguineae consuetae suppressae, medicamenta calida, viscerum obstructio.

§. 369.

Mutationes corporum in sui incremento et vitae genere mutato, in suscipiendis caussis haemorrhagiarum omnino attendendae sunt: praecipue vero ad aetatis

aetatis et sexus rationem respiciendum erit. Con-
fuetae sanguinis effusiones in iunioris aetatis homini-
bus sunt haemorrhagiae narium, in adolescentibus
haemoptoe, in viris haemorrhoides, in senibus mi-
ctus cruentus, in feminis, quibus catameniorum
fluxus non respondet, haemoptoe et vomitus cru-
entus.

§. 370.

Diagnosīs per se patet; prognosīs vero ex sequen-
tib⁹ colligitur. Haemorrhagiae, ex locis consuetis
prorūpentes, non adeo periculose sunt, quam
eae, quae ex locis minus consuetis vel prorsus alienis
prodeunt. Haemorrhagiae magnae, quae vires
debilitant, nisi subito eas exhaustant, ex continua-
tis effectib⁹ tamen nocent: dum enim aptam hu-
morū praeparationem impediunt, et solida debili-
tant, morbos chronicos, v. c. hydropem et febres
lentas, inducunt. Haemorrhagiae criticae pericu-
losae non sunt, in primis si copiosae et cum leuami-
ne fiunt. Si haemorrhagia quaelibet eo usque pro-
cedit, ut sudor frigidus cum animi deliquio et con-
vulsione oriatur, ea vel maxime periculosa, vel fu-
nesta est.

§. 371.

Haemorrhagiae omnes non subito sistendae sunt,
cum, aliqua sanguinis copia subducta, illud melius
fieri queat. Hoc, quod de omni haemorrhagia va-
let, multo magis de iis, quae spontaneo naturae
motu in morbis acutis oriuntur, obseruandum est.
Quae grauiores sunt et in loco minus apto prodeunt,
venae sectionem in loco remoto exigunt; quae vero
per interualla nec adeo vehementer accedunt, ut plu-
rimum regimen tantum diaetae aptum, nec semper

venae sectionem requirunt. Hoc potissimum in eo casu obseruandum est, ubi debilitas solidorum et acrimonia fluidorum caussa praedisponens deprehenditur §. 368.

§. 372.

In omni haemorrhagia aeger in temperato et frigidiusculo versetur aere; corpus non exerceat; situm aptum eligat; in obscuro versetur loco; nec meditatione, nec animi affectu, commoueatur. Vetus sit parcior, vegetabilis, leniter nutriens, facile digerendus, et quodam modo roborans (§. 1353); potus aquosus, farinaceus, acidulatus, frigidiusculus, quibus omnibus et vires vitae sustinentur, et caussis morbi occurritur.

§. 373.

Curatoria vero indicatio praeter venae sectionem id exigit, ut praesens sanguinis orgasmus compescatur, ideoque in primis nitrum pulueribus et potionibus apta dosi cum terreis, v. c. coralliis rubris et terra lemnia, addatur; quibus alii non nunquam fortiora adstringentia, crocum martis, sanguinem draconis, cet. admiscere temerario saepius modo auident. Aliis, qui teneroris corporis habitus sunt et acrimonia laborant, emulsiones cum copioso nitro commendari possunt; acetum destillatum quoque proportionata dosi cum aquis refrigerantibus remixatum atque dilutum propinari potest. Haec tamen cuncta, nec non similia externa medicamenta in speciali horum morborum disquisitione melius, quam in generali tractatione, proponi et explicari poterunt.

SECTIO I.
HAEMORRHAGIA NARIVM.

§. 374.

Sanguinis profluum ex naribus vel symptomatum est, vel criticum, vel idiopathicum: priora bina morbis, qui cum febre sunt, accedunt et ex antecedentibus §. 139. optime diudicantur. Symptomaticum quidem, quod interdum guttatum accedit, narium stillicidium appellatur, et a vi morbi oriundum non leuat: profluum vero sanguinis a vi vitae excitatum vel morbum grauius progressurum cohibet, vel post coctionem absolutam accedit et morbum soluit, quo in casu vere criticum appellatur. Idiopathicum demum, quod sine febre est, vel cui rarissime febris symptomatica accedit, hic potissimum considerari meretur.

§. 375.

Haec vero haemorrhagia porro vel spontanea est vel violenta: illa ex interna humorum dyscrasia et acrimonia, nec non ex vasorum tunicae pituitariae laxitate oritur; haec ab impetu externo nares laidente prouocatur. In utroque casu sanguis vel guttatum excernitur, et modo definit, modo iterum incipit, vel impetuosius et continuo quasi flumine propellitur.

§. 376.

Causa proxima haemorrhagiae narium est ruptura vel distensio et ampliatio nimia vasorum; praedisponentes sunt: plethora, dispositio scorbutica, aetas iuuenilis, sexus potior, corporis infirmitas a nativitate inducta, eius celere incrementum cum voracita

voracitate, sanguis nimium resolutus cum laxitate vasorum. Occasionales sunt: laetus vixit, qui nimurum copiosum nutrimentum praebet, potus spirituofus, qui sanguinem communuet, nimia exercitatio corporis in aere potissimum calido, secretiones sanguineae consuetae, in primis in sexu sequiore, suppressae.

§. 377.

Licet haemorrhagia narium ex ipso sanguinis profluvio cognoscatur, tamen locus et natura vasorum laesi ex dolore, anatomica partium fabrica, et colore sanguinis, obscure saepius intelliguntur. Prognosis diuerfissima est: Si in robustis vel iunioribus plethorae accedit, diu sine noxa toleratur, et circulum sanguinis, et actiones, inde dependentes, liberiores reddit: Si vero et in his vel nimia, vel diutius protracta, vel saepius repetita obseruatur, corpora tamen infirma reddit, et optimam partem sanguinis subducendo, vel ad morbos lento, vel cacochymiam, praecipue hydropeim, disponit. Si imbecilis superuenit, magis debilitat, et nisi subitaneam mortem, tabidum tamen corporis statum inducit. In hecticis et tabidis, et quorum vires iam exhaustae sunt, vel sanguis nimium resolutus est, mortem accelerat; in senibus saepius apoplexiae prodromus est, in primis si praeter consuetudinem eos affigit.

§. 378.

Vti vero haemorrhagia narium in omni morbo, vel morbo statu aegri, si cum leuamine symptomatum concomitantium accedit, bona iudicanda est; quoniam saepius acutos, non nunquam chronicos, morbos soluit, et ideo saepius arte et instrumentis excitata fuit §. 296. sic contraria contrarium indicant.

cant. Si nimis sub primo sanguinis effluxu sedor frigidus, pallor et frigus in extremitatibus et labiis obseruantur. Animi deliquia accendentia interdum fluxum sanguinis sifunt, interdum vero nimiae debilitatis iudicia sunt.

§. 379.

Indicatio vitalis in haemorrhagia narium id quidem postulat, ut motus sanguinis vehementiores per nutrientia largius data non excitentur, sed vietu parco, vegetabili, roborante (§. 1353.) potius, quam iurulento, et potu tenui sustineatur aeger, non vero nimium nutriatur. Hic in aere temperato, loeoque obscuro se contineat, et situm conuenientem capitis, potissimum erectum, obseruet. Quod si vero per continuatum sanguinis profluum debilitas inducta fuerit, tunc demum nutrientia caute ingredenda, et nutrimenti applicatio frictione corporis adiuuanda est.

§. 380.

Ad indicationem caussalem quod attinet, si plethora adest, ipsa narium haemorrhagia tollit causam et morbum; hinc illa, nisi symptomata urgeant, praepostere cohibenda non est; si vero noxia reputatur, conuenientius videtur illam venae sectione coercere. Acrimoniam humorum corrigunt lenia euacuantia, potissimum rhabarbarina; hic quoque diluentia commendantur, quae in primis in sanguine nimium resoluto, ex decocto panis, furfurum et similium farinaceorum petenda sunt, quibus acida addi possunt F. 53. An interdum alkalia volatilia in acrimonia acida? raro certe, si unquam, aestum enim sanguinis nimium concitat. Debilitatem tol-

lunt vietus conueniens §. 379. cum frictione et leni corporis exercitatione. Excretiones sanguineae consuetae, nunc suppressae, aptis remediis, de quibus in aliis huius doctrinae capitibus dicturi sumus, provocentur.

§. 381.

In ipso morbi impetu, si nimiam fore haemorrhagiam suspicamur, indicationi caussali locus non datur, sed remedia, quae sanguinis profluvium protinus cohibent, adhibenda sunt. Conuenit ideo venae sectio in pede, quae tamen locum non habet, ubi nimia debilitatio est, in quo casu forte cucurbitulae cruentae artibus inferioribus applicandae sunt. Nimia sanguinis agitatio potu frigidiusculo et nitrofis cum terreis leniter adstringentibus F. 110. coerceatur, potionibus interdum addatur acetum destillatum F. 111. Fortiora adstringentia, ut puluis bissortae, cet. vel sanguis draconis, et reliqua caute adhibenda sunt, ne alui obstructio inducatur, qua praesente, haemorrhagia facile reuertitur.

§. 382.

Externa quoque remedia non omittenda videntur. Fronti, nuchae, temporibus et carpis applicentur linctea complicata, aqua vel aceto, in quibus nitrum vel sal ammoniacum solutum fuit, madida F. 112. Filis et ligaturis constringantur extrema, quo sanguinis regressus ad cor cohibeatur; constringuntur etiam vasa, si, aqua gelida inopinato adspersa, aeger leniter conuellitur. Profund quoque pediluua frigida et clysmata aquosa frigidiuscula cum nitro. In nares ipsas, vehementer urgente malo, si fieri potest, immittantur turundae, spiritu vini reficatissimo, vel solutione aluminis et vitrioli cum aqua

aqua plantaginis imbutae; illae vero ita adaptandae sunt, ut orificia vasorum tangantur, ne, naribus obstructis, sanguis per choanas in os feratur.

SECTIO II.

HAEMOPTYSIS.

§. 383.

Ex pulmonibus quoque sanguis erumpit, et cum tussi et screatu reiicitur, quem morbum haemoptoen siue haemoptysin appellant. In hac sanguis, ex pectori per tracheam adscendens, calore et aliquali pruritu fauciumque titillatione sentitur. Morbus saepius praecedit et concomitatur anxietas praecordiorum, palpitatio cordis, respirandi difficultas, dolor vel acutus vel grauatus, in quadam parte pectoris fixus, rubor genarum et febris plus minusque insignis. Sanguis, qui in nostro morbo extus sit, floridus est, aere remixtus, spumescens.

§. 384.

Non vero omne sanguinis sputum haemoptoe dici potest; quoniam saepius ex faucibus et gingivis effluens, vel ex naribus per choanas descendens, sanguis exscreatione reiicitur, quo in casu tamen molestae pectoris sensationes non occurunt. Nec cum vomitu cruento confundi debet vera haemoptoe; cum ex reiectione per vomitum, nausea, dolore quodam circa scrobiculum cordis, et sanguinis atra et congrumata indole, et ex cibis interdum admixta, haec morbosa sanguinis excretio dignoscatur. Nec tandem sputum cruentum in peripneumonia accedens §. 327. haemoptoe appellari potest, cum

illud sanguinem pituita remixtum ostendat, et post inflammationis praegressa symptomata obseruetur.

§. 385.

Caussa proxima est ut plurimum ruptura vasorum et vera diaeresis; an anaëtomosi vel diapidesi facta, sanguis ex pulmonibus reiici possit, dubium est; haemoptysis certe in aere humido oriunda, et feminis, quibus menstrua non rite fluunt, tempore isto periodico superueniens, non raro a relaxatione ostiorum vasorum induci videtur. Caussae praedisponentes sunt: aetas iuuenilis, plethora, pectoris angustia, interdum mala eius conformatio, per gibbositatem inducta, debilitas solidorum uniuersalis et praecipue pulmonum, suppressio consuetarum haemorrhagiarum v. c. narium vel fluxus menstrui, infarctus vel obstructio viscerum abdominalium, acrimonia singularis, vasa stringens vel arrodens, simul in censum duci possunt.

§. 386.

Caussae occasioales plurimae sunt: omnis vehementior nifus pectoris et pulmonum in cantu, tibiarum inflatione, tussi, cet. pectoris violentior percussio, vestitus in primis circa collum et pectus nimis strictus, phthisis pulmonalis, quibus in praedispositis etiam aliae accedunt, v. c. aer siccus et calidus vel frigidus, quibus vasa stringuntur; non raro quoque aer humidus, quo vasa relaxantur; potus inebrians; sanguinis agitatio nimia ab omni animi affectu, motu corporis vehementiore, aliisque caussis inducta; abusus medicamentorum bechicorum relaxantium; balnea calida.

§. 387.

§. 387.

Diagnosis ex §. 384. petatur. Prognosis vero, licet rarissime bona formari possit, pro differentia tamen subiectorum et cauillarum varia oinno est. Haemoptoe, ulceri pulmonum superueniens, pessima iudicatur; si enim profluum sanguinis ex magno vase fit, subitaneam mortem vix non semper inducit. Minus grauis illa videtur, quae post suppressas alias euacuationes sanguineas oritur, et quae, his restitutis, cessat, v. c. in feminis post suppressum catameniorum fluxum, in primis si parca sanguinis copia emissâ fuerit. Post grauem haemoptysin phthisis pulmonalis metuenda est; interdum vero consolidatio vulneris exigui fieri potest, si cicatrix sine subsecente ulcere formatur.

§. 388.

Indicatio vitalis, viribus etiam per morbum depresso, vix urgenda est, ne nimii sanguinis motus excitentur. Victus itaque sit parcus, tenuis, ex farinaceis, oryza, hordeo et auena, nec non ex frumentis horaeis exsiccati, vario modo praeparatis, quibus languidum corpus quodam modo reficiatur. Potus aquosus, demulcens et leniter roborans, non calidus, sed frigidiusculus, ptisana praecipue ex chinæ et symphyti radice, loco potus ordinarii suadenda est. Cauffalis indicatio id urget, ut aeger mentis et corporis summam obseruet quietem, tussim, quantum fieri potest, evitet, nec per cauffas externas excitet, corpus nec vestimentis constringat, nec stragulis oneret, in aere frigidiusculo degat, et ea, quae ex cauffarum indole nocere possunt §. 385. 386. sedulo arceat.

§. 389.

Curatoria indicatio vel ipsum paroxysmum respicit, vel morbum post paroxysmum quodam modo sedatum. In paroxysmo ut plurimum venae sectio in pede, eaque larga, vel in plethoricis quoque repetita, conuenit; intermittenda tamen est, si per euacuationem sanguinis nimium debilitatum deprehendamus aegrum, illique potius substitui debent clysteres refrigerantes et antispasmodici F. 77. Extremitatibus iniiciantur ligature. Nitrum vel sal ammoniacum cum aceto nuchae, vertici, temporibus et carpis cum linteis complicatis admoueantur F. 112. exhibeantur porro pulueres temperantes F. 79. 110. emulsiones similes F. 48. 70. potiones cum aceto destillato F. 111. nisi forte acetum tuissim augere cognoscatur, in quo casu alii et nitrum omittunt, fortioraque adstringentia, v. c. sanguinem draconis et crocum martis, addere non reformat, quae tamen, nisi noceant, parum prodeesse videntur. An forte interdum lenia opiate? F. 46. 47. 107. certe si cum nostro morbo, ut saepius fieri solet, spasmi urgent et vires nondum fractae sunt.

§. 390.

In hoc morbo quoque eo respiciendum est, ut alius libera maneat. Iniicienda itaque sunt clystera F. 71. 77. quibus nitrum adiici potest; his opportuno tempore succedant laxantia lubricantia fine stimulo salino vel resinofo F. 72. quibus sanguis, si aliqua eius copia forte deglutita fuerit, euacuetur et alius quoque post morbum superatum lubrica seruetur. Id tamen simul attendendum est, ut victu apto et facile digerendo alius semper aperta seruetur; nifus enim paullo fortior in depositione alii saepius haemoptoen reuocat.

§. 391.

§. 391.

Post impetum sanguinis sedatum exscreatio et reiectione materiae sanguineae, in pulmonibus relictae, lenioribus bechicis adiunetur. Infusum herbae oreo-felini et similiū, decoctum tenue avenae exorticatae cum sacharo cando et passulis, iuscula tenuia cum herbis recentibus, chaerophylli, bellidis, veronicae, cet. propincentur, quibus etiam herba et flores arnicæ addi poterunt: emulsiones cum medicamentis balsamicis, vel gummi ammoniaco, vitello ouorum exceptis et solutis F. 113. 116. nisi lenta febris urgeat, commendari quoque possunt.

§. 392.

Nec omittenda, sed potius prioribus subiungenda sunt sequentia: aqua felterana cum lacte caprillo, lac asininum, serum lactis dulce, quae et acrimoniam demulcent, et corpus nutrit. Obseruandum tamen cum his est accuratum diaetae regimen, quo lac bene digeratur, nec ventriculo oneri sit. Robur pulmonibus conciliatur leni huius visceris et totius corporis motu; aer vero eligatur serenus, matutinus, in locis umbrosis; exhibeat quoque cortex peruvianus, in primis in aegris laxiore corporis habitu praeditis. Balsama sulphuris aliaque calidiora medicamenta pectoralia, quae ad pulmones purgandos interdum commendantur, omnino nocent, vel cautissime certe usurpanda sunt.

§. 393.

Diaetam quod attinet, cum haec et in curando et in praecaendo morbo omnem certe paginam absoluat, praecipue respiciat medicus, ut victum tenuem, facile digerendum, ex lacte et farinaceis leuiter

uiter acescentibus paratum, suadeat. Nimia ciborum copia, et in primis cibi difficilius digerendi, aromatici, saliti et acres, potus spirituosus et inebrians nunquam concedantur. Vinum quidem rubrum subadstringens, cum aqua remixtum, interdum propinari potest, si vires corporis et speciatim ventriculi conseruandae sunt. In praedispositis venae sectio tempestiuia optimum prophylacticum remedium est, licet interdum imbecillitas obstat videatur.

SECTIO III.

VOMITVS CRVENTVS.

§. 394.

Si sanguis ex ventriculo per vomitum reicitur, cruentus ille appellatur. Sentit vero aeger inappetentiam, languorem, et deinde, ut in omni vomitu, pondus ventriculi, anxietates praecordiorum, naufragiam, tandem post praegressos vomendi conatus, sanguis vel cum cibis, vel sine his grumosus et ater reicitur, quem et satis floridus interdum excipit. Hic vero interdum cum leuamine, interdum cum animi deliquio euenit; febris quoque, licet non adeo vehemens, interdum simul excitatur.

§. 395.

Causa proxima est ruptura, vel erosio, vel diffusio nimia vasorum ventriculi, praecipue vasorum brevium, quae a liene ad ventriculum reflectuntur; lienis enim obstructio vel infarctus morbo nostro saepius ansam praebet. Num sanguis ex venis varicosis exstillet, et lente in ventriculo colligatur, an vero ex arteriis deriuetur, dubium: Sed circumstan-

tiae

tiae ponderandae sunt; utrumque enim euenire posse, certum est. Respiciendum autem potissimum, num caufsa in ventriculo ipso lateat, an ex vicino viscere eo deriuetur?

§. 396.

Cauffae praedisponentes sunt: plethora, obstru^{ctio} viscerum abdominalium, hepatis potissimum et lienis, haemorrhagiae consuetae suppressae, v. c. mensium, qua propter etiam feminis frequentior est vomitus cruentus, quam viris, iis in primis, quae validioribus euacuantibus abortum promouere student. Occasionales sunt: repletio nimia ventriculi, potus spirituofus, vehementior animi corporisque motus, vomitoria medicamenta intempestiue exhibita. Non solum vero a cauffis his et aliis internis, sed et ab externis vomitus cruentus cietur, si is draſticis medicamentis mouetur, si venena vel alia aeria adsumta fuerunt, vel si ventriculus vulnere laeditur, vel nimium repletus valide percutitur.

§. 397.

Diagnosis ex iis repetenda est, quae de haemoptoe §. 384. proposuimus; prognosis autem ita formanda: Qui ex cauffis externis oritur vomitus cruentus, vix non semper funestus dicendus est, in primis si grauior fuerit, vel cum inflammatione coniunctus: Qui ex haemorrhagiis suppressis oritur, illis iterum restitutis facile fistitur, sed hic metuenda est recidiua, et, si crebrior fuerit, cachexia: Qui ex viscere obstructo, liene potissimum, oritur, funestus. Si sanguis ater putridus excernitur, pessimum *: si post vomitum cruentum sedatum sanguis spacerus per alumum effluit, malum; si vero sanguis grumofus

grumosus et ater per hanc viam excernitur, minor periculi gradus imminet.

* Licet rarissime, datur tamen vomitus cruentus, aliquo modo criticus dicendus, ab atra bile mota.

§. 398.

Circa indicationem vitalem et causalem ea attendenda, et ad nostrum morbum applicanda sunt, quae §. 388. de haemoptoe exposuimus; curatoria vero indicatio in paroxysmo largam venae sectionem in pede exigit, nisi sub ipso vomitu animi deliquium accedat, et sanguis inde cum leuamine fistatur; prophylactica tamen et post vomitum, vel alio quoque tempore, administrari debet, si recidiuae metus nos terret.

§. 399.

Post venae sectionem, praesertim si aliud obstruta sit, clysmata emollientia iniiciantur, quae tamen non nimis calida sint, et nitri aliquot drachmas excipient. Medicamenta pauca ventriculus facile irritandus retinet. Decoctum vulnerarium ex herba millefolii, hyssopi, floribus arnicæ et chamoillæ, vel iuscula ex farinaceis cocta interdum, sed lente, propinari possunt. Ex terreis terra lemnia optima et bolus armena reliquis preferenda erunt. Nitri aliquot grana, quæ a non nullis exhibentur, alii ob stimulum reiiciunt; selectæ autem terræ boulares ad drachmam semis et ultra cum aqua plantaginis exhiberi possunt.

§. 400.

Paroxysmo sedato, lenia purgantia conueniunt, in primis rhabarbarina cum terreis et paucō nitro

F. 36. 114. vel infusum laxans F. 72. paullo post etiam liquor terrae foliatae tartari, cum tinctura martiali iunctus, propinetur F. 115. pulueres autem, ex terreis et marte praeparati, ventriculum grauant. Simul vero cum his victus ratio habenda est, ne ventriculus cibis duris et difficile digerendis repleatur, sed tantum vita aegri blandis alimentis sustineatur. Vitet hic pedum refrigerium, iram et alia, quae sanguinis motum excitare valent, nec vomitorium unquam sumat, nec draisticum purgans.

SECTIO IV. MENSTRVORVM VITIA.

§. 401.

Catamenia feminis, ob peculiarem uteri fabricam et situm (§. 563.), et plethoram in grauiditate necessariam, fluunt; dum vero nunc de morboſo eorundem statu dicendum sit, notandum est, ea in statu naturali quoad ortum in puellis, quoad ordinem, durationem et copiam in adultis, et quoad finem in imminente senio, quam maxime variare (§. 564.). Licet igitur de haemorrhagia uteri, siue de nimio fluxu menstruo, in hoc capite, tantum differendum sit; aptioris tamen doctrinae caufa et alia mensium vitia in hac ipsa sectione simul proposituri sumus, primo de menstruis oriundis, post ea de iis suppressis, tandem de nimisiis, dicturi.

§. 402.

Non datur statum tempus, quo menstrua oriuntur, sed est in feminis, ratione vitae generis, temperamenti, victus et climatis, tanta differentia, ut
 ortum

ortum menstruorum a duodecimo ad vigesimum usque annum ponere queamus. Hinc in accessu catameniorum ad aetatem solam medico non est respi ciendum, sed, si puellae de reliquo sanae sunt, hae nullis medicamentis ad fluxum fuscipendum cogantur; medicus autem tunc demum de auxiliis sit follicitus, si ex defectu menstruorum varii morbi ori videantur, vel morbi habituales ortum eorum impe diant.

§. 403.

Signa vero, quae menstrua in ortu suo non succedentia declarant, potissimum sunt sequentia: Lan guor in toto corpore, facies pallida, facile fugaci rubore tingenda, oculi concaui, flauae palpebrae, anxia respiratio et palpitatio cordis ex leui caussa au eta, appetitus prostratus vel ineptus, inflatio hypo chondriorum, nausea, tormina ventris, urina saepius pallida, interdum turbida, lumborum et pedum dolor grauatiuus *. Sunt et alia, quae tamen non semper obseruantur signa: haemorrhagia nar um, dolor capitis, oedemata pedum, alius adstricta.

* Ex his signis haud pauca faburram primarum viarum, vel inde ortos spaſmos, indicant: sed tenendum quoque est, has cauſas catamenia, in sanis sine incommodo oriunda, impedire et medici auxilium necessarium reddere.

§. 404.

Cauſae, quae ortum catameniorum impediunt, sunt: victus laetus, potus spirituofus et inde orta plethora; victus durus, difficile digerendus, glutinosus, aceſcens, potus parcus, lacticinia, ex quibus in imbecillis crudus chylus elaboratur, et ventris inflationes oriuntur; his accedit vita ſedentaria,

in primis compresso, vel per situm corporis, vel per thoraces arciores abdomine, unde lento humorum suam capit originem. Illis quoque caussis annumerari debent moeror et amor clandestinus cum desiderio veneris; pedum et pudendorum refrigerium, vel calor ninius, hiemali tempore ex carbonibus suppositis, abdomini admissus; medicamenta inepta vel intempestive applicata. Rarius angustia orificii vaginae et mala uteri conformatio inter causas menstruorum non rite succendentium referri possunt.

§. 405.

Si diaeta bona aptisque medicamentis, imminentibus naturae moliminibus, menstrua mouentur, tunc saepius sine incommodo prodeunt; quod si vero in uno et altero capite, vel in utrisque peccatur, cachexia, hydrops et alii morbi inde oriuntur, qui et corpus pessime afficiunt, nec raro mortem accelerant. Medicus vero id potissimum agat, ut curationem caussis accommodet, et tunc demum medicamenta selecta exhibeat, si molimina ad menses instantia deprehendit, reliquo autem tempore, apto diaetae regimine, cuncta ad facilem illorum ortum disponat.

§. 406.

Si igitur plethoram caussam agnoscit, venae sectione in pede instituta, circulum sanguinis liberorem efficiat. Haec tamen in aliis fluxus menstrui impedimentis inepte saepius administratur, et copiam humorum ita minuit, ut nec medicamenta exhibita rite operari, nec sufficiens sanguinis impetus exspectari queat. Motus sanguinis vehementiores temperantibus, in primis nitrofis, pulueribus F. 40. 41. potionibus F. 16. 42. compescat, et his

M

acidu-

acidulatas ptisanas F. 53. iungat. Impetum etiam humorum pediluuiis et frictionibus versus inferiora dirigat. Hoc modo in sanis de reliquo puellis saepius breui tempore catamenia optimo cum successu eueniunt.

§. 407.

Maiorem attentionem meretur lensor humorum, siue circulatio imminuta, quo in casu primarum viarum ratio prae reliquis habenda est, ut aptis euacuantibus purgentur. Vomitorium lene F. 2. requiritur, si multa faburra in ventriculo haeret; quod si vero haec non obseruatur, et vomitoria vel obmetum vomitus cruentus, vel ob alias causas, minus tuta sunt, tunc purgantia praestant v. c. pilulae F. 117. pulueres F. 5. 8. infusa leniora F. 6. noduli laxantes F. 14. 26. quibus herba melissae, abrotani, menthae, radix leuisticus, meu, aristolochiae, et alia emmenagoga, loco amaricantium plantarum addi possunt.

§. 408.

Post quam autem primae viae a faburra viscidæ purgatae fuerunt, infusa aquosa herbarum, roris marini, melissae, marrubii, praesertim si ab iis primæ viae non debilitentur, elixir proprietatis PARACELSI, tinturae myrrhae, succini et pimpinellæ albae, vel cum his essentia croci et similia medicamenta F. 118. vel pilulae ex extractis plantarum amararum et gummi saponaceis commendentur F. 119. His si lenior febris excitetur, res saepius ex voto succedit, si vero grauior illa fuerit, puluis temperans F. 120. vel similis interponatur, vel prioribus medicamentis substituatur.

§. 409.

§. 409.

Quod si vero debilitas solidorum obseruetur, et fluidorum defectus simul adsit, corpus vietu sufficiente, sed lente, repleatur et nutriatur, ante quam commemorata medicamenta exhibeantur. His iungantur medicamenta martialia, tincturae in primis, vel aquae minerales, quo in casu etiam corticis peruviani usus non negligendus est, qui certe, nisi medicamentum nauseosum nimis videatur, cum limatura martis et vino infundi potest F. 28.

§. 410.

In hac vero potissimum, sed et in omni alia caussa menstruorum non rite succedentium, apta diaeta obseruetur. Aer purus, serenus, cibi boni succi facileque digerendi, potus aquosus, vel tenuior fermentatus, motus corporis, in primis deambulatio, et somnus parcus omnino fuadeantur, animus ad hilaritatem disponatur, et omnia, quae moerorem et tristitiam alunt, remoueantur.

§. 411.

Quando autem menstrua ex voto succedunt, tunc feminae, in primis imbecilles, commonefacienda sunt, ut eo potissimum tempore, quando catamenia instant, accuratiorem obseruent diaetam, vietum crudum et potum nimis spirituosum vel refrigerantem, pedum refrigerium et omnes vehementiores animi affectus sedulo evitent, sed tranquillae motus in corpore oriundos exspectent et sustineant.

§. 412.

Menstruorum quoque suppressio tunc demum medicamentis iuuanda videtur, quando quaedam ex

his deficientibus incommoda sentiuntur; Non solum enim grauidae et lactantes ex naturae legibus mensium fluxu destituuntur, sed et post partum non lactantibus, vel morbos diuturnos expertis, per aliquot menses catamenia haud raro deficiunt, sub quibus dispositionibus corporis diaeta apta potius, quam medicamentorum copia, expeditus mensium fluxus exspectandus atque conciliandus est.

§. 413.

Medicus, de menstruis suppressis reuocandis sollicitus, ad caussas sedulo respicere tenetur. Exigit enim defectus humorum et debilitas solidorum nutrientia et roborantia §. 409. Plethora corrigitur venae sectione, potu diluente non spirituoso, et purgantibus acidulis F. 51. Nimiae fiscitati et rigiditati balnea et pediluuia emollientia, serum lactis et purgantia lubricantia F. 72. opponuntur. In lentore nimio humorum purgantia et fortiora quoque conueniunt, ita, ut in nodulis purgantibus agaricus in petia ligatus, vel sennae maior copia addatur; corporis praeter ea exercitatio suadeatur; quibus tandem emmenagoga fortiora §. 408. et balnea ex emmenagogis iungantur F. 121.

§. 414.

Si ex terrore, vel alio vehementiore animi affectu, menstrua subito supprimuntur, symptomata urgentia, v. c. motus febries vehementiores, delirium et alia, saepius venae sectionem exigunt; qua peracta, pulueres temperantes et emmenagogi F. 120. propinentur: si autem spafini vehementiores urgent, opiate et castoreata conueniunt F. 122. quae nec nimis timide, nec praeter necessitatem, continentur.

§. 415.

§. 415.

Similia quoque §. 113. attendenda sunt, si menstrua irregulariter fluunt, vel mali coloris sunt. Si enim in phlegmaticis in primis pituitosa inueniuntur, diluentibus medicamentis purgantia fortiora, emmenagogica calidiora et martialia iungantur; in debilioribus et exsuceis aquae minerales martiales melius conueniunt: si nigra et quasi adusta sunt, et difficile excernuntur, aquae minerales et pilulae ex extractis amaris et gummi saponaceis cum diluentibus quoque propinrandae sunt.

§. 416.

Si menstrua statim quidem tempore cessant, defectus eorum tamen apto regimine moderandus est; hinc si illa eo tempore, quo ad finem properant, fortius paullulum, uti saepius fieri solet, accedunt, medicamentis temperantibus nitrofis et acidis, vel ptisanis diluentibus, eorum impetus cohibendus est: si subito fluere desinunt, corpora in primis plethoraica venae sectione iuuanda sunt, si vero vel sensim deficiunt, vel longioribus interuallis accedunt, tunc saepius mutatio haec naturalis ex voto succedit. Haemorrhoides, tunc temporis in non nullis imminentes, medicamentis aloeticis adiuuandae non sunt, sed potu tenui accurataque diaeta bona sanguinis crasis efficiatur; alius libera seruetur, et si his praecaueri nequeant haemorrhoides, eruptio eorum spontaneis motibus permittatur. Si coecae urgent, venae sectio tempestiuia et potus sufficiens suadeantur.

§. 417.

Non omnis fluxus menstruus, qui copiosius quodam modo prorumpit, nimius dicendus est; sed is

demum, ex quo debilitas oritur : hinc feminae ex hoc capite diiudicandae , ratione habitus corporis, temperamenti, victus et anni temporum considerandae, venae sectio consueta nunc intermissa, et aliae mutationes feminis solemnes , quoque attendendae sunt. Si enim post aliquam suppressionem vel retardationem catamenia largius fluunt, nihil mali inde metuendum erit.

§. 418.

Quando autem cum fluxu menstruo , vel post eum finitum, imbecillitas summa, pallor faciei, ocu- li flavi, pulsus celer et debilis, prostratio appetitus, et alia debilitatis signa obseruantur, vel si euacuatio sanguinis nimio impetu perficitur et animi deliquium inducit, tunc ad cauñas respiciendum est, quo illae apta diaeta et conuenientibus remediis remoueantur; his enim symptomatibus et ipsis nimiis sanguinis effusionibus aliae feminae ad tabidum et hecticum corporis statum, aliae ad hydropem disponuntur.

§. 419.

Saepius enim, si nimia sanguinis iactura ex plerisca oritur, non omnis eius impetus ad uterum permittendus, sed venae sectione in brachio instituta auertendus est. Haec decem circiter diebus ante menstruorum redeuntium tempus optime perficitur. Eo etiam tempore omnia cuitentur, quae augmentum et orgasmum sanguinis excitare possunt; victus sit parcus, potus tenuis, non spirituofus, vita exercitata. Exhibeantur interdum medicamenta temperantia cum nitro, et laxantia leniora acidulata F. 51. 72. Acrimonia humorum cognita, oppositis remediis corrigatur ; victus vegetabilis , si primae viae eum

eum ferre possunt, tunc temporis saepe optimus est.

§. 420.

In ipso autem menstruorum procedentium impietu, praesertim si pulsus celerior febrim indicet, nitrum in potionibus F. 16. 111. et pulueribus F. 49. 110. exhibeat, aut iulapium F. 39. aut mixtura analleptica temperans F. 123. propinetur. Potus tenuis farinaceus et acidulatus commendetur, meracior autem et spirituofus, viatusque crudus omni modo evitetur. Aegra in lectulo situm seruet tranquillum, natibus per puluinar suppositum non nihil eleuat, nulloque animi affectu commoueatur. Sanguinis nimium effluuium in abortu et lochiorum fluxu simili modo diiudicatur; de eo tamen in tractatione de morbis grauidarum et puerarum sigillatim acturi sumus.

SECTIO V.
HAEMORRHOIDES.

§. 421.

Sanguinis effusio ex vasis haemorrhoidalibus haemorrhoides sive fluxus haemorrhoidalis dicitur. Hic nunquam naturalis est, sed semper praeternaturalis dici meretur, licet interdum appenter sanis accidat. Cum is vero in grauissimis faepius morbis auxilium ferat, et ab iis praeseruet, cum porro, eo suppresso, non raro grauissimi morbi oriantur; (§. 1662.) multi sunt medici, qui non solum eundem corpori conuenientem, immo quasi naturalem factum iudicant, sed et omni modo, ut praesidium sanitatis, excitandum esse arbitrantur.

§. 422.

In tractatione nostra, quae facilioris doctrinae ergo non tantum fluxum nimium, sed oīnūm historiam haemorrhoidum complectitur, differentiae earundem euoluendae et dijudicandae sunt, ante quam ipsas curationis vias exponamus. Sunt enim aliae, quae criticae dicuntur, et non tantum in solutionibus morborum cum febre, sed et in alio sano viso, attamen plethorico corporis statu, cum leuamine accedunt: aliae symptomatice dicuntur, non ab ipsa natura, sed a vi morbi ortae, ideoque aegrum sine leuamine excruciant; illae sine febre accidentes vel statae sunt, quae nimirum certo tempore recurront, id, quod tamen rarius fieri solet; vel vagae, quae saepius quidem, sed incerto tempore, reuertuntur.

§. 423.

Haemorrhoides porro sunt vel internae, vel externae; differentia a vasorum haemorrhoidalium diverso ortu et situ, nec non a margine orificii ani desumpta: fluunt saepius internae, externae vero rarius, sed crebrius tantum intumescunt. Porro sunt aut verae, quae sanguinem fluentem praebent; aut spuriae, quae nullum sanguinem exhibent, sed vel coecae dicuntur, et tantum tubercula in venis istius regionis fistunt; vel albae et mucosae appellantur, in quibus mucus tenax ex glandulis folliculosis intestinorum excernitur. Coecae interdum sine inflammatione turgent, interdum tumore inflammatorio stipatae sunt, tumque a multis medicis tumentes in strictiore sensu nominantur.

§. 424.

§. 424.

Rarius haemorrhoides in pueris et adolescentibus proueniunt; ut plurimum in viris adultioribus, trigesimum aetatis annum supergreffis, obseruantur, iis potissimum, qui strictiore corporis habitu instruti sunt, et crassum atrumque sanguinem habent; qui vitam sedentariam agunt, ob quam sanguis difficilius per abdominalia viscera transfit; qui simul laetiori vietu et spirituoso potu utuntur et ita plethoram augent; praesertim si saepius equo vel rheda vehuntur et ita valde concutiuntur. Ex feminis grauidae non nunquam, sed saepius plethoricae post mensium defectum, hunc fluxum experiuntur.

§. 425.

Causa proxima haemorrhoidum est sanguis nimium in vasa haemorrhoidalia infarctus, qui ideo aegre per venas recurrit; remotae, praeter eas, quas iam §. 424. indicauimus, sunt: pinguedo copiosa cirea intestinum rectum posita, qua in statu fano hoc intestinum molliter habetur, vasorum autem tunicae in statu morboſo saepius relaxantur, et ita ad infarctum disponuntur; hypochondriaca dispositio et infarctus viscerum abdominalium; siccitas aluina diu tolerata; purgantia draſtica, resinosa et exſiccantia, aloetica; veneris, in primis per calidiora aphrodisiaca excitatae, abusus; cibi aromatibus, allio et cepis conditi; potus tenuioris et motus defecitus; abusus vini valentioris; somnus nimius; animi affectus violentiores, moeror praecipue atque ira; ex quibus aliae praedisponentes sunt, aliae tanquam occasio-ales accedunt.

§. 426.

Ii, quibus haemorrhoides imminent, dolores spasticos circa os sacrum, cum singulari quodam pruritu in ano, sentiunt, et saepius tenesum experientur, etiam si foeces lubricae excernantur; quae quidem incommoda in aliis leuiora sunt, ita, ut accedentes haemorrhoides non, nisi ex leuamine post sanguinem emissum, percipient. In aliis symptomata magis urgent; accedunt enim prostratio appetitus, dolor continuus, ad minimum pruritus circa anum, dolor colicus crebrius et sine alia evidenti caussa recurrens, in coecis in primis intolerabilis cruciatus in depositione alui; saepius etiam febris simul excitatur, donec vel vere fluant, vel remediis adhibitis dissipentur.

§. 427.

Ex his diagnosis haemorrhoidum petitur: a prolapso intestini recti, quippe quod post foeces emissas relaxatum descendit, facile; a dysenteria, in qua sanguis cum foecibus et colluie acri ichorosa remiscetur, et dolor intestini recti non adeo, quam colicus, urget, difficilius distinguitur, hinc ad febrim et reliqua symptomata simul respiciendum erit. Variiae etiam haemorrhoidum species ex iis, quae supra §. 422. 423. diximus, facile inter se distinguuntur.

§. 428.

Prognosis ita definitur: Quae pueris et adolescentibus fluunt, haemorrhoides, ut plurimum infirme dant valetudinis signum, et vix constantes sunt, sed, postquam una alteraque vice accesserunt, facile supprimuntur, et haud raro graues morbos chronicos inducunt. Meliores saepius sunt et statae, quae

quae post trigesimum annum accedunt; optimae, quae in corpore bene valente, quinquagesimo vel sexagesimo demum aetatis anno, certis periodis erumpunt. Quae in morbis grauioribus effluunt, optimae sunt, si copiosae proueniunt, ipsumque morbum vel tollunt, vel certe leuant. Quae vel statae vel vagae sunt, et vel crebrius vel iusto copio-
fius fluunt, breue solatium praestant. Albae et mu-
cosae interdum laxitatem intestinalium, non raro
scirrhos glandularum intestinalium, et inde ortam
angustiam intestinalium declarant, et quando icho-
rosae fiunt, haud raro carcinomatrica ulcera produnt.
Ex haemorrhoidibus male tractatis saepius fistulae
ani.

§. 429.

Quibus haemorrhoides stato tempore instant, il-
li id obseruent, quod de catameniis §. 411. diximus.
In omni, praeter ea haemorrhoidum fluxu vel grauiori
vel suppresso medicus virium vitae rationem habe-
at, et aptam diaetam iniungat, ne motus vel exacer-
bentur, vel nimium supprimantur. Dispositi ad
haemorrhoidalem fluxum euitent caussas, quibus il-
iae exacerbantur §. 425. perfectior enim est sanitas
sine haemorrhoidibus, et rarius ex voto succedunt
curationes, quae haemorrhoides urgent.

§. 430.

Si haemorrhoides imminent, nec adeo urgent,
in plethoricis potissimum venae sectio in brachio ad-
ministretur; aliis praे reliquis aperta feruetur, et
si minus rite succedit, vel clysmate emolliente F. 71.
vel lenioribus laxantibus F. 6. 51. subducatur, vel
solutionibus salis medii per partes haustris lubrica red-
datur. Potus tenuior v. c. aquae simplicis vel selte-

ranae,

ranae, fermentato, si fieri potest, paeferatur, motusque crebrior, in primis deambulatio suadeatur; vini et praecipue spiritus vini potus interdicatur. Si aestus non nunquam superuenit, pulueres et potionis cum nitro F. 42. 49. exhibeantur, quo, circulatione sanguinis tranquilliore reddita, stasis circa intestinum rectum dissipetur.

§. 431.

Si vero haemorrhoides porro urgent, tunc in laxis et phlegmaticis corporibus, medicamentis aloeticis et amaris, v. c. pilulis STAHLII et BECCHERI, elixirio proprietatis PARACELSI, essentiis amaris, infusis millefolii et similiūm herbarum adiuuentur: in cholericis vero et siccioribus subiectis usus puluerum salinorum F. 124. praecedentibus medicamentis paeferatur vel interponatur. Non nunquam aquae minerales martiales, schwalbenses, egranae et pyrmontanae, temperamento et constitutioni aegroti accommodatae, felici cum successu exhibentur; tinturae martiales et similia medicamenta F. 27. 115. interdum iis substituendae sunt, praesertim si corpus aegri valde laxum sit.

§. 432.

Si haemorrhoides subito supprimuntur, et impedimenta circulationis symptomata se ostendunt, venae seictio in pede, aptum diaetae regimen et temperantia medicamenta suadeantur. Si lente supprimuntur, viscerum debilitatem indicant, in primis in iis, qui post vitam negotiosam nimium quiescunt et quietum laetum eligunt; in his, nisi quietus mutetur, et omnis diaetae ratio curiosius obseruetur, auxilium certum locum non habet. Cum vero in utroque casu

casu morbi, iique saepius grauissimi, orientur, v. c. malum hypochondriacum, infarctus et scirrhos viscerum, eruptio sanguinis per loca minus consueta, cephalalgia, vertigines, apoplexiae, cet. his, quantum fieri potest, aptis remediis cito occurrendum est, quo corpus et sine haemorrhoidibus sanum conservetur.

§. 433.

In coecis haemorrhoidibus, tumentibus potissimum, siue quibus accedit inflamatio, venae sectio et omnia ea valent, quae §. 430. exposuimus. Si alia caufsa obseruatur, quam sanguinis copia eiusque ad haec loca deriuatio, v. c. venerei morbi, calculus et ulceræ vesicae, tunc praecipue horum morborum ratio habenda est; si vero per se sine ullo alio morbo oriuntur, frequenti, sed moderata corporis exercitatione, potu diluente, nitrofis, amaris et gummi saponaceis medicamentis caute datis, non raro dissipantur, in primis si de alio libera seruanda aeger sit sollicitus.

§. 434.

Si vero haec curationis ratio non ex voto succedit, ad medicamenta externa properandum est. In tumoribus non adeo urgentibus lenia adstringentia, v. c. scobs ligni querni in facculis, vel fomentatio ex leniter adstringentibus F. 125. a non nullis commendatur. Si dolor insignis est, fomentatio emolliens F. 126. vel oleum verbasci, liliorum alborum, unguentum de linaria illiniantur. Caeu tamen, ne nimio emollientium usu, quo dolores sopiuntur, relaxatio et prolapsus intestini recti inducatur. Si multum incommodi faciant turgeantque haemorrhoides hæ coecæ, hirudines quoque applicentur: si vero

si vero simul inflammatae sunt, tunc vel discutientia F. 84. 103. in principio superhabeantur, vel si abscessus generatur, emollientia F. 87. 89. imponantur, quo pus praeparetur, et incisione facta, quam primum fieri demum poterit, educatur.

§. 435.

Ad nimium haemorrhoidum fluxum nunc accedimus, qui tamen, si vehementem et unicam evacuationem respicias, rarius occurrit, et tunc ut haemorrhagia quaelibet insignis tractanda est, sed eae quoque, quae crebrius proueniunt, nimiae dicendae sunt. In his venae sectio consueta opportuno tempore in brachio instituatur, lenioribus, et potissimum rhabarbarinis, medicamentis F. 11. 36. aliud interdum moueatur; nimius motus evitetur; nec sanguinis agitationes vietu, potu et animi affectu vehementiori excitentur: exhibeantur interdum temperantia medicamenta cum nitro, et alia roborantia, martialia F. 115. quoque interponantur.

§. 436.

Haemorrhoides mucosae, si sine dolore sunt, et intestinorum relaxationem indicant, medicamenta laxantia rhabarbarina exigunt, quibus interdum martialia, in primis aquae minerales, vel similia medicamenta, cum cortice peruviano praeparata, interponantur; falia vero vel nunquam, vel parcius propinentur. Si scirrus in aliqua intestinorum parte adeat, et tumentia circa anum tubercula mucum excernunt, tunc lenissimis tantum medicamentis, v. c. mannatis et tamarindinatis, vel sero lactis acidiusculo, aliud semper libera seruanda est, draistica autem purgantia sedulo evitentur: clysmata lubricantia ex decocto

decocto auenae excorticatae, minime autem pinguia, interdum iniiciantur. Si vero tubercula increscunt, scirrhosaeque fiunt, tunc omnem medicamentorum efficaciam elidunt, et cum scirrus, peruerso medicamentorum usu, haud raro in cancrum mutetur, et ichorosa excretionē se prodat, sub multis cruciatis aeger deīnum morbo lento consumitur.

SECTIO VI.

MICTVS CRVENTVS.

§. 437.

Quando sanguis cum urina excernitur, mictus dicitur cruentus. Hic ex omnibus viis urinariis, potissimum ex renibus et vesica, oritur: quo in casu locum affectum dolor et symptomata coniuncta definiunt; sanguis quoque, si ex renibus descendit, urinae intime commixtus, si ex vesica procedit, ut plurimum in thrombum collectus deprehenditur: sed haec et alia signa ob singularem nexum et consensum viarum urinariarum saepius fallacia sunt. Cum hoc morbo, praesertim si in renibus sedem habet, saepius sunt ischuria, tenesmus et ventris dolor; si vero, quod interdum fieri solet, sanguis sine omni incommodo fluit, laxitatem partium singularem indicat.

§. 438.

Causa proxima est diaeresis vel anastomosis vasorum, ad has partes tendentium: prior in calculo, ulcere, vel vehementi laesione externe illata, altera a sanguine copioso huc intensius moto, v. c. in suppressione haemorrhoidum, vel aliarum excretionum sanguí-

fanguinearum, rarissime in crisi morborum, obseruari solet. Ex quibus quidem caussarum remotarum cognitio patet, sed addi meretur abusus diureticorum acrium, v. c. cantharidum, relaxantium, oleoforum, quibus istae viae debilitantur. Interdum quoque articulorum morbi externis medicamentis repressi potius, quam curati, huic morbo occasionem praebent.

§. 439.

Diagnosis raro fallit: rubicundam enim et flammam urinam in febribus acutis continua longe alia symptomatum series comitantur; in feminis menstruatis interdum dubia res est, si mihius cruentus coniunctus est; aquam tamen calidam affundendo perspiciat medicus, num spissam, rubicundam, biliosam, facile diluendam, an thrombis et particulis sanguineis ad fundum fecendentibus scatentem, urinam habeat: in priori enim casu ex vesica, in posteriori ex utero et vagina progredi sanguis videtur. Cum autem haec signa saepe fallacia sint §. 437. symptomata reliqua, quae occurunt, simul attendenda sunt.

§. 440.

Prognosis, quae raro bona est, sequentibus definitur: si ex suppressa haemorrhagia oritur, facile, illa restituta, mitigatur morbus: si morbum prægressum leuat, quod tamen raro fieri solet, critica est: si saepius reuertitur, ad hec tam disponit, et cum in senibus potissimum eueniat, marasimum iis inducit: si a calculo oritur, non, nisi illo educito, curatur: si arthriticis, post morbum suppressum, accedit, non, nisi hoc reuocato et bene curato, abigitur: si ab atonia partium oritur, vel nulla, vel difficilis curatio locum habet.


§. 441.

§. 441.

Indicatio vitalis ex aegri viribus aestimatur; causalis vero et curatoria coincidunt: nam per morbi coniuncti curationem, v. c. in calculo, haemorrhoidibus suppressis, arthritide, leuatur quoque morbus noster. Si a plethora vel laesione externa dependet, venae sectio in brachio necessaria est cum aliis, quae postulat chirurgia: si acrimonia urinae et humorum morbum producunt, lubricantia diuretica danda sunt; v. c. decocta F. 38. 67. 102. 109. et emulsiōnes F. 70. 105. conductit quoque oleum amygdalarum dulcium, vel per se, vel cum vitello oui solutum: si vero partes atonia laborant, lenia roborantia conueniunt, in primis aquae minerales vel purae, vel cum lacte remixtae, forte etiam externa adstringentia F. 125. cum aqua, vel vino rubro cocta, et lumbis, pubi et perinaeo applicata.

§. 442.

Clysmata minus acria, minusque calida F. 71. 77. in omni fere mictu cruento conueniunt, quo intestinum rectum foueatur, et liberum seruetur, lenianturque spasmī; pro quo scopo etiam lenia laxantia F. 36. 50. 72. propincentur. Viētus aegri sit parcus ex farinaceis, vel iusculis cum vitello ouorum praeparatis. Tandem et decoctis leniter diureticis, §. 441. mel simplex vel oxymel addatur, quo viae urinariae purgentur; grumi enim sanguinis remanentes generationi calculi occasionem praebent.



SECTIO VII.

VARICES.

§. 443.

Subiungamus nunc pauca de varicibus: sic enim appellantur tumores venarum, valuulis instructarum, qui in variis corporis partibus, potissimum in cruribus, et in primis in feminis grauidis, sese exferunt, et non nunquam disrupti sanguinem fundunt. Est cum his ardoris sensus et pruritus fere continuus, nec non tensio et aliqualis callositas cutis, ipsae venae, sub cute et in ea ipsa decurrentes, turgent et valuularum nodos ostendunt. Remota causa, ut plurimum euaneantur, et rarius ad rupturam usque distenduntur.

§. 444.

Causa proxima est regressus sanguinis per venas minores difficilior et impeditus: hinc circa tumores, vasa maiora comprimentes, varices oriuntur: in primis vero uterus grauidus, qui vel mole insignis, vel oblique situs, velas iliacas comprimit, haemorrhoides coecae et catamenia suppressa, morbum hunc inducunt, qui eo grauior est, quo magis tumores varicosi circa pudenda ipsa obseruantur, ideoque partum difficulter reddunt. Disponit vero ad hanc stagnationem sanguis ater et viscidus, potus defectus, vita sedentaria, calor pedibus et cruribus admotus cum subitaneo refrigerio.

§. 445.

Si grauiditas vel alias morbus varicibus occasionem dedit, iis finitis, sponte cessant; si tamen causae non protinus tolli possunt, venae sectionem exigunt.

gunt. Si sanguinis spissitudo et solidorum debilitas remanent, tunc illi diluente potu, huic fascia constringente, utrique motu corporis conuenienti medemur. Si sponte rumpuntur, post evacuationem sanguinis fascia constringantur: spirituosa vero applicata sanguinem spissorem et venas duras callosas reddunt, cui vitio emplastris emollientibus interdum admotis medela afferri debet. Incisio venarum tumidarum minus tuta est et ulcera sordida relinquit: hinc non nisi necessitate coacti eam suscipimus.



TRACTATIO II. MORBI SYSTEMATIS LYMPHA- TICO-SEROSI.

§. 446.

Licet pituita viscida et acrimoniae variae in sanguinis massa saepius colligantur et generentur, in ea tamen non illico se exferunt, tamquam morbos: pituita enim cum viscidio naturali, quod sanguini proprium est (§. 176.) et spissitudinem naturalem, vel plus minusue praeter naturalem efficit, ferme conuenit, et diu sine incommodo ferri potest; acrimoniae autem variae in eodem viscidio ita intricantur, ut malignos effectus non statim a sui initio producant; hinc non nisi in aliis morbis massae sanguineae, haec tenus a nobis pertractatis, simul attendendae sunt, cum eorum indolem saepius peiores reddant.

§. 447.

Hae vero materiae morbosae collectiones sensim paullatimque in humoribus, ex sanguine secretis tenuioribus, sero scilicet et lympha (§. 242.) et liquoribus his analogis, euoluuntur. Adduximus quidem in tractatione de febribus varios morbos exanthematicos §. 163. seqq. qui ex sanguinea massa in lympham transiunt: cum vero hi morbi semper cum febre sint, et per illam extracentur, facilius reique conuenientius ibidem de illis differere et eorum naturam atque curationem peruestigare potuimus. Nunc de chronicis morbis potissimum acturi sumus, qui vel sine febre sunt, vel eam tantum accessoriam siue symptomaticam habent.

§. 448.

§. 448.

Monendum quoque est, morbos in hac tractatione explicandos in solis humoribus non haerere, sed vel laxitatem debilitatemque, vel rigiditatem solidorum simul inuoluere: cum tamen hae ipsae corporis conditiones ab humoribus morbos induci videantur, non incongrue quidem ad hos primario respicimus, in primis cum curationis ratio ab iis incipienda sit, et omnis tractatio cum ea doctrina conferri debeat, quam in therapia generali de morbis solidorum Part. IV. Cap. I. et II. (1428. seqq.) posuimus.

§. 449.

In nostra tractatione etiam tales occurunt morbi, qui non totius corporis humores inquinare videntur, vel eiusmodi certe signis non semper se produnt, sed partiales tantum decubitus formant, v. c. oedema, rheumatismus, podagra. Itaque cum partiales stases et corruptiones ab humorum uniuersalium deprauata inde orientur, et caussae et symptomata ut plurimum conueniant, generalis nostra tractatio etiam hos speciales morbos inuoluere poterit, quo catalogus morborum in altera et speciali parte brevior reddatur.

§. 450.

Generalem morborum lymphaticorum explicationem et curationem ita, ut in capitibus tractationis primae factum est, et nunc praemittere haud necessarium duximus; licet enim saepius inueniantur aegri, qui morbis nunc describendis affecti non sunt, et nihilo minus viscidorum et acrum humorum generalem correctionem tantum exigant: tamen cum

hoc in casu medicus ad semina morbosa, quae nunc commemorandos morbos progernerant, attendere teneatur, ea, quae in therapia generali de curatione prophylactica Part. III. Cap. IV. (§. 1420.) de cacochymia corrigenda proposuimus, et quae ibidem Part. IV. Cap. IV. seqq. de variis humorum vietiis corrigendis (§. 1472.) pertractauimus, confenda et huic doctrinae praemittenda sunt; generalem quoque ideam horum morborum dabit Caput I. quod nunc pertractandum nobis sumimus.

CAPVT I.

CACOCHYMA ET CACHEXIA.

§. 451.

Cacochymia (§. 939. seqq.) est deprauatio humorum seroforum et lymphaticorum, quatenus quidem vel sanguinis massæ adhuc immixti sunt, vel potius quatenus in vasa sanguiferis minora inde deducuntur §. 446. Deprauationem hanc innumeris modis variare posse, ex differentia constitutionis hominum quoad vitae genus, clima, et temperamentum patet; interdum enim serofa, pituitosa et atrabilaria humorum dispositio, interdum salium morborum accessus, considerari merentur. Ipsa vero vel in habitu cutaneo iam conspicua, vel in humoribus secretis praesens, cognoscitur et diiudicatur.

§. 452.

Leuiorem gradum huius morbi cacochymiam stricte sic dictam appellamus, ubi habitus corporis minus floridus, et actiones animales et naturales, immo

immo et vitales, languidiores obseruantur: in vulneribus praeter ea et ulceribus aliisque morbis curatio ob depravatam humorum mixtionem difficilis succedit. Maior gradus cachexia dicitur, ubi solida simul morbosca labe afficiuntur; quoniam malum iam in subtiliora vasa lymphatica, quae corporis nutritioni praesunt, deducitur; in quo casu color faciei magis foedus, luridus, vel subuiridis appetet, et actiones magis laesae deprehenduntur. Specialis vero casus est leucophlegmatia, ubi humores pituitosi, in minima vasa relaxata delati, fere stagnant, et corporis habitum tumidum et pallidum reddunt, praeter ea vero acrimoniac insignis praesentiam vix indicant.

§. 453.

Depravationem hanc humorum medicus ex commissis diaetae erroribus oriri praeuidet, inde saepius digestionis officinam debilitatem et crudos humores ibi collectos cognoscit, qui sensim ad secundas vias transeunt, et chylum, sanguinem et lympham corruptunt. Humorum itaque indoles sensim paullatimque depravata colorem cutis foedum reddit, corporis et animae actiones coniunctas infirmat, secreciones consuetas, in primis sudoris, urinae, cet. saepius inordinatas efficit, nutritionem corporis genuinam impedit, et languorem uniuersalem inducit; ex quibus omnibus medicus, ad initia morborum attentus, cacochymiam latenter nunc euoluendam intelligit, et maiores cachexiae et leucophlegmatiae gradus ex signis his auctis et evidenterib[us] factis perspicit.

§. 454.

Caussa proxima in mixtione sanguinis et seri deprauata consistit, quae ex speciali caussarum remotarum examine patet, et inde accuratius definienda est. Caussae remotae sunt plurimi diaetae errores, qui corpus primum ad cacochymiam disponunt, et saepius auctae et continuatae deprauatam humorum indolem, ex qua solida male afficiuntur et actiones laeduntur, inducunt. Dabit igitur sex rerum non naturalium series uberrimas caussas, ex quibus hic morbus generari potest, de quibus ut exemplis coram auditoribus nostris agamus, cum omnes sigillatim repetere nequeamus.

§. 455.

Attendenda tamen et alia sunt: obesa et laxa corpora, quae humoribus, ob vim solidorum deficiente non bene elaboratis, abundant, his morbis praे reliquis obnoxia sunt: euacuationes magnae vel nimis frequentes seri, sanguinis, saliuæ, lactis, spermatis, cum optimos humores non subito resarcendos subducant, cacochymiae occasionem praebent: excretiones sanguinis et aliorum humorum consuetae, quae ex dispositione naturali et morbos corporum felici cum successu fieri deberent, si supprimuntur, semina cacochymiae in corpore relinquunt, quoniam particulae morbosae non sufficienter excernuntur. Post magnos quoque morbos superatos facile cacochymici sunt, qui diaetae accuratioris regulas negligunt.

§. 456.

Dif fert cacochymia striete sic dicta colore faciei ab ictero, in quo color magis flavius est, et in albinea

ginea oculi et humoribus excretis v. c. urina simul conspicitur, et a chlorosi, in qua is pallidior et viridescens deprehenditur; licet, si dicendum, quod res est, hi morbi ad cacochymiam referri, et illa cacochymia biliosa, haec pallida virginum dici possit. Differt porro ab atrophia et tabe tumente magis corporis habitu; differentia autem a reliquis morbis, in hac tractatione recensendis, ex sequentibus patebit: vere tamen, uti iam monuimus, §. 451. cacochymia ut genus, reliqui morbi ut species considerari possunt.

§. 457.

Morbus vero noster, si in humoribus tantum haeret, facile quidem curatur, si selectis et aptis remediis pharmaceuticis optimam diaetam iungit aeger; sed si haec negligitur, morbus saepe ex parte suppressus recrudescit. Si viscerum atonia coniuncta est, difficilius curatur aeger; si infarctus viscerum et obstructiones, in primis in infimo ventre adsunt, curatio fit difficillima, nulla vero locum habet, si labes visceris grauior obseruatur. In corporibus siccioribus macies et tabidus corporis status inducitur, in laxis vero, in primis leucophlegmatia affectis, hydrops facile generatur.

§. 458.

Mirari quidem quis posset, cur non hic morbus et alii sequentes vires vitae per resistentiam humoris lentescientis et acrimoniam irritantem excitent, et ita cor et pulmones ad velociores et febriles motus disponant, quibus materia morbi moueri, subigi et expelli queat? Sed si perpendimus, materiam morbo-fam extra circulum sanguinis rubri lente colligi et inde vasa sensim sensimque relaxari, facile praeuide-

mus, cur nec febris per se oriatur, nec medicus eam in hoc morbo facile excitare possit. Quodsi enim febris accedit, aut anomala, aut lenta esse solet, et raro prudentis medici directione in certum aliquem ordinem redigitur.

§. 459.

Quoad indicationem vitalem tamen eo respiciat medicus, ut bono nutrimento, non facile corruptio- ni obnoxio, vietu vegetabili in primis, si illum pri- mae viae ferunt, et roborante diaeta viribus vitae succurrat; haec tamen nutrientia impuris corporibus caute, et non nisi primis viis quodam modo purga- tis, ingerenda sunt. Indicatio caussalis exigit, ut aegrotus, a medico monitus, omnes diactae erro- res, qui haetenus morbo occasionem dederunt, ac- curate cuitet et corrigat; solis enim medicamentis pharmaceuticis hic morbus non tollitur.

§. 460.

Indicatio curatoria in malo incipiente postulat purgationem primarum viarum, quod quidem post praemissa digestiua, purgantia, cuilibet subiecto ac- commodata, et caussis praedisponentibus opposita, praestant. Salia vero, quae viscidum in primis, et forte quoque in secundis viis, efficaciter resoluunt, cautius adhibenda sunt, cum diuturnus eorum usus solidorum robur nimium infringat. Hinc purganti- bus medicinis interdum rhabarbarum, interdum aloë, si natura aegri eam ferat, addatur, interdum selecta carminatiua in nodulis laxantibus propinentur. Tin- etura tartari acris, vel antimoniata, aut essentia suc- cini et pimpinellae albae, et similia medicamenta to- nica et resoluentia prioribus interponantur.

§. 461.

§. 461.

Si viscerum atonia et aliqualis eorum infarctus imminet, medicamenta blande resoluentia euacuantibus lenioribus et repetita vice datis vel iungantur, vel interponantur. Huc scilicet spectant gummi saponacea medicamenta F. 23. 24. 116. 119. quibus quidem et extracta amara, leniter roborantia, et limatura martis, vel pro resoluendi scopo mercurius dulcis, addi poterunt F. 19. 127. 128. Quodsi vero haec cum potu aquoso ex ptisanis F. 37. 67. 78. 109.* per aliquod temporis spatium exhibita fuerunt, tunc aquae minerales, thermae scilicet carolinae, vel acidulae egranae, vel similes subiectantur, quibus primae viae eluuntur, viscida educuntur, et solida roborantur. Nec incongruus est in his, post materiam viscidam resolutam et maximam partem euacuatam, corticis peruviani usus F. 27. 101. et tincturae martiales.

* Potum aquosum tenuem, pro scopo diluendi et resoluendi, maxime quidem in hoc merbo necessarium esse intelligimus; cum autem non adsueti saepius eundem aegre ferant, et magnam inde ventricui debilitatem sentiant, potus fermentatus interponendus est.

§. 462.

Haec vero medendi ratio pro differentia subiectorum caute ordinanda est: Si enim post nimias euacuationes, vel post morbos graues superatos, imbecilles facti fuerint aegroti, tunc lenissima purgantia, rhabarbarina, danda, et corpus iusculis, cum herbis recentibus coctis, antea nutriendum est. Conueniunt hic radices petroselini, asparagi, cichorei, apii dulcis, herbae chaerophylli, acetosae, nasturtii, fumariae,

fumariae, cet. Aliis serum lactis, vel lac asininum, vel aliud, vel per se, vel cum aquis felteranis mixtum, magis accommodatum videtur, donec hac ex parte indicationi vitali satis factum sit, quo demum ad curationem antea descriptam progredi queamus.

§. 463.

Interim et haec methodus magnam attentionem exigit: cum enim corpora impura nec validioribus euacuantibus agitanda, nec ulterius debilitanda, nec ex altera parte nutrientium nimio usu laedenda sint; utrumque tamen necessarium videatur; ante quam indicatio fluida corrigens fuscipiatur, robora tibus caute datis, et modo unius, modo alterius indicatio nis ex nunc propositis ratione habita, medicus finem suum haud raro attingit; nulla enim cogitari potest vera humorum morbosorum correctio, nisi vires solidorum, quantum fieri potest, sustineantur.

§. 464.

Medicus etiam in his et sequentibus morbis curandis febris, si qua acciderit, rationem habeat. Licet enim, ut paulo ante monuimus §. 458. febris genuina tertiana intermittens, vel moderata continua remittens, quae effectu suo vere salutares esse possunt, in cacochymico, multo minus in cacheectico corporis statu, vix excitari queat, sed ut plurimum anomiae tantum febres intermittentes et continuae occurrant; tamen et in his saepius medici, qui motus corporis dijudicare sciunt, vires vitales residuas ita dirigere valent, ut correctio humorum lenta quidem, sed satis perfecta, attingatur.

§. 465.

§. 465.

Indicatio symptomatica ex individuali aegrorum dispositione patet; hinc tantum monemus, interdum stomachicis medicamentis primarum viarum robur conseruandum esse, pro quo scopo igitur selecta et cuilibet aegro apta medicamenta F. 12. 22. 30. 100. commendanda sunt, quae indicationem curatoriā iuuant. Si vero, quod saepius fieri solet, in cachexia ulterius progressa varia alia symptomata oriantur, v. c. febris lenta symptomatica, animi deliquia, cet. tunc ex aliis huius doctrinae capitibus iūs prospiciendum est.

CAPVT II.

HYDROPS.

§. 466.

Humor serosus, interdum limpidus, interdum non nihil viscidus et stasi corruptus, in variis corporis cauitatibus praeter naturam collectus et stagnans, hydropis nomine insigniri solet. Hic morbus in plurimas species dividitur, quatenus nimirum humor peccans aquosus, vel in vasculis, vel in cellulis, vel in cauitatibus corporis diversis, stagnat, quae quidem ab errore loci desumpta differentia primo quidem attendi meretur, licet in eo dijudicando ad differentiam humoris contenti simul respiciendum sit.

§. 467.

Oedema leuior est hydropis species, ubi vel vasa lymphatica nimium relaxata, vel tela cellulosa in variis corporis partibus, fero replentur, et magis distenduntur; in priori casu tumor obortus tactu du-

rior

rior est, in altero autem mollior. Haec vocis significatio generalis est, et plures species nunc disquirendas inuoluit; in specie autem oedematis nomine insignitur tumor frigidus, digitoque prementi cedens, in pedibus obseruatus; omnis tamen serofus tumor generum, faucium, manus, cet. oedematis nomen quoque recepit.

§. 468.

Anasarca humorem serofum, in vasis lymphaticis, vel cellulis distentis quoque stagnantem, ostendit; in ea tamen tumor inter cutem et musculos per totum corpus ad minimum ab extremitatibus inferioribus ad abdomen usque se extendit *. Huc quoque referri meretur hydrocephalus externus, siue tumor serosus, qui totum capitis ambitum externum occupat. Hydrops scroti, qui in cellulosa eius tela subcutanea sedem habet, et ad penem usque extenditur; saepius cum anasarca aliisque plurimis hydropis generibus est. Hydrocele autem particularis morbus iudicatur, in quo aqua extra vasa missa et stagnans telam cellulosam tunicae vaginalis testium occupat. Est haec primaria hydroceles species, alia inferius describenda erit. In omnibus his ad maiorem vel minorem tumoris duritiem respiciendum est.

* Leucophlegmatiam, quam non nulli ad anasarcam referunt, nos cum cachexia descripsimus. §. 452.

§. 469.

Aqua in cavitates corporis internas morbose effusa, diuersis denominationibus occasionem dedit. In infantibus enim, in quibus ossa caluam constituentia cedunt, hydrocephalus internus locum habet,

si nimirum aqua inter meninges haeret, et capitis molem auget: interdum vero in spinalis medullae cavitatem descendit, spinam bifidam et tumorem quoque ad initium ossis sacri efficit. In adultis interdum hydrops ipsius cerebri obseruatur, dum aqua in ipsis ventriculis lateralibus cerebri deprehenditur. Tripartita quoque thoracis cava aquam extra vasam missam ostendit, et vel in uno vel altero thoracis cavo stagnans, hydropem pectoris, vel in cordis saccu haerens hydropem pericardii fistit.

§. 470.

Si aqua in cavaum abdominis emittitur, mōrbus plerumque ascites dicitur, qui insigni infimi ventris tumore se prodit. Hic magnas tamen admittit differentias, cum serum vel inter muscules abdominales, v. c. in vaginam recti, vel inter musculos et peritonaeum effundatur. In cauo etiam abdominis non tantum illud haeret, sed in multis quoque minoribus cavis, ceu hydatidibus, ex scirrhis viscerum, in specie mesenterii tumoribus, oriundis, deprehenditur. Huc quoque spectat ouarii hydrops, quippe qui ex scirrho ouarii oriri solet. Hydatides autem interdum tenui et pellucida membrana instructae sunt, et copiosae deprehenduntur, interdum non nullae ex his mole et crassitie parietum insigniter augmentur, variis partibus per pedunculos crassos adhaerent, et hydropem saccatum fistunt.

§. 471.

Commemorari quoque meretur hydrops uteri et tubarum, ubi in his cavitatibus aqua effusa diu continetur, et grauiditatem spuriam cum insigni ventris tumore efficit. His tandem subiungi potest testium tumor

tumor aquosus, à sero in cauo, ab albuginea tunica formato, collecto, oriundus, quem veram hydrocelem appellare, et ab ea, quam supra p. 478. descripsimus, distinguere tenemur. Omnes hos morbos, in essentialibus proprietatibus similes, in accidentalibus vero inter se diuersissimos, sigillatim pertractare superfluum esset: hydrope in itaque in genere, methodo a nobis recepta considerare et de speciebus varia, quae ad earundem cognitionem et curationem spectant, sparsim immiscere placuit.

§. 472.

In oedemate et omni leuiori hydropsi principio, praeter partium tumorem et aliqualem corporis torporem, vix aliquid incommodi obseruatur, cum appetitus moderatus et somnus tranquillus vires sustinent. Crescent autem incommoda cum tumore crescente, et molestum motuum voluntariorum exercitium, et difficilis respiratio potissimum malum auctum declarant. Haec symptomata versus vesperam augentur, et matutino tempore quodam modo remittunt. In quibusdam aegris lento, in aliis subiteus morbi progressus obseruatur, qui quoque pro differentia anni temporum et tempestatum variantium diuersus deprehenditur.

§. 473.

Grauiora symptomata efficiunt serosi humores, in cavitatis magnis collecti. Ascites v. c. in principio cum incommodis recessitis, leuem abdominis tumorem ostendit, et oedemata saepius coniuncta habet: paullo post augetur malum, fluctuans aqua in abdomine concusso percipitur, respiratio difficilima, anxietas praecordiorum, pulsus parvus, aliud fice,

sicca, urina parca lixiuiosa, fitis ingens, sudor nullus, perspiratio exigua; accedunt tandem macies superiorum partium corporis, facies hippocratica, tussis molesta, sicca, et reliqua laesio[n]is visc[er]um abdominalium signa, febris lenta, icterus. Hydrops pectoris et pericardii tumorem quidem sensu percipiendum non sifunt, sed progressu temporis eadem et grauiora symptomata, sumimam in primis anxietatem cum palpitatione cordis, inferunt, cum viscera thoracis nobiliora comprimantur. Hydrops cerebri, nullo tumore conspicuus, vertiginem, melanocholiā et alia neruorum vitia inducit, et saepius sectione cadauerum demum cognoscitur.

§. 474.

Causa proxima hydropis est serum errore loci peccans, in cavitates effusum *. Haec vero effusio vel a relaxatione vasorum seroforum et lymphaticorum, vel ab eorundem plenaria ruptura oritur. Corpora quidem obesa et laxa magis ad hunc morbum disposita sunt, cum humores viscidi et lentescentes vasa teneriora non solum distendant, sed etiam in eorum extremis per se iam facile subsistant: attamen in tabidis quoque lympha resoluta tenuis extra limites dicitur, et stasi magis magisque corruptitur, hinc non nunquam sicciora etiam corpora occupat morbus noster, in primis si cachecticus eorundem habitus, et acre et arrodens serum deprehendatur.

* An sola humoris stagnatio in vasis lymphaticis ad causam proximam referri possit, quaeritur: certe in incipiente morbo, oedemate, vel leucophlegmatia quando vero morbus adolescit, tunc vera effusio et in cellulas et causa tantum locum habet,

§. 475.

Cauſſae occasioнаles, quibus ſolidae et fluidae corporis partes ad hunc morbum diſponuntur, in numeroe fere ſunt; repetantur ideo potiſſimum eae, quae ad ductum §. 454. 455. de cacochymia indicae fuerunt. Aer humidus, perſpiratio inde ſuppreſſa, cibi diſſicilioris diſtentionis, potus fermentati, in primis concentrati ſpirituoſi, abuſus, nec non potus aquae calidae immoderatus, deſectus exercitiū corporis, nimius ſomnus, compressio venarum, regrēſſum ſanguinis et inde reſorptiōnem feri in mini-mis vasis impediens. Obſtructio et ſcirrhus viſce-rum, febres in primis intermiſſentes male curatae, euacuationes ſanguinis teneriorumque humorum co-pioſae, non facile laudabili ſucco refariendae, et aliae plures cauſſae, aequalem humorum ſeroforum circulum et aptam eorundem elaborationem impe-dientes. Ex hiſ enim aliae vafa lymphatica diſten-dunt et rumpunt, aliae feri ſtagnantis copiam au-gent et acrimoniam inducunt, aliae reſorptiōnem lymphae impediunt, plurimae vero ſimul coope-rantur.

§. 476.

Hydrops in genere omnesque eius species §. 467. ſeqq. reſenſitae, quando tumore et aquarum fluctuatione ſe produnt, optime cognoscuntur; quod ſi vero ad ſolam tensionem vicinarum partium et ſymptomata inde oriunda respicere teneamur, di-quiſitio ſaepe dubia relinquitur. Oedema et anafar-ca tumore, preſſione digitorum et fasciarum ceden-te, dignoscuntur: aſcites a tympanitide per fluctua-tionem, ab agitatione ſonora diuersam, diſtinguitur, quippe quae ſinistra manu, uni lateri abdominalis ap-plieda, et altero eius latere dextra leuiter percuſſo, perci-

p̄cipitur. In reliquis quoque speciebus flūtuatio, ex tactu et agitatione percipienda, et cum fabrica partium comparata disquisitionem iuuat.

§. 477.

Quod si vero his auxiliis non nullas species hydrops distinguere haud valeamus, cauffae, ex temperamento et constitutione aegri, et morbis olim superatis collectae, examinandae sunt. Ab asthmate ipasnodico et morbis pectoris inflammatoriis non nunquam oritur hydrops pectoris et pericardii, qui a scirrhis et polypo cordis difficile distinguitur. Post tumores abdominis scirrhosos dolor tensissus, subito obortus, et tumor flūtuans, breui increscens, hydrophem cum hydatidibus coniunctum et ipsum faciatum §. 470. declarat. Colligenda igitur in his sunt omnia signa, ab actionibus laesis petita, et flūtuatio saepius obscura, vel ab aegro, vel a medico obseruata, simul in auxilium ducatur, quo natura et sedes morbi cognoscatur.

§. 478.

Haud paucae tamen interdum remanent fallacie, et natura morbi saepe tardius, et quando is adoleuit, interdum post mortem demum, detegitur. Sic hydrops uteri in cachecticis oriundus, saepe cum grauiditate confunditur. Fluit quidem non nunquam in hydrope uteri humor ex genitalibus, nec mammae praebent lactis indicia; a mola tamen et parte secundinarum in utero retenta, similia saepe oriuntur incommoda et ex his quoque interdum hydrops uteri initia sumit. Hydrops cerebri in vertiginosis, stupidis, epilepticis, aliisque neruorum affectibus, ut caussa morbi, considerandus est. Hy-

drocele spuria, quae vaginalem tunicam occupat, in infantibus magis, quam in adultis, pelluciditate cognoscitur.

§. 479.

Hydrops omnis difficilis est morbus, qui vel chronicus iudicatur, et diu suppressus iterum recrudescit, vel haud raro sub celeri symptomatum augmento ad mortem disponit. Si ex caussis suis lente increscit, his remotis, non nunquam sponte cessat, v. c. anasarca a perspiratione suppressa, vel a grauiditate oriunda, in primis si vasa lymphatica nondum rupta sunt. Idem obseruatur in hydrope, post febres intermittentes intempestive suppressas oborto, si nimirum febris iterum excitatur et apta medendi methodo curatur §. 96. Saepius hoc in casu insignis euacuatio serosa, in primis per urinam, vel viribus naturae ipsis, vel medicamentis aptis perficitur, id, quod in iunioribus subiectis praecipue obseruamus.

§. 480.

Si hydrops cachectica corpora inuadit, subito increscit et letalis fit. Si scirrus vel alia visceris gravior laesio caussa est, nulla spes curationis; hinc hydrops ex ictero oriundus, vel si eidem icterus accedit, scirrum hepatis adesse docet. Si secretiones plurimae serofae suppressae sunt, praesertim si fitis ingens et lingua sicca obseruentur, malum. Ulcera in pedibus manantia et maxime humida morbum quidem leuant, saepissime tamen tantum ad aliquod tempus. Si ulcera in pedibus maligna et gangraenosaa fiunt, tristem morbi exitum declarant. Deiectiones serofae bonum dant signum, nisi debilitatem inducant; pessimae autem sunt et mortem accelerant,

rant, si corrupti et acres humores excernuntur. Febris lenta, sitis cum tussi sicca et foetore oris, humores stagnantes, corruptos et alkalescentes declarant. Haemorrhagia narium, quae a compressis maioribus vasis abdominalibus oritur, mortem propinquam esse ostendit.

§. 481.

Indicatio vitalis in hoc morbo, in primis si idem lente increscit, non quidem solis medicamentis analepticis, sed potissimum apta diaeta praestanda et ideo cum caussali coniungenda est. Licet enim impura corpora, qualia hydropicorum saepius sunt, nec nutrienda nec roboranda sint, optimo tamen vietu et corporis exercitatione, quantum fieri potest, solidorum robur sustinendum est. Eligantur ideo cibi siccii, facile digerendi, carnes assatae, fructus horaei exsiccati, euitentur cibi flatulenti; potus parcus bene fermentatus, et qui urinam facile mouet, propinetur; sitim tamen, quantum fieri potest, patienter ferat aeger, et corpus praeter ea pro virium ratione exerceat, et frictionem cutis crebrius fuscipiat, frigus quoque sumnum euitet, sed ex altera parte calore moderato conclavium et stragulorum corpus tantum foueat.

§. 482.

Indicatio curatoria fluida extra vasa missa euacuare et vasa ipsa roborare iubet. Prior indicatio, serum per varia corporis colata subducendo, et inde ab errore loci reuocando, ~~ad~~ itur. Licet vero humores saepius viscidi, vel alio modo corrupti sint, medicus tamen de eorum correctione vix sollicitus esse potest, nisi aliquam partem subduxerit, qua in

re summa cautela opus est, ne validis euacuantibus robur solidorum nimium infringatur. Quoniam etiam natura non semper eandem curationis viam eligit, medicus quoque in euacuatione praestanda medicamenta, caussis et constitutioni aegri conuenientia, eligere tenetur; de his itaque accuratius paulo agendum est.

§. 483.

Cum in nostro morbo saepius copiosa faburra, in primis viscida pituita, primas vias occupet, ea, quae humores per aluum subducunt, primo loco tentanda sunt. Hoc in casu vero non mitiora quidem, sed draistica potius, purgantia eligenda sunt. Salia digestiva et laxantia, v. c. sal anglicum, vel sal thermarum carolinarum, ad unciam unam et ultra data, saepius quidem magnam aquae copiam subducunt; sed cum his solida nimium relaxentur, resinosa et acria F. 7. 8. quae saepius uno impetu pituitam cum aquis exturbant, melius conueniunt. Commendentur praeter ea draistica hydragoga, v. c. succus ireos nostraratis, cortex medius fimbuci, agaricus trochiscatus, trochisci alhandal siue colocynthidis pulpa, elaterii et esulae succus, cet. F. 129. 130. In his tamen draisticis exhibendis, dosi moderata et sensim aucta ascendendum est, ne fortiori effectu vires nimium frangantur.

§. 484.

Quod si vero subiecta debiliora fint, tunc mitiora et repetita medicamenta omnino praestant F. 6. 90. 117. vel noduli laxantes F. 14. 26. suadeantur, quibus agaricus trochiscatus et squillae radix conueniente dosi addi possunt. Salibus digestiis interpositis

sitis effectus purgantium facilior redditur, in primis in eo casu, ubi quaedam febris lentae indicia apparent, et scirrhosa et obstructa viscera simul obturantur, ne praecipitentur aegri, qui seruari non possunt. Rhabarbarina salibus iuncta F. 4. 131. non incongruum edunt effectum, licet enim mitiora videantur, usu tamen continuato saepius salutaria inueniuntur, faburram viscidam mouent, et per aluum aequum ac vias urinarias euacuant.

§. 485.

His, praesertim in anasarca, iungenda vel interponenda sunt diuretica, v. c. salia plantarum alkali-na, tacheniana dicta, vel cineres plantarum vino rhenano soluti F. 132. millepedum viuorum, cum vino rhenano tritorum, succus ad cochleare unum et alterum; succus herbae nasturtii vel cochleariae simili modo paratus, quae saepius plus valent, quam tinturae tartari acris, antimonii tartarisata, millepedum, liquor terrae foliatae tartari et alia diuretica, vel separati vel coniuncti ad guttas octoginta vel centum exhibita. Cum his dari debent ptisanae diuretiae F. 109. quae et leniter resoluendo, et praecedentium medicamentorum effectus augendo, egestie profundunt.

§. 486.

Saepius his omnibus praefstat radix squillae, (§. 1606.) cuius puluis in variis medicamentorum formulis F. 133. 134. 135. ad grana aliquot pro dosi, vel extractum eius aquosum in pilulis et mixturis concentratis F. 136. exhibetur. Tenendum tamen est, in usu medicamentorum squilliticorum ad eam dosin usque adscendendum esse, quae nauseam, non

vero vomitum, in primis matutino tempore moueat. Vomitus tamen interdum utilis est, hunc enim, si viscera non adeo laesa sunt, et dejectiones aluitae et diuresis largior sequuntur. In laetone vilceris omnino cautius verlandum est; in debilioribus itaque aegris, et quos iam tenet febricula, sorte sufficit acetum squilliticum, vel oxymel squilliticum in mixtulis F. 137. 138. exhibitum. His enim medicamentis et viscidum resolutur, et euacuationes per aluum et urinam ex voto succedunt.

§. 487.

Non nulli et diaphoretica suadent; quae tamen excretio minus conueniens videtur, et tunc demum eligenda erit, ubi sudorem cum optimo successu per se iam erumpere conspicimus, qui essentia alexipharmacorum STAHLII vel mixtura simplici F. 44. 66. tunc temporis adiuuandus erit. Forte etiam solutio fuliginis cum alkali fixo F. 139. reliquis medicamentis diaphoreticis praeferri meretur. Haec tamen medendi via, in anasarcia a refrigerio externo orta magis, quam in alia hydropis specie, valet, ne, diffilatis tenuissimis fluidis, viscida pituita obstrunctiones viscerum augeat.

§. 488.

Quando autem haec medicamenta euacuantia exhibentur, et vel nullum vel exiguum praestant effectum, interdum conuenit resoluentia et leniter corroborantia medicamenta vel prioribus iungere, vel separatim reliquis interponere, quo viscidum ad excretionem disponatur, et tonus partium, quantum fieri potest, confirmetur. Praestant hoc extracta amara soluta cum salibus F. 18. 19. infusa vinosa radicum

radicum et aliarum partium vegetabilium resoluentium F. 140. et pilulae ex extractis amaris et gummi saponaceis F. 23. 127. Si his remediis ex voto agentibus euacuationes optime succedunt, neque obstructi, multo minus scirrhosi, visceris adsunt signa, cortex peruvianus vel per se F. 20. 21. 101. vel cum marte iunctus F. 27. 28. immo tinturae martiales, essentiae pimpinellae albae, corticis cascarillae, vel similes F. 100. iungantur.

§. 489.

Haec vero medicamenta, in primis euacuantia valentiora, et ex his squilliatica, caute adhibeantur. Effectum enim speratum frustra exspectantes, nimis praeceperanter et pertinaciter iis non inhaerere, sed, lenioribus interpositis, virium aegri rationem habere debemus, quae omnino victu bono et parco, corporisque motu, quantum fieri poterit, sustinendae sunt. Non nunquam enim, post magnas diuque continuatas euacuationes, vel insultus apoplectici imminent, vel febres lentae accedunt, vel viscera exsuffca et scirrhosa redduntur. Licet enim morbus hic pertinax sine medicamentis vix debelletur, tamen et in diuturno hoc malo aliqua exspectatio utilis est. Haec vero praecipue suadenda est, ubi dubia grauiditatis signa obseruantur.


§. 490.

Medicamenta quoque externa negligenda non sunt. In oedemate, quod grauioribus morbis internis non superuenit, sacci ex furfure, sale, arena, puluere plantarum discutientium F. 141. applicentur; raphani quoque taleoli plantis pedum cum optimo successu alligentur; frictio lenis continuata

et sensim aucta in partibus tumentibus instituatur. Euacuato aquoso humore, pedes fascia vel tibialibus arctius constringendis (*Schnürstrümpfe*) contineantur: Si vero oedema cum alia hydropsi interni species est, vel eidem accedit, rem dia exposita vel non iuvant, vel saepius nocentissima sunt. Sic etiam abdomen tumore subsidente sensim sensimque leniter constringendum est. In ascite, hydrope pectoris et hydrocele, acu triquetra cum cannula adacta, paracentesis instituatur, quae vel morbum ad tempus leuat, vel si nulla laesi visceris indicia sunt, eundem ex voto tollit.

§. 491.

In curatione palliativa saepius flatus, abdomen simul distendentes, aptis carminatiuis remediis F. 142. 143. discutiendi sunt; in aliis tussis sicca et molesta emulsiones F. 116. 144. vel linctus F. 145. exigit, cauendum tamen, ne bechicorum abusus, in primis in hydrope pectoris, plus noceat, quam profit. Aestus urgens temperantia nitrofa poscit; sitim compescunt collutiones oris cum aqua, succo citri, vino rhenano, vel aceto, acidulata. Grauior plethora, quae venae sectionem urget, in hoc morbo rarissime adeit, nisi forte euacuatio sanguinea suppressa hydropsi causa sit, quo etiam in casu, nisi in principio succurratur, a venae sectione leuamen vix exspectandum est.



CAPVT III.

SCORBVTVS.

§. 492.

Scorbutus est cacochymiae, vel potius cachexiae,
 §. 492. quaedam species, quae ex peculiaribus
 quibusdam cauissimata nata, symptomatibus etiam pe-
 cularibus ita se prodit, ut tanquam species a reli-
 quis distincta considerari possit, quae potissimum ad
 loca maritima et inter nautas epidemice graffatur.
 Hic morbus autem ob varios suos gradus, ob vari-
 am dispositionem et idiosyncrasiam aegrorum, et ob
 morbos haud raro complicatos, variam faciem re-
 fert, ideoque difficulter describitur et cognoscitur.
 Nos ea, quae experientia edocti vidimus, cum re-
 centiorum, in primis Cl. LIND * obseruationibus
 comparabimus, et ita ideam morbi nostri tradituri
 sumus.

* A treatise of the Scurvy by JAMES LIND. Edit-
 bourgh. 1753. 8 mai.

§. 493.

Pallor faciei, huiusque luridus color, in primis
 circa labia et oculos conspicuus, languor corporis et
 animus valde deiectus, prodromi sunt morbi nunc
 euoluendi; lassitudo insignis, genua potissimum in-
 firma et vacillantia, respiratio anhelosa, dolores vagi
 in pectore et pleuritis spuria paullo post accedunt.
 Inter ea usus membrorum perit, et aegri diu quie-
 scentes, nunc moti, animo linquuntur, et interdum
 subito extinguntur; interdum icterus, hydrops,
 melancholia, rigor membrorum et alia mala super-
 ueniunt, et aegrum vel lente vel subito e vinis tol-
 lunt.

§. 494.

§. 494.

Sunt vero et alia morbo nostro propria symptomata commemoranda: gingiuae pruriētes, post ea tumentes et sanguinem fundentes, fungosae, ulceribus foedae et pallidae apparent: cutis primum sicca et aspera, post ea squalida, viscidoque sudore subsequente madida et laxa fit; haec etiam saepius maculis paruis, paullo post auctis, rubris, liuidis, nigrantibus, quasi fugillatis conspicua est, quae tamen in corporis ambitu et extremitatibus magis, quam in capite, occurrunt: ulcera valde foetida, sanguinolenta et fungosa, mali moris sunt et medicamentis externis vix cedunt; haemorrhagiae variae, quae vires exhaustiunt, aegros sine alia causa euidenti inuadunt.

§. 495.

Cum his autem grauioribus symptomatibus ab initio vigor sensuum et appetitus non adeo imminuntur; respiratio quidem laboriosissima est, attamen non dolens; alius varia, nunc stricta, nunc fusa obseruatur; varia quoque urina, cito tamen putreſcens, cuticulam spumosam et ob salium abundantiam apparenter oleofam fistit. Morbi alii suppressi, nunc redeuntes, longe peiores reddunt nostrum, in primis vero ulcera olim sanata, immo fracturae ossium, callo iam formato, iterum recrudescunt.

§. 496.

Sciendum enim est, scorbutum ad grauissimos ossium morbos disponere: ex ginguarum enim ulceribus §. 494. dentes non solum cadunt, interdum carie exesi, sed et in diuturno hoc et chronicō morbo, ob laesam ossium nutritionem, mollities et flexibilitas

bilitas duriorum harum partium inducitur. Internam hanc partium corruptionem non tantum sectiones cadauerum hoc morbo defunctorum ostendunt, sed in his cadaueribus quoque sanguis in corruptionem proclivis, partes variae gangraena affectae, coalitus viscerum, in primis in thorace, et sanguis, in auriculis cordis praeter modum distentis grumosus, occurunt.

§. 497.

Haec sunt praecipua, quae scorbutum nascen-tem indicant, et eundem ulterius iam progredien-tem declarant symptomata, ideoque ideam morbi, ab aliis cacochymiae speciebus distinctam, exhibent. Morbus autem ex dispositione cacochymica inter-dum lente nascitur, et augetur et chronicus fit, interdum subito, ut morbus acutus, cauſis valide au-ctis, increſcit. Hinc forte differentia calidi et frigi-di intelligi poterit, licet subiectorum propria indoles diuersaque temperamentorum conditio quoque re-spici debeat. Ex indole acrimoniarum praedomi-nantium acidus, alkalinus et muriaticus dici solet; in genere tamen singularis quaedam dyscrasia humo-rum et ea magis quidem putrida adesse videtur. Ab imbecillis et in scorbutum proclivibus parentibus for-te infantes nascuntur facile in scorbutum proni, vere tamen haereditarius non est morbus, nec conta-giosus dici potest, nisi similes cauſae plures homi-nes una afficiant.

§. 498.

Cauſa proxima est nata in corporibus per cauſas occasio-nales et praedisponentes, nunc definien-das, dyscrasia humorum, quam quidem specifico scorbu-

scorbuticam diximus §. 497. quae etiam symptomata tibus, huic morbo fere tantum propriis, §. 493. fiqu se exserit. Licet enim pro climatis et idiosyncratiae naturalis et morbosae, in corporibus inuentae, differentia mirum variet, in omnibus tamen aegris ferro-lymphatici humores acrem, lentam, plus minusque putridam dispositionem acquirunt, qua solida maxime debilitantur atque dissoluuntur.

§. 499.

Licet multae caussae occasioales, hanc fluidorum et solidorum dispositionem inducentes, morbum saepe breui temporis spatio euoluant; tamen praedisponentes quaedam simul et praecipue in eo casu respiciendae sunt, ubi morbus, ut chronicus, lente generatur. Ex morbis enim grauioribus conualescentes et imbecilles facti, nec non moerore confecti, vel crudo nimisque duro victu nutriti, non raro cacochymiam uniuersalem cum debilitate solidorum, quam cachexiam diximus §. 452. contrahunt. In his si caussae occasioales vel iubito, vel sensim accedunt, variae actiones mire laeduntur, et aegri in grauiorem morbum coniiciuntur.

§. 500.

Caussae occasioales sunt aer nimium humidus et putridus, in primis post insignes aliquas caloris et frigoris vicissitudines, corpori applicatus. Hinc nautae, post quam calorem vehem item diurnum tolerarunt, frigida nocte in putrido nauium halitu detenti, perspirationem non tantum suppressam sentiunt, sed saepius etiam diu in aere humido et frigido, quiescente, nec ventis agitato, viuentes, idem experiuntur. Accedit vita minus exercitata, defec-

Etus carnium et vegetabilium recentium, vietus crudus, corruptus et falsus, aquarum putridarum potus, spirituoso concentrato saepius immoderate interposito.

§. 501.

Hae caussae saepius omnes et subito concurrentes malum hoc in nauibus, insigni hominum copia repletis, breui tempore inducere solent. Exhalationes vero aquae marinae, quae ventis non nunquam agitantur, et aqua marina ipsa, ut caussae veri scorbuti, afferri nequeunt, cum cognitum sit, aquam marinam, quae aliis morbis v. c. a viscido oriundis, glandularum obstructionibus, medetur, usu continuato non quidem curasse, minime tamen veros scorbuticos grauioribus incommodis affecisse.

§. 502.

Licet vero ex his caussis morbus noster nautis potissimum infensus sit, qui, per diuerfas maris partes navigantes, vicissitudines aeris et victus experientur, tamen et ii, qui ad littora maris, in cellis subterraneis, et in continente terra in locis depresso, inundationibus obnoxii, et in tuguriis et carceribus libero aeri non expositis, sed putrido halitu scatentibus, vivunt, si in victu et motu quoque, quos indicauimus §. 500. diaetae errores committere coguntur, vel aliis saepe similibus visis, et interdum acutis morbis, vel hoc nostro lentius se generante scorbuto afficiuntur.

§. 503.

In morbo simplici, ex suis caussis nato, et continuato, diagnosis facilima est; difficilior longe, si alii

alii morbi cacochymiei v. c. venerea lues et scabies, coniuncti sunt: cum enim ex dispositione alia morbosa noster facilius oriatur et augeatur; cum in diuersis hominibus varius quoque scorbuti progressus sit: nullum restat dubium, morbum sub varia specie, et saepius tanquam complicatum, sese sistere, atque ob insignem solidorum et fluidorum corruptiōnem innumera exhibere symptomata.

§. 504.

Has quoque ob caussas prognosīs diuersissima est. Scorbutus enim subito ex caussis suis oriundus, his etiam mox in principio suppressis, facilem sanationem admittit: ubi vero caussae praedispontentes inter ea adoleſcunt, nec occasio[n]ales remoueri possunt, morbus noster vel celeri vel lento progressu ita augeatur, ut tandem omnem curationem eludat. Difficilis itaque in iis curatur, qui ad tristem et infelicem vitam consuetudine et quadam necessitate ducentur, quam in iis, in quibus symptomata vehementiora mox sui curationem expoicunt. In illis enim vere chronicus est morbus, qui sentim paullatimque usque ab meditullium ossium penetrat, et clandestine quasi irrepit, lentamque febrim simul inducit, cuius vis omnem humorum correctionem eludit.

§. 505.

Gradualis morbi differentia, superius §. 493. seqq. declarata, variam quoque prognosīs efficit, quam quilibet medicus attentus ex natura symptomatum formare poterit: sequentia tamen prae reliquis attendenda sunt. In primo morbi gradu motus in aere libero et puro optimam curationem sifit; si lectulo affixi sunt aegri, non conualeſcunt, nisi victu vegetabili

getabili ipsis exhibito; si post huius usum alii laxitas, cutis mollities et perspiratio blanda succedunt, spes sanitatis recuperandae affulget; si putrida humorum resolutio augetur, morbus subito increvit; scorbutica dysenteria saepe pertinax est; pectoris vitia et gingiuarum ulcera difficile corriguntur; manent etiam post morbum debellatum artuum dolores et rigores. Febris raro accedit et symptomatica est, si tamen intenditur, putrida et petechiali similis, vel lenta cachectica redditur. Mortes subitaneae haemorrhagiis internis et visceribus tabidis adscribendae sunt.

§. 506.

In nostro quidem morbo, in quo vires vitae adeo franguntur, de iis excitandis et sustinendis omnino cogitandum est; vitalis vero indicatio vix locum habet, nisi caussalis praemittatur. Quodsi itaque aegros in aerem puriorem deducere, et apto vietu facile digerendo reficere, iisque et in exercitio corporis et in reliquis diaetae regulis accuratam vivendi rationem iniungere possumus, malum nondum inueteratum optime debellatur, et humoribus lente correctis etiam robur elasticum et vitale solidorum restituitur.

§. 507.

Ipsa etiam indicatio curatoria eo potissimum respiciat, ut, si fieri potest, ex alimentis magis, quam ex medicamentis pharmaceuticis, auxilium petatur. Aluus fero lactis vel acido vel dulci libera seruetur, et hunc in finem tamarindorum et cassiae pulpa addatur. Primis viis itaque ad digestionem dispositis, victus ex pulticulis cerealium, in primis ex auena excorticata et oryza, vario modo praeparatis, opti-

mus est. Vegetabilium radices, turones, et folia, vel per se, vel additis carnium iusculis, cocta, in primis a ventriculo subiguntur, nec copiosos flatus generant; eodem modo fructus horae acido-dulces egregie conueniunt, necessaria tamen cum his est vel aliqua corporis exercitatio, sine qua vietus vegetabilis non apte digeritur.

§. 508.

Haec in primis ideo conueniunt, quoniam scorbutus in putridam indolem vergit; ideoque etiam succus pomorum aurantiorum et citriorum, aliaque acida vegetabilia, immo et mineralia, in auxilium ducenda sunt. Nautis potissimum succus aurantiorum, in formam syrapi inspissatus, et tempore usus aqua denuo dilutus, loco potus spirituosi exhiberi posset. Si aliqua spirituosi potus portio, in defectu optimi vini cardiaci, vel cereuisiae meracioris, concedenda est, illa admixta aqua et faccharo mitior redatur, ne aestum augeat, nec coagula humorum efficiat.

§. 509.

Venae fistio nocentissima est, cum in hoc morbo ad correctionem potius, quam ad copiam humorum imminuendam, respiciendum sit. Medicamenta mercurialia, utpote fortiora resoluentia, in humoribus, ad resolutionem iam pronis, non conueniunt. Cum usu decoctorum vel mitiorum resoluentium, vel quodam modo roborantium, ex radice chiaae ponderosae, saffparillae, santali rubri, ceterarum F. 37.67.109. antimonium crudum vel per se, vel cum aethiope minerali F. 146. 147. propinari potest, quibus lymphatici humores resoluuntur et corriguntur. In genere vero respiciendum est, quo

quo in hac medendi via omnes se- et excretiones libere quidem procedant, sed etiam intra limites coegerentur. Post praegressam itaque humorum correctionem roborantia ex cortice peruviano et marte F. 27. 28. 64. 101. dari debent.

§. 510.

His ita obseruatis, symptomata urgentia non negligenda sunt. Pectoris affectus oxymel et gummi ammoniacum F. 116. exigunt: vesicatoria etiam nuchae apposita humorum decubitus dissipant. Post morbum superatum quoque cura lactis et exercitatio corporis, in primis in equitatione, conuenit. Alii fluxus nimios rhabarbarina et lenia opiate compescunt F. 62. Haemorrhagiis roborantia et acida opponantur. Ulcera gingiviarum melle rosato et acidis, immo ipso spiritu vitrioli, mundentur. Tumores crurum frictio et fascia, rigiditatem autem pedilunia cum sale ammoniaco corrigunt.

CAPVT IV.

S C A B I E S.

§. 511.

Ad seri et lymphae depravationem scabies quoque, quae cutim pustulis obfessam et exulceratam sifist, referenda est. Haec licet acrimonia sua humores omnes inquinare, et cacochymicum, immo cachecticum corporis statum inducere, vel ex eo iam antea praesente oriri videatur, in habitu tamen cutaneo potissimum sedem suam figit. Serum enim acre et corruptum, ad cutim propulsum, cum per ostio-
la exhalantia expelli nequeat, retinetur et erosiones

efficit, quae non tantum cutis superficiem foedam reddunt, sed et ad fontes unguinis cutanei, (§. 459.) immo ad ipsam pinguedinem, saepe penetrat, quo facto depravati humores fouentur, augmentur et euoluuntur, atque ita sedes morbi in cute magis magisque figitur.

§. 512.

Morbus hic vel benignus est vel malignus, prout nimirum vel humor acris in cute tantum suscipitur, et aptis remediis facile cedit, vel diu haerens malignus et refractarius redditur, vel cum aliis morbis mali moris complicatus est. Haud raro enim morbus nosfer aliis morbis, v. c. lui venereae, viscerum obstructionibus, melancholiae, cet. superuenit, et pessima symptomata producit. Scabies porro vel humida vel sicca est; in priori casu ulcera cutanea magna, multo lentoque humore scatentia, et latas crustas formantia, deprehenduntur, et tunc pruritus non adeo insignis est; in altero casu crustae et squamae paruae, siccae, pustulas minimas, acri seroso humore scatentes, tegunt, pruritus vero insignis et continuum scalpendi desiderium obseruatur.

§. 513.

Cum vero differentiae scabiei nunc indicatae variis gradibus inter se distent, in libris practicis veterum et recentiorum plurima nomina deprehendimus, quae ut synonyma huius morbi omnino considerari possunt. Distinguunt enim serpiginem, impetiginem, lichenem, psoram, lepram graecorum, lepram arabum, siue elephantiasin, quae tamen distinctiones, cum vel leuiores scabiei varietates, vel morbum

morbum insigniter auctum ostendant, a nobis sigilatim recenser non merentur.

§. 514.

In lepra graecorum, siue scabie ferina dicenda, utpote leuiori, cutis sicca et fissa, et squamae et crustae passim secedentes, subalbidae, magnae, describuntur, ita, ut ex fissuris sanguis erumpat. In elephantiasi, siue lepra arabum, utpote grauiori morbo, cutis in extremitatibus et facie tumida, dura, fissa, asperrima et squamosa, inueniebatur, ulcerata cum multa sanie subtus longe lateque serpebant, exteriore autem crustae tandem nigrae et sine sensu deprehendebantur. Hos morbos, in primis ultimum, varia symptomata atrocia, summam humorum corruptionem indicantia, comitabantur; cum vero in iis grauissimi scabiei siecae et humidae gradus conspiciantur, qui in nostris terris rarius obseruantur; nos scabiei vulgaris considerationem et curationem tantum suscipientes, fundamenta hos quoque morbos dijudicandi et curandi simul proponimus.

§. 515.

In scabie incipiente pustulae sero plenae ut plurimum intra digitos cum multo pruritu apparent, quae ulterius serpunt, nouis succendentibus exsiccantur, et tandem manus et pedes, saepius etiam articulum cubiti et genu occupant. Non nunquam corpus totum tales pustulas vel sparsas, vel copiosas, acri humore scatentes, ostendit. Pruritus insignis est; scalpendo tamen breue solatium adducitur; irritatione potius inde facta, humorum acrum affluxus ad cutem augetur; corpore calido facto, in primis in lecto leni sudore madescente, insignior fit pruri-

tus. Margines pustularum inflammatione leuiori non nihil rubentes conspiciuntur. Interdum tubercula maiora in corpore sparsim oriuntur sola, vel cum scabie sunt, vel, ea inepte suppressa, eleuantur, quae scabiem ad panniculum adiposum repulsam declarant, et morbum longe difficiliorum redditum. Cum hoc morbo in reliquis corporis partibus saepius perfecta sanitas est, acrimonia seilicet tantum cuti inhaerente; si vero diutius subsistit, tunc omnem humorum massam inficit, et aegros ad cachexiam et febrem lentam disponit.

§. 516.

Causa proxima est acre serum in cutis habitu stagnans §. 511. quod vel in humoribus corporis euolutum ad superficiem propellitur, vel per contagium iuseptum ibidem sedem figit et reliquos humores inficit. Videtur eodem specifica et particularis acrimonia in alio morbo non obseruanda subesse, quae vero nondum adeo definita est, ut ex sua mixtione cognoscatur, cum certum sit, illam in variis aegris diuersam indolem acquirere. In diuidando tamen hoc morbo medicus attendat, ad quamnam cacochymiae speciem in morbis fluidorum in genere explicatis (§. 939. seqq.) ea accedat, quam in aegrotis nostris potissimum ex inuantibus et nocentibus in vietu et medicamentis cognoscimus.

§. 517.

Occasionalis causa solum fere contagium est, quod a commercio quocumque cum hominibus scabiosis, in primis per linteas et vestimenta calido corpori admota inducitur: Sed plures praedisponentes inueniuntur, quae ex aliis occasionalibus ortae scabiem

biem ipsam et sine contagio excitare possunt. Aeris et aquarum mutatio, immunidies linteorum, vietus viscidus, crudus, acris, vita otiosa, moeror, suppressio menstruorum et haemorrhoidum, et variae, quae cacochytiā generare possunt, cauffae, in primis si materia morbi nondum mitigata et correcta regimine et medicamentis diaphoreticis ad habitum cutis propellatur.

§. 518.

Scabies, cum ut plurimum sine febre sit, et saepius extremitates tantum, raro totum corpus, raffinne et forte in grauiissimo morbi gradu, faciem occupat, facile a reliquis exanthematicis morbis, cum febre accendentibus, distinguitur. Sed et ulcuscula et pustulae scabiosae, cum pruritu et continua renouatione accedentes, peculiarem morbi nostri indolem satis declarant, praesertim si ad ea attendamus, quae supra de humida et sicca scabie §. 512. proposuimus: pustulae enim exulceratae et squamae in extremitatibus occurrentes eandem a pustulis, in purpura scorbutica in toto corpore potissimum oriundis, distinguunt.

§. 519.

Circa prognosin sequentia potissimum attendenda sunt: Si in corporibus non adeo impuris a solo contagio oritur, breui dissipatur: si diaetae rationem habet aeger, facilior in grauiori quoque morbo redditur curatio, quae sine illa datur nulla: si scabies diu durans viscera laedit, vel cum viscere laeso est, indeque suam capit originem, curatio difficilior vel nulla: In iunioribus promptius contagium, sed felicior saepius curatio: Leuior est scabies humida, quae

spongiosa corpora occupat; grauior et pertinacior sicca, quae siccioribus corporibus infensa est. Senes, scabie ut plurimum sicca affecti, facile ad hectem et marasmum disponuntur. Scabies intempestive suppressa morbos grauissimos, conuulsuos, epilepsiam, paralysin, catarrhos suffocatiuos, asthma, haemoptysin, phthisin, purpuras malignas, hydrope, oculorum vitia et ipsam amaurosin inducit; hi tamen morbi, scabie reuocata, feliciter dissipantur. Scabies his morbis succedens, critica forte dicens, non subito supprimenda, sed aliquo modo toleranda, et lenioribus remediis accurataque diaeta curanda est.

§. 520.

Indicatio vitalis in scabie vix attendenda est, nisi forte illa cum alio morbo sit; cauſſalis vero diaetae regularum exquisitissimam obſeruationem exigit. Aer eligatur purior, vietus facile digerendus, acri moniae cognitae, si fieri potest, oppositus; videntur cibi viscidii, v. c. caro suilla, legumina, cet. potus fit tenuior fermentatus, vel aquosus cum farinaceis coctus, v. c. decoctum hordei. Motu moderato corpora exerceantur, mundities accurate obſeruentur et post balnea aquae fluuiatilis et decocti furfum corpus leniter fricitur. Interdum, si morbus praecipue in aegris succi plenis vix cedit, cum decoctis infra praescribendis, vietus parcior ex pane albo biscocto cum passulis et pauxillo affatae carnis exhibeatur.

§. 521.

Indicatio curatoria praecipue id exigit, ut acri monia corrigatur et expellatur. In plethoricis, qui per contagium morbum suscepérunt, sanguinis misio

sio praemittenda erit. Purgantia quidem corpus saepius a mole acrum humorum liberant, attamen fortiora in nostro morbo caute adhibenda sunt, ne acrimonia in viscera conuertatur; sufficit omnino leuior et repetita euacuatio, quae primas vias ita disponit, ut reliqua medicamenta morbo debellando apta suscipiant et ad secundas vias ducant. In scabie humida, et ubi multum viscidi primas vias obseruit, purgantia resinesa quidem interdum concedenda sunt F. 7. 8. 148. in debilioribus vero subiectis, et in scabie sicca in primis, leniora praestant, v. c. rhabarbarum et manna; salia vero digestiua et senna in parca dosi, vel prorsus non adiiciantur F. 6. 72. 149.

§. 522.

Praeter potum consuetum infusa et decocta aquosa largius ingerenda sunt, et quidem in infusis herbae amarae F. 31. in primis fumariae, exhibeantur, quae etiam, si recens haberi potest, cum sero lactis coquatur, vel eius succus exprimitur et crebrius propinetur. Decocta ex radice bardanae, cichorei, graminis, scorzonerae, sassaparillae, chinae praeparentur, quibus rasura liquiritiae vel ligni sassafras parua dosi addantur F. 25. 38. 67. 78. 109. In sicca scabie haec forte sufficiunt; in humida vero carlinae, helenii et pimpinellae albae radices, lignum guaiacum, immo et antimonium in petia ligatum F. 150. addi poterunt. Corporibus nimium extenuatis iuacula tenuia, cum herbis amaris cocta, vel serum lactis, vel lac asininum propinari possunt, quo boni fucci ingerantur. In hoc quoque easu iuacula cum viperis cocta commendentur.

§. 523.

His corpus ad medicamenta reliqua, quae specifica quasi vi agunt, aptius recipienda disponitur. Dantur itaque cum terreis medicamentis antimonium crudum, vel regulus antimonii medicinalis ad grana quinque, scrupulum semis, vel ultra pro dosi. F. 146. 151. interdum aethiops mineralis vel simili dosi exhibitus, vel cum antimonio crudo iunctus, F. 147. 152. melius conuenit; cum pilulis etiam resoluentibus mercurius dulcis F. 128. propinatur, vel purgantibus medicamentis non nunquam interponendis admiscetur. Alii commendant flores sulphuris ad scrupulum semis vel ultra. Cum his medicamentis extracta amara et gummi saponacea optime propinuantur, F. 23. 24. 119. interdum mixturae concentratae ex essentiis plantarum amararum, succini, pimpinellae albae, myrrhae vel tinctura antimonii tartarisata, in primis in corporibus spongiosis, non sine fructu interponuntur.

§. 524.

Tandem si humores puriores redditi fuerunt, et scabies diutius cuti inhaeret, externa quoque remedia adhibenda sunt. Praecipuum ex his scarifikatio est, quae etiam, si opus sit, repetatur. In scabie humida exsiccantia conueniunt, qualia sunt: flores sulphuris, cerussa et alia ex plumbo parata, quibus tamen caute utendum est, cum medicamenta ex plumbis facta, cuti erosae copiosius illinita, a veneni lenti suspicione non prorsus libera sint. (§. 1391.) Quae ex calce viua fiunt, praestare videntur F. 153. 154. In scabie sicca haec quidem adhiberi quoque possunt, sed melius conuenire videntur balnea ex aqua fluuiatili vel pura, vel cum furfuribus et herbis amaris

amaris cocta F. 155. vel balnea scoriarum ferri. In pertinaciōris malo unguentum mercuriale F. 156. carpis inungitur, et frictione, si fieri potest, applicatur, interpositis suo tempore purgantibus, vel ulcscula etiam sanguinolenta aqua phagedaenica tanguntur.

§. 525.

Cum post scabiem, per intempestiuā purgantia et medicamenta externa retrōpulsam, grauiora mala oboriantur §. 519. illa reuocanda est, quod quidem decoctis et aliis medicamentis superius laudatis, in primis si diaphoretica interponantur F. 44. 66. 94. 95. et frictione linteis paullo asperioribus facta, optimē perficitur, semper tamen ad morbum superuenientem respiciendum est: si ille mercurialia fert, repetitis, sed parcioribus dosibus propinandus est mercurius dulcis F. 1:8. 157. Si inde saliuatio forte oborta fuerit, infuso laxante maniatō ea intercipiatur. Balneis nostris, Wolkensteiniensi, et Wiesenbadensi, hoc in casu multum tribuunt, cum exanthemata scabiosa ad cutim allicant, et morbum quoque reperfum reuocent.

CAPVT V.
LVES VENEREA.

§. 526.

Est etiam peculiaris lymphae et subtiliorum humorum deprauatio in lue venerea, quae maligna sua indole per corpus serpit et contagiosa fit. Hic morbus veteribus ignotus, circa finem seculi decimi quinti ex India occidentali per milites Hispanos in Neapolitanum regnum adductus, in primis Gallis

commut-

communicatus, et inde neapolitanus vel gallicus morbus appellatus fuit; contagio continuato demum in omnes Europae regiones translatus, praecedenti seculo magis, quam hoc nostro, symptomatum vehementia inualuit. Nunc mitior quidem progredi videtur, attamen magis latens et infidiosus est, et medentes non raro fallit.

§. 527.

Causa huius mali proxima est aliqua singularis acrimonia, quae ex coitu cum feminis impuris, forsan simul menstruatis in calidore climate nata, contagium aliis deinde communicatum excitauit. An ex causis suis in nostro potissimum climate euolui possit? dubium. Contagium hoc est specificum, quod cum nulla alia morbosa acrimonia conuenit, ita, ut naturam eius non ex intima mixtione, sed tantum ex symptomatibus definire queamus. Est porro uniuersale, quod ex peculiari corporum dispositione non dependet, sed laxa et stricta, obesa et macilenta, aequali ratione ingreditur. Est tamen fixum: nam non nisi per contactum operatur, nec tanquam volatile, ut contagium febrium malignarum, e longinquco corpora inuadit; immunes enim sunt, qui inter infectos viuunt, dum modo arctius commercium euentent. Interdum diu in corporibus latet, et tardius se euoluit, quo in casu peioris indolis esse obseruatur, quoniam subtile quasi redditum ad intimas corporis sedes et potissimum ad ossa transit.

§. 528.

Morbus autem noster primum in fluidis, post ea in solidioribus corporis partibus, et tandem in duressimis ossibus sedem suam figit. Contagium autem a subti-

a subtilioribus serofo-lymphaticis humoribus potissimum excipitur, ita, ut in glandulis praecipue folliculis circa genitalia, anum et fauces sitis, se exferat, in habitu cutaneo porro efflorescat, cellulas pinguedinis et intima contextus cellulosi caua, quae lymphatico tenui humore replentur, oceupet, medullam ossium quoque penetret, et inde ad ipsam ossium substantiam transferatur.

§. 529.

Sequens itaque ut plurimum morbi nostri progressus obseruatur: in principio miasma venereum acrimonia sua leues partium quarundam, in primis quibus ab initio applicatum fuit, inflammationes excitat, quae in ulcera fordida mutantur. Hoc quidem circa genitalia in ulcusculis cancerosis praeputii, in bubonibus inguinalibus, gonorrhoea maligna et exulceratione glandularum urethrae, potissimum obseruatur. Inde vero morbus ad tonsillas et fauces transit, in quibus excrecentiae albae fungosae haerent. In aucto et continuato morbo corporis superficies maculis rubicundis squamosis foeda redditur. Tandem ossa ipsa afficiuntur, et densissima eorum compages destruitur. Interdum lues venerea latenter quasi progreditur, et sub aliis morbi specie, in scabie, ophthalmia et exostosibus, se exferit, ita, ut cum in genitalibus nulla perspiciatur labes, interdum contagii venerei nulla oriatur suspicio.

§. 530.

Causa occasionalis contagii applicati ut plurimum quidem in coitu cum impuris quaerenda est: dantur tamen et alii infectionis modi, v. c. per oscula lasciva cum saliuac communicatione; haec enim in hominibus

minibus contagio maxime affectis saepius quoque contagiosa est. Nutrix itaque contagio imbuta idem insanti tribuit, et infantes, lue venerea per hereditatem laborantes, cum nutricibus eandem communiciant. Per stragula tandem et vestimenta impura, quae cum corpore aegroto antea incalescunt, et corpori sanò post ea admouentur, eadem sit communicatio.

§. 531.

Homo vero, qui contagium suscepit, praesertim si illud humoribus iam fuerit admixtum, singulari aliquo modo linguet, signis fit, et ut plurimum tristitia afficitur; incommoda y. 529. indicata, et rheumaticis similes dolores varias corporis partes occupant, maculae et pustulae cutaneae ex rubro flavescentes non solum in superficie corporis, sed et in facie, circa os, frontem et capillatam partem capitis obseruantur, et desquamatione facta, vel pustulis istis quoque in pinguedine sub cute serpentibus, ulcerosae fiunt. Ossium interiora dolent, et terebratio-
nis quasi sensu afficiuntur, accedit cephalaea, quae, ut alia symptomata, noctu grauior redditur; defluunt pili, finditur cutis, circa genitalia et anum ex-
crescentiae fungosae prodeunt, quae ulcerosae, si-
nuosae et callosae fiunt; similia in faucibus ulcera of-
fa palatina et vicina arrodunt. Periosteum externum
et internum inflammatur, in capite aliisque ossibus
tophi, gummata, exostoses conspicuntur, et si ma-
lum ulterius serpit, caries foeda ossa destruit, et ea
saepe fragilia, immo interdum emollita, reddit.

§. 532.

Lues venerea itaque peculiaribus signis se prodit,
quibus a scorbuto et aliis morbis differt: Singulatis
aliqua

aliqua segnities, dolores ossium in meditullio quasi haerentes, et cephalaea, quae noctu et sub stragulis augetur, pathognomonica forte dici possunt. In morbo nostro porro circa genitalia et tonsillas potissimum ulcera obseruamus, cum in scorbuto gingivae prae reliquis afficiantur. Ulcera scorbuticorum cum pruritu sunt, et in putredinem et gangraenam vergunt; in venereis viscida et mucida crusta obfessa inueniuntur. In principio morbi, et quando ulcera nondum conspicuntur, dolores vagi cum rheumaticis et arthriticis doloribus conuenire videntur, sed cum post ea in ossium cylindrica parte magis percipientur, fatis euidenter quidem a doloribus, musculos et ligamenta articulorum occupantibus, differunt.

§. 533.

Prognosis morbi ex sequentibus formanda erit: Si contagium recens suscepit fluida tantum occupat, facilem curationem admittit: Si idem in humoribus et lymphâ viscida intricatum genitalia et fauces occupat, et ossa quoque exterius, sed sine insigni dolore intumescent, peior quidem gradus est; in corpore tamen praeter ea fano aptis medicamentis cedit: Si ulcera cutanea maiora, latiora et profundiora sunt, ossium exostoses magis dolentes, et ab interno eorum periosteo laeso exortae, vel altius serpens caries et alia pessima symptomata obseruantur, curatio difficillima vel nulla: Si cum aliis morbis, v. c. hypochondriaco malo, scorbuto, et c. complicata est venerea lues, pessimum iudicatur: Si morbus leuiter suppressus redit, semper peior redditur, et si tolli nequit, in tabem et hecticam transit, in primis si viscera laesa simul obseruantur.

§. 534.

§. 534.

Quoniam vires vitae, si etiam medicamentis excitarentur, contagium nunquam salutari motu expellunt; ea potius, quae motus excitant et valde nutrunt, mōrbum nostrum exasperant: indicatio vitalis non nisi in eo casu attendenda est, quando per longam valde eius durationem emaciata et debilitata sunt corpora: in genere itaque blando et facile digerendo viētu vires aegri per longas curationes sustinendae sunt. Cauffalis indicatio id exigit, ut omne commercium et coitus, in primis cum infectis, evitetur; crebrius enim veneris exercitium malum latens magis magisque euoluit; reliqui etiam diaetae errores, licet per se morbum non augeant, ideo tamen sollicite evitandi sunt, cum languido corpori infensa magis sint.

§. 535.

Ad curatoriam indicationem respiciens, medicus normam quidem sequitur correctionis et expulsionis humorum deprauatorum, quam in aliis huius doctrine capitibus proposuimus. Cum autem varii luis venereae dentur gradus, et non solum medicamenta corrigentia propinanda, sed et euacuationes per sudorem, urinam, aluinam excretionem et saliuæ profluuium, suscipiendae sint, opus omnino est, ut haec caute elegantur, et ad statum morbi et conditiones reliquas aegri accommodentur. Nos itaque in ampliori hac tractatione praecipue examinabimus, quo modo therapiae generalis praecepta ad diuersos morbi nostri gradus applicari debeant.

§. 536.

§. 536.

In curatione leuioris morbi apta, et constitutio-
ni aegrotorum conuenientia purgantia exhibeantur
et per interualla repetantur, quo reliqua medicamen-
ta felicius subiungi queant. Propinentur post ea de-
cocta, in siccioribus subiectis, ex bardanae, saffapa-
rillae, chinae, saponariae, scorzonerae et similibus
radicibus, in laxioribus et succulentis, guaiacum,
strobili pini, pimpinellae albae radix et similia for-
tiora addi possunt §. 522. Cum his dentur pulueres
ex aethiope minerali et antimonio crudo, addita
guminosa et resinosa parte ligni guaiaci F. 146. 147.
152. 158. Interponantur quoque tinctoria antimo-
nii, tartari, pimpinellae albae, essentiae lignorum,
quae in largo vehiculo, in primis succipenis corpo-
ribus copiosius exhibeantur.

§. 537.

Si malum pertinax his non cedit, illud omnino
strictiore regimine diaetetico et medicamentis valen-
tioribus copiosius datis debellatur. Sumat aeger ma-
tutino tempore in lecto decoctum fortius F. 159. et
sudorem foueat; horis pomeridianis bibat aliam par-
tem decocti, simul vero pilulas resoluentes F. 160.
vel reliqua medicamenta §. 536. proposita sumat *.
Praeter ea aliquot mensuras decocti secundarii F. 161.
per diem bibat, tertio autem quartoque die sumat
pilulas mercuriales F. 162. utatur interim pro victu
ordinario pane albo bis cocto cum passulis, inter-
dum concedatur parum carnis vitulinae assatae siccio-
ris, non pinguis. Hac itaque curationis via, per
aliquot septimanias continuata, feliciori saepius suc-
cessu et morbus et symptomata abiguntur, cui ta-
men leuamini non semper fidendum est, sed leniora

remedia et strictior diaeta diu, quin et in malo inuetato per annos continuetur, vel interdum strictior medendi methodus iam proposita per intervalia repetatur.

* Huc quoque ex consilio Ill. VAN SWIETEN referri meretur, mercurii sublimati corrosui granum unum in unciosis duabus spiritus frumenti solutum, cuius solutionis cochleare unum vel alterum manu et vesperi adulto exhibeat, decocto aliquo lenio et copiosius superbausto. vid. Commentarios de rebus in scientia naturali et medicina geltis., Lipsiae, 1756. 8 mai. Vol. V. Part. IV. p. 718.

§. 538.

Symptomatibus vero parum vel nihil remittentibus, largior usus mercurii tentandus est. Differunt hac in re curationis methodi, ita, ut alii mercurium interne exhibeant, alii externe inungant, vel per suffitum admittant; alii salivationem ipsam proliciant; alii eandem sudoriferis et laxantibus interpositis impediант. Neque ulla in his regula certa et uniuersalis est, sed omnia ex natura et constitutione aegroti, climatis, anni temporis et grauitate morbi, definita sunt. Nos vero ea, quae in largiori mercurii usu obseruanda sunt, quoniam is in aliis quoque morbis interdum concedendus est, sequentem in modum pertractabimus.

§. 539.

Si subiecta succiplena, robusta et plethorica morbo affecta sunt, primum venae sectio copiae sanguinis proportionata instituatur; purgantia quaedam medicamenta, safranum primarum viarum et acrimonię collectam euacuantia, exhibeantur, et balnea aquae

aquae fluuiatilis corporis superficiem mundam et ad perspirationem aptam reddant. Inter ea usus decocti fortioris F. 159. per octiduum et ultra continuetur, et simul in victu accurata ordinetur diaeta, quo primae viae purae inueniantur, post ea exhibeatur mercurius dulcis F. 163. et loco decocti fortioris lene aliquod ex radice bardanae, scorzonerae, liquiritiae et similibus propinetur. Victus sit parcus, vitam quodam modo sustinens, ex iu sculo tenui, ouo forbili, vel pulicula tenui farinacea ex aliena excorticata cum passulis. Aeger interim in conclavi viuat paullulum caldiore, et aerem et potum frigidiusculum omnino evitet.

§. 540.

Si rebus sic dispositis tertio, quarto vel quinto die gingivae pruriunt, ienior febricula excitatur, et fauces et lingua tument, saliuae profluuum proximum esse cognoscimus; medicamentum tamen mercuriale per aliquot dies vel eadem vel parciori dosi continuandum est *, donec profluuum viscidae saliuae in viginti quatuor horis libras duas vel tres fere supereret. Si illud imminuitur, nouo medicamento dato sustinetur, idque ad tertiam et quartam septimam vel ultra, donec symptomata imminuantur, vel prorsus euaneant. Si medicamentum mercuriale non amplius necessarium iudicatur, saliuatio sensim paullatimque imminuitur; quod si vero non fiat, variis remediis paullo post commemorandis suppri menda est.

* Nulla alia hic datur norma, quam effectus; ideoque dosis pro differencia aegrotorum varia erit. A dracha ma femis mercurii dulcis saluationem vix coercendam vidimus; cognoscimus tamen, unciam unam

dicti medicamenti per partes exhibitam saliuæ profluuium excitare haud potuisse. Facilius excitatur in iis, quibus antea mercurialia medicamenta data fuerunt.

§. 541.

Viscida saliuæ, ex ore tumente difficile effluens, collutionibus oris vel penicillis abstergatur. Deco^{rum} lene F. 161. vel infusa emollientia cum pauxillo mellis rosati hic conducunt, adstringentia vero aliena sunt. Aeger non deglutiat saliuam, sed capite inclinato semper effluere faciat. Si ex tumore fauicium suffocationis metus imminet, caput et collum pannis calidis foueatur, et si opus videtur, venæ sectio instituatur. Fauces eluantur infuso emolliente per syringam immisso, et aliis subducatur apozemate laxante vel clysmatè, cui pro stimulo drachmae duae vel tres foliorum sennae incoquantur. Si aliis durante saliuatione obstipata est, clysmata quoque iniicienda sunt. Interdum, in primis ex saliuæ deglutita, oriuntur deiectiones acres et cruentæ, quae oleo amygdalarum dulcium vel per os, vel per anum immisso, vel clysmate ex lacte cum croco, prohibentur; si hoc non succedit, opiate medicamento, v. c. Diaſcordii FRACASTORI drachma una vel altera successiue exhibita F. 46. vel rhabarbarino niter anodynō F. 62. deiectiones illae fistuntur. Si saliuatio non succedit, vel loco eius deiectiones serofae oriuntur, quae, licet symptomata leuent, ea tamen non tollunt, ad inunctionem progrediendum est.

§. 542.

Si saliuatio, etiam omisis medicamentis mercurialibus, non sponte cessat, et nimium debilitatus aeger,

aeger, contagii tamen plane suppressi indicia, cessantibus nimirum symptomatibus, praebet: mannat vel alio laxante medicamento non drastico, sed potius, si opus est, repetito, fluxus saliuæ cohendens est *. Cum etiam aeger ~~fatuus~~^{vivam} viscidam non nunquam deglutiat, cessante quoque fluxu, lene laxans rhabarbarinum necessarium iudicatur. Si humores nimium resoluti saliuatiæ continuatae caussa sunt, lac vel decoctum avenae exorticatae propinari potest; in nimia solidorum laxitate infusum chinæ aquosum F. 64. vel rhabarbarum cum leni opio F. 62. conuenit. Decocta post ea cuilibet aegroto apta continentur, aeger balneo ex aqua fluiatili denuo foueatur et fricitur; vel si adhuc succiplemum habeat corpus, supra spiritum vini accensum per horam et ultra coopertus fudet, et fudatio altero vel tertio die repeatatur; post haec sensim paullatimque nutrimentum exhibendum augeatur, aeri demum libero cante se exponat, et membra debilia motu leniori exerceat.

* Sulphure forte vel camphora exhibitis, saliuatio quoque compescitur: eamphoram etiam mercurio non nulli iungunt, et sine saliuatione excitata optimos expectant effectus.

§. 543.

Si lue venerea affecti debiliores sunt et macilenti, alia medendi ratio eligenda est. Cum diaeta apta, non nihil nutrita, decocta leniora demulcentia et alia remedia supra laudata §. 536. propincentur, et quidem per mensem et ultra, donec aegruum succis repletum esse sentias; post ea balneis aquae tepidae corpus in superficie emolliatur; tandem in lectulū reponatur aeger, et linteum, in quo semper inu-

latus manet, subternatur. Sumatur tunc unguenti neapolitani F. 164. ea dosis, quae a drachma semis ad unam mercurii viui capit, et a parua dosi incipiendo, bis de die unguentum hoc mercuriale articulis applicetur, ita ut antea frictio articuli ad rubedinem usque instituatur, quam unguentum super addatur. Utuntur medici varia methodo; optima videtur, si illud digitis, volae manus, plantae pedis, carpis, tarvis, cubito, genu et tandem coxis et spinae dorsi successiue infricetur. Post inunctionem in linteuim inuoluatur aeger, quiescat et sudet.

§. 544.

Saliuatio succedit ut plurimum post usum unciae unius unguenti; tunc autem paullulum adhuc continuetur inunctionio, quo saliuatio eo diutius sustineatur; si autem saliuae fluxus ex voto succedit, illa intermittatur. Si aeger saliuationem sustinere non potest, per medicamentum laxans, in primis mannatum, cum leni stimulo sennae ea infringatur. Si medicus saliuae fluxum ad curationem minus necessarium iudicat, quod forte in calidore climate concedendum esset, illum sudore moto et laxantibus cohibeat; in nostro certe climate, si unquam aeger eum ferre potest, in grauiori potissimum malo, saliuatione, ut decet, succederent, curatio morbi semper melius tutiusque perficitur. Regimen diaetae, curatione finita, cum eo conuenit, quod supra §. 540. exposuimus, nisi quod aegri imbecilles curatius obseruandi sint.

§. 545.

Quo modo mercurius in hoc morbo operetur,
et salutarem effectum edat, difficilis quaestio est.
Alii

Alii ad pondus specificum et ad penetrabilitatem per minima et obstructa vasa prouocant, sed hic quoque applicanda esset proportionata vis impulsiva, quae in minimis exigua est. Forte vis resoluendi viscidos humores phaenomenis explicandis melius satisfacere poterit. In saliuia subigitur mercurius, et in minutissimas particulas se dissoluit; hinc viscidum resoluendo, acrimoniam in viscido latente et intricata liberam reddit, quo per consueta corporis colatoria, in primis per saliuae vias, secerni queat. Hinc etiam limitata est mercurii vis, ita, ut in eo casu, ubi miasma malignum in intima ossium penetrauit, illud ex his locis non semper expellat, nec ipsam cariem ossium ex nostro morbo oriundam radicitus curet. Mercurius itaque non immediate in ipsum miasma venereum, sed in eius involucrum, scilicet viscidum, agit.

§. 546.

Si saliuatio post sufficientem internum aequa et externum mercurii usum non succedit, medicamenta mercurialia non temerario ausu continuanda sunt, sed diaeta conueniens, tenuis scilicet parcusque vietus, et lenia decocta continentur, dato interdum laxante vel aliis medicamentis §. 536. laudatis. Ea, quae per deiectiones aluinias praestita fuit, euacuatio mercurii interdum ex voto successit; liquor enim intestinalis multum similitudinis cum saliuia habet. Mercurius vix ipse in articulis haeret, sed, hac curatione ardua negligentius tractata, viscidum humores, quos mercurius nec resoluere, nec mouere potuit, caussae sunt grauissimorum malorum, quae in articulis et visceribus haerent.

§. 547.

Si vero malum profundas adeo radices egit, ut expelli nequeat, vel vires aegri fractae incommoda saliuationis non sustineant, v. c. si febris lenta iam eundem eneruat, tunc miseris illi sub cruciatibus intensis tabe tandem pereunt. Succurrendum est illis apta diaeta, decoctis lenioribus, cura lactis * et interdum emulsionibus papauerinis, vel lenioribus cardiacis et analepticis et aliis, quae symptomata urgencia mitigare valent.

* An lac caprae, cui cum pabulo datus fuit mercurius, vim quandam medicatam a mercurio obtineat, dubium adhuc est.

CAPVT VI.

MALVM HYPOCHONDRIACVM.

§. 548.

Absonum forte quibusdam videbitur, quod malum hypochondriacum, ex depravata viscerum infimi ventris, in primis chylificationi inservientium, indole oriundum, ad morbos uniuersales, et speciatim ad morbos systematis lymphatico-ferosi reducamus. Sed dum perpendicularis depravatum hunc viscerum statum peculiarem quandam et ab omnibus reliquis diuersam cacochymiae speciem inducere, quae in lymphae visciditate et acrimonia atrabilaria (§. 943.) vel ei simillima consistit, tractationem uberiorem omni iure huc referendam esse putamus, praesertim quod ipsa curationis ratio cum morbis nunc pertractandis multum commune habet.

§. 549.

§. 549.

Prima itaque huius morbi semina in visceribus abdominalibus latent, postquam nimirum viscidus, falsus et crudus vietus, inordinate saepius sumtus, nec a primis viis fatis elaboratus, potus vel parcus haustus, vel aquosus nimius, vel non rite fermentatus, moeror, nimiae curae, studia acrius tractata, vita sedentaria cum abdominis compressione, et alii diaetae errores commissi debilitatem ventriculi et intestinorum inducunt, indigesta accumulant, et flatus generant; ex hac enim primarum viarum dispositione morbosa vicina viscera, quae chylificationi inferuiunt, comprimuntur, humores in iis moti stagnant et infarctus efficiunt. Paullo post haec viscera humores ad digestionem et chyli elaborationem ducendos non rite miscent, hinc crudus et corruptus chylus ad sanguinem dicitur, in secundis viis vix corrigendus. His omnibus dispositio ad malum hypochondriacum, seu primus eius gradus generatur.

§. 550.

Haec primordia sunt morbi, qui paullo post ad humores uniuersos dicitur, et verum malum hypochondriacum, seu secundum eius gradum fistit; praeter recensita enim mala stasis sanguinis et lento potissimum in systemate venae portae, et infarctus varii connexum sistema neuorum, paris vagi et intercostalis, ad spasmos deducunt, qui in abdome quidem potissimum, sed et per consensum in aliis corporis partibus obseruantur. Hi spasmi symptomatici sunt, et visceribus abdominalibus quodam modo liberis cessant; sed debilitas systematis neuosi in toto corpore et singularis quaedam eiusdem irritabilitas per leuiores, sine hac dispositione vix la-

dentes, caussas inducta, ulteriori indagatione digna est.

§. 551.

Ex his vero caussis deprauatus chylus sanguinem in sua mixtione quoque deprauatum, spissum, tenacem et acrem efficit. Hinc dispositio atrabilaria in sanguine nascitur, quae etiam, cum male mixtae particulae in circulatione humorum ulterius euoluantur, nec per colatoria a spasmis saepe constricta eliminantur, lymphaticos humores, praecipue nutrientes, viscidos, lentescentes, acres et suo modo atra bile infectos reddit. Simili autem humorum euolutione praeparatio et secretio fluidi nerui praestattatur, quae ideo minus apte succedit, sed neruos, forte materiali minus agilem suppeditando, non tantum debiliores, sed inordinatas quoque actiones, in primis sensuum et motuum, qui per neruorum fluidum praestattari et adiuuari debent, efficit. Hinc innumera fere symptomata hypochondriacis adeo molesta oriuntur, quae tandem tales aegros in pessima neruorum vitia, v. c. melancholiā et maniam, deducunt, et tertium quasi et sumimum mali hypochondriaci gradum constituant.

§. 552.

Ex quo morbi decursu et continua caussarum et symptomatum euolutione et augmento, malum hypochondriacum gradu suo maxime diuersum cognoscitur, quod ideo per peculiarem lymphae depravationem ex vitio viscerum abdominalium, chylificationem haud rite perficientium, ortam, cum summa systematis neruosi debilitate et irritabilitate definiri poterit. In acrimonia igitur specifica, quae atrabilaria dici meretur, (§. 943.) et forte oleosum extum

astum cum viscidio intricatum fistit, causa proxima symptomatum posita esse videtur, quae ex causis nunc recensitis occasionalibus et praedisponentibus patent.

§. 553.

Sentient vero aegri, respectu viscerum abdominalium, cruditates ventriculi, pondus et tensiones hypochondriorum, respirandi difficultatem, ructus, flatus, anxietates, appetitum inordinatum, mox auctum, mox imminutum, urinam saepius pallidam, aquosam, interdum cum sedimento lateritio; respectu sanguinis viscidam quandam, atram et spissam immeabilitatem, pulsus inordinatum, interdum inaequalem et intermittentem, saepius iusto tardiorum, imminutam circulationem vel per viscera abdominalia, quibus vena portae ramos largitur, vel per extremitates corporis, quae saepe frigent, deinceps spasmo resoluto calent; respectu lymphae, nutritionis defectum, colorem faciei foedum, mox luescentem, mox pallescentem, anxietatem prorsus singularem, quam magis ex immeabilitate teneriorum humorum per minima vasa, quam ex difficultate sanguinis transitu per cor, et a tensione coli explicandam esse censemus; respectu systematis nervosi, torporem corporis et animi inconstantiam et meticulosam indolem, irritabilitatem facilem a diaetae erroribus, in primis ab animi affectibus, depravationem et imbecillitatem animi virium, hebetudinem oculorum aliorumque sensuum.

§. 554.

In tanta symptomatum copia, quibus hypochondriaci afficiuntur, nos quidem omnia accurate describere non potuimus: Dedimus itaque in praecedente

cedente paragraphe tantum generalem ideam: a spasmis enim per acrimoniam auctam facile explicandis alia, quae interdum occurunt, aptius deduci posse coniicimus, v. c. in aliis pollutiones nocturnae, salacitas, priapisim; in aliis borborygmi et alii obstrutio vel nimia laxitas; in aliis caligo oculorum et vertigo, somnus inquietus, vel vigiliae continuae; in aliis saporis depravatio et ptyalismus; in aliis alia occurunt symptomata, vix ample fatis enarranda.

§. 555.

Ex his signis et gradus mali hypochondriaci cognoscuntur, et ipsum ab aliis morbis dignoscitur. Gradu enim tantum a melancholia et mania differt, quos affectus tamen, ex hoc nostro saepissime natos, ne limites tractationis nostrae nimium extendantur, in systematis neruosi morbis pertractabimus; mitior vero gradus, qui debilitatem primarum viarum et ructus et flatus inducit, et primordia huius morbi sistit, minime tanquam uniuersalis adsumi, sed ad morbos viscerum infimi ventris referri poterit.

§. 556.

Quum igitur symptomatum morbi hypochondriaci maxima sit varietas, prognosis quoque varia formanda erit. Si enim illis, ex primarum viarum collecta faburra et debilitate oriundis, mox selectis medicamentis aptaque diaeta occurrimus, curatio saepius ex voto succedit; si vero iam confirmatum est malum, diutinus fit morbus, quoniam viscera infimi ventris difficiliter ab infarctu liberantur, sanguinis et humorum lymphaticorum tenax mixtura vix resoluitur, et ipsa debilitas systematis neruosi aegre corrigitur; si tandem viscera vere obstructa et spasm habitua-

habituales facti sunt, difficillima, immo saepe nulla curatio locum habet. Metastasis materiae morbosae ad cerebrum pessima mala, melancholiā, vertiginem, apoplexiā, epilepsiam et alios neruorum morbos producit. Fit etiam interdum metastasis ad pectus aliasque partes. Haemorrhoidibus obortis, si statae sunt, saepius leuamen sentit aeger, non ita, si inordinatae fluunt. Et podagra non nunquam morbum soluit, vel certe leuat. Deiectiones atrabilariae saepius cum successu eueniunt, et vomitus spontaneus interdum morbum reddit mitiorem, vel, si vere criticus est, quoque tollit. In junioribus rarius accedit, et facilius curatur, in adultioribus frequentior morbus est, sed eius quoque longe difficultior curatio.

§. 557.

Indicatio vitalis in hoc morbo quidem attendenda foret; ea tamen non, nisi cauſis remotis, comode applicari potest. Analepticis enim calidis morbus exasperatur, post validas tamen eius exacerbationes blandis antispasmodicis, v. c. spiritibus acidis dulcificatis, vel hauſtu vini generofsi, aeger reficiatur.

§. 558.

Cauſalis vero indicatio id exigit, ut omnis diaeta aegri accurate ordinetur, aer eligatur purus, et si fieri potest, hunc in finem locorum mutatio fuscipiatur. Cibus fit leuis, qui digestionis organa quidem exercet, iisdem tamen minime oneri est. Potus aquosus tenuis fermentato praefstat, hic tamen in adsuetis non nunquam interponatur. Motus corporis non intermittatur, sed is nec vehemens sit, nec tempore digestionis fuscipiatur. Equitatio moderata multum

multum prodest. Sominus ante medium noctem capiatur, post coenam parcam. Vitentur studia nimia, et ea in primis, quae cum vita sedentaria, lucubratione et vigiliis coniuncta sunt: qui his dediti sunt, ad vitam transeant, quae cum exercitio corporis coniuncta est, qualem requirit horti cultura. Euitetur e contrario nimia exercitatio corporis in aere potissimum calido, nec non nimia venus et alia, quae sanguinis motum et neruorum vim nimium intendunt.

§. 559.

Omne principium curationis in primis viis ponendum est, ita, ut in malo incipiente, nondum confirmato, vomitoria F. 1. 2. 3. si ventriculus et duodenum faburra replentur, vel loco horum purgantia, cuilibet aegroto conuenientia, exhibeantur F. 4. 8. 90. 91. 117. Quod si vero vel malum iam inueteratum sit, vel aegri debiles inueniantur, tunc initiora, eaque repetita laxantia, in primis noduli, F. 14. 26. medicamentis mox proponendis, praecipue in pituitosis, interponantur. Aloetica copiosius data primas vias nimium exsiccant; salia magis debilitant; aquarum autem mineralium in morbo nostro debellando, praesertim in siccioribus, insignis efficacia est, caute tamen elegantur, et earum vis apta diaeta fustineatur.

§. 560.

Cum autem in his curationibus diu perseverandum sit, interposita medicamenta saponacea et gummosa, nec non extracta amara, diuersimode praeparata F. 19. 23. 24. 119. 127. curationem egregie inuant, praesertim si diluentia et in medicamentis

et

et in potu iungantur; hinc aquae felteranae etiam pro potu ordinario conueniunt; caue tamen, ne usu nimis diuturno ventriculus debilitetur. Varia vero medicamenta, in unum semper finem tendentia, eligat medicus: aeger enim, qui auxilium non protinus percipit, alia atque alia exoptat, qui etiam semper monachus est, sine exquisitissima diaeta in hoc morbo curando nihil perfici posse. Vera tandem diaetae ratio non in solo victu, sed in omnibus iis posita est, quae y. 558. declarauimus.

§. 561.

Proposta iam quidem curatio in morbo nondum inueterato optime adhibetur; sed id, quod in secundis viis et in ipsa lymphha haeret, viscidum et acre atrabilarium his non leuiper cedit: quando itaque primae viae purgatae sunt, ab euacuantibus nimis desistendum, quippe quae tenues humores, in resolutionem viscidae faburrac impendendos, expellunt, gummi saponaceis potius resoluentibus cum diluentibus, iam antea §. 560. propositis, continuandum erit F. 165. 166. Commendantur etiam plantae lactescentes, taraxaci, sonchi, lactucae quae vel cum iusculis coquuntur, vel quarum succi expressi ieiuno ventriculo cum fero lactis vel acido, vel dulci propinrantur. In hac vero medendi via diu persistendum simulque reſpiciendum est, quaenam potissimum acrimonia peccet, quo illa conuenienti victu et medicamentis corrigatur, v. c. in acrimonia acida falia plantarum tacheniana conducunt.

§. 562.

Saepius quidem sub hac medendi ratione malum lente euanescit; vel, vernali potissimum tempore, aquarum

aquarum mineralium usus materiam morbi, nunc magis resolutam et meabilem factam, per primas vias educit. Non nunquam tamen in ipso curationis progressu, motus febries in corpore oriundi ostendunt, materiam nunc mobilem fieri, et viribus naturae agentibus per definita colatoria moueri, quod saepius per deiectiones aluinias et haemorrhoides, rarius per vomitum, sudores vel alias excretiones, fieri solet. Tunc igitur medicus ipsos hos motus vel nihil agendo attente consideret, vel interdum augeat vel imminuat, prout ipse motus vel nimium depresso vel auctos deprehendit. In genere enim monendum est, morbum hunc ut plurimum sine febre progredi, saepius tamen febries motus resolutorios et metastaticos ostendere, qui a medico attento perspecti curationis viam dirigunt. Sic v. c. podagricos motus morbum nostrum leuare §. 556. monuimus, qui ideo caute suscipiendi sunt.

§. 563.

Quoniam vero his omnibus corpus debilitatur, opus est, ut non tantum vietu, sed etiam medicamentis, et primarum viarum et corporis minimarum fibrarum robur restituatur; quo in casu ea omnia attendenda erunt, quae passim §. 85. 141. 488. de cortice peruviano et martialibus medicamentis diximus. Si itaque aquis medicatis martialibus praecedens curatio suscepta fuit, tunc vel illae usi continuato profundunt, vel debilioribus swalbacensibus et egranis pyrmontanae iungantur; saepius enim sub continuato harum aquarum usu foeces virides, nigras et piceas cum euidenti leuamine excerni, experientia docuit.

§. 564.

§. 564.

Saepius tamen si vel laesa vel obstructa viscera sunt, vel nimia neruorum imbecillitas obseruatur, haec cuncta non sufficiunt, immo mitissima saepius medicamenta aegrum laedunt, et malum rebelle nullo modo coerceri potest; hoc in casu ab omnibus, in primis vehementioribus, medicamentis abstinentur, et virium aegri tantum ratio habenda est, quo morbus, qui tolli non potest, trahatur et mitigetur. Praescribatur itaque diaeta exquisitissima, aliud interdum mannatis, rhabararinis, vel aliis lenioribus medicamentis laxantibus, vel clysmate ducatur, serum lactis cum herbis amaris coctum, vel si et hoc ferre nequeunt aegri, serum lactis dulce matutino tempore bibatur, et indicatio palliativa quoquis alio modo praestetur.

§. 565.

Inter symptomata hypochondriacis sollemnia sunt spasmi, qui vero opiatibus non facile compescendi sunt, quoniam his summa debilitas inducitur, quae malum semper auget; conueniunt potius castoreata F. 20. 142. et a quodam modo calidiora ferre possunt aegri, succinata F. 167. Flatus ex eadem causa oriundi similia poscunt medicamenta, vel puluerem stomachicum BIRKMANNI, vel alia digestionis auxilia F. 22. 10. 14. quae tamen caute feligenda sunt, ne nimius sanguinis aestus excitetur, qui hypochondriacos semper debilitat.



CAPVT VII.
ATROPHIA ET TABES.

§. 566.

De appositione minimarum particularum fluidi ad solida, siue de nutritione, in physiologia Part. I. cap. V. (§. 240. seqq.) egimus, et mutationes fluidorum et solidorum, ad hanc actionem praestandam concurrentes, descripsimus. Simili modo in pathologia Part. III. cap. IV. (§. 1156. seqq.) nutritionem laetam eiusque caussas, in therapia autem generali Part. II. (§. 1341. seqq.) in indicatione vitali seu conseruatoria, methodum his morbis medendi declarauimus; praeter ea etiam §. 249. seqq. in febrium lentarum curatione hanc doctrinam ample satis pertractauimus. Non nulla tamen et hic loci breuiter repetenda, et ulterius declaranda restant.

§. 567.

Atrophiam in genere appellamus, (§. 1156.) si humores lymphatici gelatinosi, nutritionem perficientes, vel non adsunt, vel quacunque de caussa ad minimas corporis fibras non apponuntur: itaque tabem, quae denegatam corporis nutritionem indicat, vix ab ea distinguere possumus; pro diuersa tamen caussa interdum uno, interdum altero vocabulo utimur, immo hecticam et phthisin huc reducimus, cum inter eius symptomata defectus nutritionis praeципue referatur. Marasmus vero senilem nutritio-
nis et virium defectum, a senio potissimum oriundum, appellare solemus. Licet itaque laesa corporis nutritio symptoma sit, ex suis caussis diiudicandum:
tamen cum uniuersalem aliquam corporis actionem
laedat,

laedat, interdum ut morbus peculiaris considerari et eurari meretur.

§. 568.

Humores nutrientes, cum chylo accedentes et sanguini admixti, per subtilissima, ex arteriis continuata, vasa ulterius elaborantur, ita, ut lympha nutritiens, (§. 248.) pro diuersa partium indole diuersimode elaborata (§. 257.) minimis fibris applicetur. Sed fluidum quoque nerueum, licet nutrimentum propter mobilem suam indolem subministrate haud posse videatur, appositionem tamen eiusdem iuuat, cum nisus particularum in se inuicem per vim vitalem a neruis oriundam intendatur. Defectus itaque, vel deprauatio et lymphae nutrientis, et fluidi neruei, impedimenta nutritionis in corpore perficiendae exhibent.

§. 569.

Caussam itaque proximam si respiciamus, eam potissimum quidem in defectu laudabilem particularum, in minimis apponendarum, sed et in vi particulatas has apponendi infirmata, deprehendimus; plures itaque praedisponentes et occasionales ad hanc proximam ducunt, quae in primis per sequentia explicantur. Minus enim apta elaboratio alimentorum in primis viis, quae vel ab ipsa alimentorum indole, vel a caussis digestionis debilitatis, dependet: Transitus porro chyli ad sanguinem denegatus, v. c. a vermbus et glandulis mesenterii obstructis vel scirrhosis, quae ut plurimum caussa est atrophiae infantum: Humorum laudabilem dissipatio in sudoris, spermatis aliorumque humorum nimia excretione v. c. in pollutionibus nocturnis; unde a nimio veeneris

exercitio tabes dorsalis: Cacochymica tandem humorum dispositio, ex qua morbi varii, in hac tractatione de morbis systematis lymphatico-serosi iam recensiti, oriuntur: Hae caussae omnes, quoniam aptam lymphae elaborationem impediunt, tabidum corporis statum inducunt.

§. 570.

Et solidarum corporis partium deprauatio morbos nutritionis laesae inducit: Relaxatio sciiicet et debilitas fibrarum minimarum, a robore elatico et vi fluidi nervi deficiente oriundae, quae nimirum nutrientium particularum appositionem et assimilacionem impediunt: Rigiditas fibrarum nutriendarum, quae ob densitatem particulas nouas assumere reculant, et flexibilitate ideo destitutae humores nutriendos non amplius percipiunt; id, quod in marasmo senili potissimum obseruamus: Ipsi etiam vapores metallici, et subtilissimus terrae puluis, corporis superficie, ore, pulmonibus, vel canale alimentorum excepti, actiones cum nutritione coniunctas laeden-do, maciem inducunt, ut in morbis artificum exempla prostant.

§. 571.

Morbus ex ipsa virium debilitate, marcore totius corporis et caussis praegressis, facile cognoscitur, in primis cum rarius per se sit, sed saepius aliis morbis superueniat, febremque lentam simul inducat. Prognosis itaque generalis sequentem in modum formanda erit: Periculosus semper et difficillimae curationis morbus noster pronunciandus est, cum vires vitae deficientes medicum non iuuent, et tabes in intimis quasi corporis penetralibus haereat: Si caussae removi-

ueri possunt, ante quam febris lenta accedat, spes aliqua salutis supereat; si vero vel caussae remoueri nequeunt, vel iam febris lenta minima solida destruit, humores nutritios depascit, et per sudores vel alias excretiones nimium aquas dissipat, nullum omnino auxilium expectandum est.

§. 572.

Cum vero morbi nostri curatio pro diuersis suis caussis ex aliis pluribus praxeos capitibus sumenda sit, praecipua momenta in exemplis tantum declarabimus. In atrophia infantum primae viae lenioribus purgantibus rhabarbarinis vel mannatis abtergenda sunt, quibus aethiops mineralis, vel alia medicamenta mercurialia, in refracta, sed repartita dosi, addantur, vel potius interponantur. Potus sit tenuis ex ptisana deculcente vel fero lactis. Secretiones niuniae, optimos humores subducentes, vel cohebantur vel temperentur, et nutrientia simul cum lenioribus roborantibus propincentur. Debilitas fibra- rum motu et frictione leni corrigitur, conuenit quoque lac asinimum vel serum lactis dulce, et si primae viae purae sunt, martialia medicamenta et cortex peruvianus, parcioribus, sed repetitis dosibus exhibantur. In rigiditate tandem lenili potus ex aqua mellis conuenit, cui amaleptica, v. c. haustus vini generosi et alia interponantur. Suadenda quoque sunt balnea aquae dulcis cum lacte et sapone vel aliis emollientibus. In omni vero casu ad ipsas morbi caussas medicus respiciat, vietu selecto et nutriente, quantum fieri potest, debilitatem corrigat et vires sustineat.

658

* 823

.

CAPVT VIII.
RHEVMATISMVS.

§. 573.

Rheumatismus est motus muscularorum imminutus et dolens, a lymphâ acri et viscida, in vasis fibrarum, ad motum perficiendum requisitarum, haerente. Morbus hic raro uniuersalis est, sed non nullus vel in ceruice, vel in extremitatibus, vel in aliis corporis partibus positos musculos occupat. Licit rheumatismus plurima cum arthritide communia habeat, ideoque coniuncta tractatione absolui queat: tamen cum ratione sedis omnino differat, et eos quoque inuadat, qui a morbo articulare liberi sunt, pauca de eo praemonere, et hanc tractationem tanquam introductoriā in sequens caput, quod de arthritide agit, praemittere placuit.

§. 574.

Leuior gradus est rheumatismus catarrhalis, qui ab aeris intemperie facile inducitur: Scorbuticus * vero grauior est, qui acrimoniam in corpore haerentem tanquam cauffam praedisponentem agnoscit, eamque subtilem redditam ad neruosas muscularum partes dicit: summus tandem gradus, rarius tamen occurrens, est inflammatorius, qui systemati lymphatico fortius inhaerens, motus inflammatorios in vicino systemate serofo, vel ipso quoque sanguineo producit,

* Seborbuticum dicimus generali vocis significatione, cum cacochymia conueniente, adsumta, licet non negemus, veris scorbuticis rheumatismos esse familiares.

§. 575.

§. 575.

Cauſa proxima eſt lympha ſpiffa et acris, in vaſis minimis fibrarum muscularium stagnans. Prae-disponentes cauſae ſunt humores viſcidi, acrimonia peculiari imbuti: hinc corpora rara et ſpongiosa magis in hunc morbum procliuia ſunt, ſi victu crudo et acri, vino acescente, ſpirituque vini abutuntur, et otio indulgent, in primis ſi in regionibus boreali-bus viuunt. Occasionalis primaria eſſe videtur cor-poris exaefuantis ſubitaneum refrigerium, vel toti corpori vel parti applicatum, quod quidem in iis eu-enit, qui interdiu veſtimentis, noctu ſtragulis ſe-nimium operiunt, et perſpirationem auctam et fudore-rem excitatos ſubito reprimunt; ſed et refrigerium poſt iram et animi affectum vehementiorem, ve-nae ſectio conueta intermiſſa, obſtructions menſium et haemorrhoidum, rheumatismo cauſam praebere poſſunt.

§. 576.

Sentiunt vero aegrotantes tunc deimū, quando mem-brum affectum mouent, ab initio refrigerii ſen-sum, poſtea dolorem, qui iſpis in continuando mo-tu magis magisque moleſtus eſt: ſaepius cum leni febre catarrhalī vel ſimiſi accedit morbus, ſaepius febris vix percipitur. Si mem-brum dolens calore fouetur, dolor ad alias partes ducitur, ſaepius etiam, in primis in grauiori malo, dolor ab una parte ad al-teram procedit, et vagus eſt ſine eo, quod in prior-e imminuatur. Morbus quidem interdum breui diſſipatur, interdum vero per plures dies, immo per menses continuat, et ſemel propulsus, niſi cauſae plenarie remoueantur, iterum reuertitur.

§. 577.

Ab arthritide parum differt, nisi locum affectum attendas §. 573. vagum enim malum saepius fixum redditur, hinc diagnosis vel facilis vel vix attendenda. Prognosis autem diuersissima est: Leuior morbus apto regimine et leni saepius sudore per vires naturae moto tollitur; grauior vero non facile cedit, sed praesertim si minus caute tractetur, longus fit et in spaisticos morbos transit: Soluitur interdum febre, si urina cum sedimento est, aut sudor criticus accedit; quod si hac ratione solutio eius non eueniat, successiva tandem per diaetam et medicamenta apta humorum correctio praestanda est, quo morbus lente dissipetur: Si purpura scorbutica vel partialis vel uniuersalis erumpit, vel menstrua et haemorrhoides in adsuetis reuertuntur, facilis redditur curatio. Ex his itaque patet, morbum hunc vix pericolosum esse, nisi peruersa medendi methodo turbetur. Si enim et in catarrhali, et in scorbutico valentiora dia-phoretica et externa reprimentia adhibeantur, haud raro inflammatio et febris continua maligna excitatatur.

§. 578.

Morbus itaque raro vires ita debilitat, ut indicatio vitalis attendenda sit; vitanda potius sunt omnia, quae vires nimium excitare, et materiam morbi mouere solent; nisi forte moderatam febrem ad materiam rite coquendam vel dissipandam sustinere vel etiam excitare velit medicus. Ratione indicationis cauffalis tunc demum venae sectio instituenda est, si sanguinis copia vel ex cauffis suis, vel per excretiones consuetas suppressas, corpus plethoricum reddidit, et febris acuta vel etiam inflammatoria imminet. Aeger de reliquo in aere temperato viuat, et modice stragulis

stragulis tectus sit, victu utatur tenui, non nimis nutritore, potu aquoso ex ptisanis demulcentibus reficiatur, tenui fermentato non nisi aduetis concessio, omniaque, quantum fieri potest, euitet, quae animum commouent.

§. 579.

In curatione morbi maxime respiciendum est, an humores mobiles sint, et ipsa corporis dispositio sudores blandos, materiam morbi euacuantes, praefert; hoc enim in casu lenioribus diaphoreticis aegro succurritur, et blanda febris excitatur: Quod si vero humores nimis immobiles sunt, medicamenta calida sedulo euitanda sunt, quoniam sanguinem nimium coimmouent, diaforesin violentam excitant, febrim praeter necessitatem intendunt, et stasin in minimis magis augent, quam resoluunt. Huc spe-
tant decocta calidiora ex guaiaco et similia diaphoretica alcalina volatilia, v. c. spiritus cornu cerui et volatilia oleosa, quippe quae sudores nimis excitando, saepius subtilia educunt, crassa relinquunt, et ita materiam acrem in parte affecta magis figunt. Simili ratione purgantia medicamenta in morbo debellando minus necessaria sunt, nisi aliud obstructa vel faburra mota medicamentum laxans aut clyisma exigat.

§. 580.

De diluenda igitur, resoluenda et corrigenda lympha viscida et acri sollicitus sit medicus. Infusum herbae chamaedryos vel per se, vel cum similibus vegetabilibus paratum crebrius, sed parciori dosi propinetur. Pro potu ordinario ptisana ex radice graminis, scorzonerae, chiae, fassaparillae, cet. exhibeat, pulueres cum antimonio crudo et aethi-

ope minerali F. 146. 147. 152. bis vel ter de die suadeantur, quibus liquor terrae foliatae tartari, elixir proprietatis PARACELSI, tincturae tartari et antimoniī, aliaque medicamenta, lympham corridentia et resoluentia, vel separatim vel coniunctim interponi possunt. Quod si vero malum diutius duret, atque ita ad cacochymiam quandam specialem relaciendū sit, tunc ea attendantur, quae in therapiæ generalis Parte IV. de vitiis fluidorum corrēndis Cap. V. et seqq. exposita fuerunt.

§. 581.

Inter remedia externa non nisi frictio lenis concedenda est, quae cum pannis asperis, in primis lanīs, Flanell dicitis, ob leuem irritationem optime perficitur. Si humores stagnantes fortius discutendi sunt, sacculi cum pulueribus plantarum resoluentium, absinthii, hyssopi, cet. membro dolenti admoueantur; forte etiam epithemata, ex plantis similibus cum aqua, addito etiam sale ammoniaco, coctis, concedi possunt. Spirituosa camphorata et alia, quae fibras nimis rigidas reddunt, et fluida inspissant, omnino aliena sunt. In iis vero, quae externe applicantur, nimius calor vitandus est, ne rheumaticus dolor vel nimium figatur, vel impetuosis ex una parte in alteram ducatur.

§. 582.

Superato morbo, ne ille reuertatur, sedulò cauendum est. Praeter diaetae regulas, in viētu et perspiratione adiuuanda potissimum obseruandas, plethorici venae sectiones consuetas haud intermittant, vel scarificationes non nunquam interponant. Praeter ea quoque medicamenta laxantia, constitutiōni

tioni corporis conuenientia, interdum exhibeantur; in spongiosis itaque et laxis corporibus, in quibus humores abundant, nodulo laxante F. 14. 26. verinali et autumnali potissimum tempore optime purgantur rheumatismis obnoxii. Exercitatio corporis non intermittatur, nec tamen nimium intendatur. Balnea aquae dulcis munditiem cutis praestant, et, nisi nimis calida sint, perspirationem egregie moderantur.

CAPVT IX. ARTHРИTIS.

§. 583.

Arthritis dicitur dolor articulorum cum rigiditate, immobilitate et tumore partium plus minus insigni coniunctus, a difficiili transitu lymphae acris per minima vasa, quae ligamenta et vicinas partes articuli, v. c. periosteum et glandulas articulares perreptant, oriundus. Licet enim interdum aliqualis musculorum immobilitas et dolor §. 573. uti in rheumatismo, coniunctus sit, tamen ut plurimum, musculis satis liberis, ad articulum tantum respicendum est.

§. 584.

Maxima est huius morbi diuersitas: Lente enim interdum materia morbosa in articulos congeritur, et, uti in rheumatismo, ex uno loco in alterum transit, quae vaga dicitur arthritis, et nullam, vel exiguum, febrem coniunctam habet; interdum vero materia morbosa in corpore collecta, diuque saepius quiescens, febrili motu agitata, in unum alterumue articulum,

ticulum, praecipue in pollicem pedis, immittitur et ibidem dolorem concitat, quae arthritis fixa, et cum saepissime in extremitatibus inferioribus sedem figat, podagra vulgo dicitur, licet et malum ischiadicum, gonagra, chiragra et aliae a loco desumptae distinctiones inueniantur. Hæ tamen distinctiones, cum materia arthritica moti etiam alias et saepe internas nobiliores partes occupet, in vera morbi idea euoluenda nihil valent. Arthritis forte eodem modo, ut rheumatisinus, in catarrhalem, scorbuticam et inflammatoriam distingui §. 574. et ita accuratius definiri posset.

§. 585.

De arthritide vaga. vix opus est, ut ulterius differatur, quoniam ea, quae de rheumatisino praemissus hic referri possunt. In arthritide autem vaga immeterata omnia ea, quae de fixa dicturi sumus, suo modo applicari possunt. Nostra vero tractatio vix absoluī aptius poterit, quam si primum de arthritide fixa iuxta methodum a nobis receptam differimus, et postea de arthritide, sive podagra retrocedente vel retropulsa, sigillatim agamus, quo et genesis huius morbi, eique optima medendi ratio, et graui sima latitantis eiusdem et ad varias partes ducti symptomata perpendere queamus.

§. 586.

Causa proxima arthritidis in tenuissimis humoribus viscidis et acribus ponitur. Acrimonia autem hic potissimum consideranda, licet a variis auctoribus variis adsumatur, peculiaris tamen et ab omnibus reliquis diuersa cognoscitur, indoles vero eius non ex mixtione, sed per effectus tantum patet. Materiam

riam ipsam terrestrem, tophaceam, gypseam vel calcaream esse tumores in prouectioe morbo conspi-
cui, tali materia repleti, analogia morbi nostri cum
calcilio renum et vesicae, aliaque phaenomena do-
cent. Licet vero illa huius indolis esse concedatur,
mobilitate tamen sua non destituitur, cum in retro-
pulsa arthritide adeo facile ad viscera ipsa reiiciatur.
Hinc in ea potissimum morbi nostri specie, quae
cum intensa febre et inflammatione articuli oritur,
alia longe subtilior et peculiaris acrimonia coniuncta
videtur. Cum vero et alii morbi, v. c. icabies re-
tropulsa, arthritidem saepius relinquunt, concludi
forte posset, alias etiam acimonias simul ad articulos
delatas, et in his stagnantes, terrestrem materiam
tanquam accessoriam progenerare: Sed materia,
dum sedem in articulis figit, et inde iterum repellit-
tur, subtilem illam et peculiarem indolem prodere
videtur.

§. - 587.

Ad caussas praedisponentes si spectes, haereditas
et contagium, quibus morbus propagatur, subtilita-
tem materiae prorsus singularem indicant. Materia
tamen similis et lente in corporibus generatur: Si
enim in primis, qui laute vivunt, corpora sua succo
iurulento nimium nutritive replent, solidaque re-
laxant, et inter ea per interualla vel exercitationes
corporis vehementes suscipiunt, vel eas prouisus ne-
gligunt, vel animi affectibus, vel nimis studiis, vel
veneri in primis praematuraे, vel nimio aquae ca-
lidae, vel vini oligophori potissimum potui, vel ex
his quibusdam simul indulgent, nec aequabile vitae
genus ducent, in hunc morbum maxime proclives
sunt. Raro in iuuenili aetate, sed in adulta demum,

ea

ea maxime, quae haereditate suscepta fuit, arthritis euoluitur, viris magis, quam feminis molesta.

§. 588.

Ex his quoque caussae occasioales peti, et praeter ea sequentes referri possunt: haemorrhoidum et catameniorum supressio, et plethora ex his aliisque caussis orta, scabies retropulsa, malum hypochondriacum, perspiratio suppressa in primis vere et autumno, vietus crudus digestionis viscera laedens, otium nimium in iis, qui antea corporis exercitiis dediti fuerunt, vina non rite fermentata, tartaro scatentia, vel cum plumbo mangonisata, et alia plura.

§. 589.

In ipso vero morbi accessu, et ubi materia mota in articulos coniicienda est, aeger grauitatem totius corporis et non raro insignem eius languorem sentit, appetitus prostratus est, et febris plus minusque insignis, catarrhali similis, obseruatur: Si materia morbi vel copiosa vel eminenti acrimonia praedita est, vel leuiori motu ad articulos dirigi nequit, alia et peiora oriuntur symptomata, cephalalgia, asthma, colica, et tandem sub ipsum morbi accessum vehementior febris accenditur; tunc vero in pedis pollice, vel alio articulo leuis dolor vel sensim vel subito increscens oritur, qui tamen paullo post adeo vehementer fit, ut pars affecta nec mollissima fragula ferre queat. Paroxysmi vero vesperi potissimum accidunt, matutino tempore paullisper remittentes.

§. 590.

Interdum quidem tumor dolens tantum, interdum inflammatorius simul obseruatur, quae differentia

rentia ab acrimonia materiae plus minusque insigni, vel ipso cutis habitu magis vel minus laxo strictoque, dependet. Duratio quoque mali ex hac ipsa re explicanda est. In genere ea forsan valebit regula: Quo vehementior est paroxysmus, et quo grauior ipse dolor, eo ille quoque breuior, eoque longior intermissio; in aucto enim et saepius repetito morbo longiores paroxysmi euadunt, et saepius, si nouam partem occupat arthritis, noua febris oritur, pars tamen affecta, mitescente malo et dolore paullulum imminuto, magis intumescit sensimque subfidel, epidermis desquamatur, et pristina sanitate gaudet aeger. In inueterato autem malo topi et nodi in articulis relinquuntur, quibus tandem illi immobiles redduntur, et ex his nodis interdum apertis materia calcarea educitur.

§. 591.

Morbi huius diagnosis, si articuli iam affecti sunt, facillima est, et accendentis quoque morbi indicia ex consueta dispositione aegri peti possunt. Malum ischiadicum tamen interdum cum spasio, ex renum et vesicae morbis oriundo, vel cum lumbagine sive rheumatismo muscularum in lumbis positorum, confundi poterit. Sed si attendas, verum malum ischiadicum in articulo femoris potissimum suam fedem figere, tunc facile a vicinis partibus male affectis distinguitur.

§. 592.

Prognosis ita formatur: Si materia morbi mota articulos occupat, ibique ad dissipationem usque persistit, non tantum periculo caret arthritis, sed corpus saepius ab aliis morbis liberum reddit. Non nulli

nulli ideo morbum nostrum ad senium disponere dicunt, quod forte valet, si in proiectiori iam aetate accedit, non ita, si iuuenibus molestus est. Si vires vitae validae sunt, paroxysmus ipso naturae beneficio optime superatur, et medicamenta selecta in malo inueterato aliquam sanationem promittunt. Si vires vitae debiles, iterati quidem, sed minus perfeccii, insultus occurrunt, materiam utpluim oberrantem relinquunt, ita, ut haud raro non articulos remotos, sed viscera vicina petat: In malo inueterato curatio nulla, sed affectus contumax atque diutinus. Materia morbi, vel regimine vel medicamentis externis ad internas fides repulsa, morbos chronicos pertinacissimos, asthma, conuulsiones, affectus soporofacos, cet. saepius etiam pessimas inflammations, et inde gangraenam et sphacelum inducit, vel apoplectico insultu breui letalis fit.

§. 593.

Curatio morbi alia in paroxysmo, alia extra eundem, in lento morbi progressu vel aliqua eius quiete, instituenda est. In paroxysmo quidem modica vehementia insigni, medicamenta nulla necessaria videntur, sed blandum regimen perspirationi fauens optimum est; haec praeter ea infuso herbae chamaedryos, scordii vel simili non nimis calido adiuuatur. Interdum etiam non incongruum est, vires vitas haustu vini generosi, vel medicamento alexipharmaco caute dato, excitare. In alio vero casu, et ubi febris nimium urget, potionibus et pulueribus nitrofisis, et tenui acidulato potu aestus compescatur; raro forte pro hoc scopo requiritur venae sectio: Minime vero de repellentibus cogitet medicus, et in leniori quoque malo aqua frigida, pro scopo roborandi

randi articulorum vasa applicata, nocet: Sed nocet quoque calidus fokus, quando nimius est; vasa enim relaxat.

§. 594.

Dolores in ipso paroxysmo grauiores opiatibus compescere temerarium forte est, cum motus, quibus materia ad articulos deducitur, compescant; quo facto haec vel subsistit, breui iterum excitanda, vel ad loca minus apta propellitur. Prudentis tamen medici est, in malo satis fixo et pertinaci, si dolores nimium urgent et spasmos excitant, opiatibus lenioribus succurrere F. 47. 122. quo spasmi sopiantur et malum blanda diaphoresi dissipetur. Obitructio aluina in paroxysmo interdum urgens clysmate F. 63. 71. tollitur.

§. 595.

Omnis curatio extra paroxysmum suscipienda id exigit, ut corpus moderato, non nimis nutritive, victu ex alimentis facile digerendis et acrimonia defitutis repleatur; porro ad se- et excretiones omnes rite praefandas disponatur, quo materia morbi lente euacuetur, nec nimis accumuletur; tandem et solida roborentur, quo sub apta circulatione et elaboratione humorum materia peccans in genesi sua et ulteriore euolutione impediatur.

§. 596.

Quoad victum itaque cibi facile digerendi eligantur, et modice adsumantur, quo non tantum organis digestionis subigi, sed etiam in corpore apte distribui et assimilari queant: Sic enim lymphatici humores non augmentur, nec aucti lentore corrumpuntur, et ad materiam podagricam suscipiendam vel euoluen-

euoluendam disponuntur. Potus sit tenuis non fermentatus, haustus tamen vini vel cereuiae meracioris in adsueticis ad vires instaurandas concedatur. Quoad reliqua diaetae capita, exercitatio corporis, quantum fieri potest, instituatur, nec somno nec vigiliis nimis indulgeant aegri; illi etiam iram et omnes concitationes animi affectus sedulo euitent, a venere abstineant, et vita aequabili et tranquilla omnes se- et excretiones in corpore perficiendas sustineant.

§. 597.

Non nulli in hoc morbo debellando victus rationem curiosius disponunt, et relictis carnibus tantum vegetabilia cerealia et ex oleribus mollia suadent; alii lactis usum prae reliquis commendant: Qua in re, cum illi, qui victu lauto et vario, in primis iurulento, nutriuntur, in arthritidem proclives sint, maxima cautela opus est, ne victus mutatio molesta sit. Nisi itaque et reliqua diaetae ratio accurate feruari possit; nisi primae viae ad nouum victus genus suscipiendum sensim sensimque dispositae sint; nisi incepta mutatio diu et per annos, quin et totam vitam, continuari queat: melius omnino est, consuetum victum retinere, et quantum fieri potest, moderari et corrigere.

§. 598.

Non tantum vero diaeta, sed medicamentis quoque se- et excretiones blandae sustinendae sunt: lenia itaque laxantia rhabarbarina, mannata et tamarrindinata, vel cum stimulo sennae vel salis medii interdum conueniunt. Infusis etiam aquosis calidioribus, in primis herbae chamaedryos, lenis diaphoresis sustineatur, quae tamen non nimia sit, ne humores

mores subtiliores dissipentur, §. 579. Est etiam apta via ad materiam terrestrem et calcaream euacuandam in colatorio urinae, vix tamen medicamenta fortiora, sed tantum decocta blanda concedenda sunt. F. 25. 67. 78. 109.

§. 599.

Cum vero euacuationes foliae genefiri nouae materiae arthriticae non omnino impedianter, eo respiendendum est, ut robur solidorum simul sustineatur. Thermae carolinae, aliaeque minerales aquae, in primis martiales, et euacuare et robur addere possunt, hinc in morbo nostro optimum praebent remedium prophylacticum; praeter ea vero in laxioribus in primis et spongiosis corporibus et martialia medicamenta et cortex peruvianus euacuantibus semper interponantur. Si tandem acrimonia quaedam in corpore haereat, quae morbo ansam praebet, et eius vehementiam intendit, illa aptis medicamentis et selecto victu corrigatur, quae cuncta in aliis doctrinae nostrae capitibus fusi pertractata fuerunt.

§. 600.

Si materia morbi mota, quae alias ad articulos transiit, nunc eo deduci nequit; vel si illa in articulis non satis fixa sit et ex iis recedit; vel si nimis copiosa deprehenditur, et in triplici hoc casu aliena loca petit, tunc arthritis retrocedens, vulgo podagra retropulsa, dicitur; quod quidem malum eo magis in iis extimescendum est, qui arthritide fixa alias affecti, longo tempore nullum senserunt paroxysmum, et nunc ob alias causas febre catarrhalis, vel intermittente tertiana, vel simili tentantur: in his enim saepius materia latens evoluitur et insigni cum

celeritate funestos saepius producit effectus, catar-
rhos suffocatiuos, apoplexiā, cet.

§. 601.

Caussae huius morbi recendentis sunt medicamen-
ta adstringentia et refrigerantia, vel extra paroxys-
mum, vel in eodem articulis applicata: nimia re-
pletio corporis per nutrientia et inde orta abundan-
tia humorum et lymphae, quae a corde et arteriis
ad extremitates corporis non propelli, nec in transi-
tu suo sustineri potest: viscera debilitata, laesa, ob-
structa, quae ob irritationem, quam a materia acri
patiuntur, ad eius receptionem disponuntur; resi-
stendo enim materia fortius in ea agitur: euacuatio-
nes quaelibet nimiae, in imminente paroxysmo ten-
tatae, hinc venae sectio, diaphoretica et laxantia ef-
ficaciora, tunc temporis nocentissima inueniuntur.
Negandum tamen non est, in iis, quorum viribus
proportionatae sunt dictae euacuationes, interdum
cum successu eas tentari, in primis si materia non-
dum fixa est.

§. 602.

Effectus autem varii sunt, prout vel materia
acris vel benigna est, vel viscera, in quibus ea de-
ponitur, nobilia vel minus nobilia deprehenduntur.
In utroque casu vel stupor, dolor obtusus, et pon-
dus locum affectum occupat, vel dolor vehementior
cum inflammationis signis obseruatur: Laefionis in-
ternae gradum ex constitutione aegri, et symptoma-
tibus concomitantibus, cognoscimus; viscus vero,
quod materia occupauit, cognitio anatomica et actio-
nes laefae facile definire poterunt.

§. 603.

§. 603.

Haec morbi mutatio semper periculosissima est. Si vix cognita in primo insultu quasi oberrans, remediis aptis ad articulos deduci potest, res ex voto succedit; si viscus minus nobile occupat, vel materia benignior est, non quidem letalis sequitur effectus, sed obstructio et chronicus morbi inde oriuntur; si viscus nobile et materia acris est, et subito et prius, quam remedia apta applicari possunt, interficit. In omni hac metastatica morbi mutatione ad materiam ipsam, eiusque vehementiam, ad vires vitae et ad locum, quem materia occupat, respiciendum est, quo eius directio ad loca conuenientia perficiatur.

§. 604.

Curatio enim id exigit, ut articuli, qui alias materiam morbosam suscepereunt, si nimis rigidi sunt, fotu vel balneo, ex lacte et emollientibus cocto, foueantur, et interdum pannis asperioribus fricentur, quo laxatis vasis facilior huc fiat impulsus; si vero vasa articulorum nimis laxa intueniuntur, tunc balnea aquae falsae frigidiusculae, fotus ex vino cum aromatibus cocto, epispaistica acria et ipsa vesicatoria, vel cucurbitae siccae vel cruentae admoueantur. Non nulli caustico actuali ad suras vel plantas pedum admoto, fortiorum materiae impulsum ad extremitates praestant.

§. 605.

Ad vim cordis et arteriarum praeter ea respiciendum est: Si enim motus debiliores sunt, cardiacis, haustu vini et similibus aegri adiuuandi sunt, praesertim si externa remedia iam applicata fuerint: Si vero motus exacerbati sunt, et febris urget, tunc

quidem temperantia nitroſa in potionibus et pulueribus, nec non iulapia acidulata, alibi commendata, tentari poſſunt, licet effectus non ſemper votis reſpondeat. An venae ſectio largior et repetita conueniat, dubium. Materia certe morbi ſanguini non adeo, ſed lymphae potius inhaerens, subtilis reddita et neruis moleſta, languore induc̄to, tamen nocet, etiā etiam paroxysmus cohibeatur.



* * *

TRACTATIO III.

MORBI SYSTEMATIS NERVOEI.

§. 606.

Ad absconditos saepe et vix declarandos corporis humani morbos accedimus, dum eos, qui in cerebro et connexo systemate neruoso oriuntur, contemplando sumus: Facile enim praevidimus in partibus corporis, quārum indolem et naturam physiologia non rite declarare potuit, nec pathologiam nec therapiam accuratius versari posse. Licet vero ea, quae in medicina aliquem nobis usum promittunt, non ex subtili theoria, sed ex repetita experientia stabilienda sint: medicum tamen, circa phaenomena obseruanda attentum, meditationes ex theoria petitae ituant, et disquisitionem causarum faciliorem reddunt: quam ob rem et nos in praefenti tractatione alia ex principiis physiologico-pathologicis illustrare, alia per experientiam confirmare suscipimus.

§. 607.

Omnes morbi systematis neruosi vel fibras ipsas nerueas, vel partes iis adfitas afficiunt. In priori casu aut solidi canales fluidum nerueum continent, aut fluidum ipsum in illis motum peccat; in posteriori vero aut cerebri substantia corticalis secernens, aut proxime eidem adiacentes partes inuoluentes, aut vasa lymphatica, quae simul nervi compagem constituunt, afficiuntur.

§. 608.

Solidi canales, fibrae scilicet medullares, fluidum nerueum continent, non quidem ut laxiores

vel strictiores considerari possunt eodem modo, quo distinctio in fibris minimis compositis praecipue locum habet: cum vero et subtilissima fabrica fibrarum medullarium ita comparata sit, ut fluido per illas moto magis minusque resistant, et ad minimum vi elastica instructa sint, idea stricti et laxi ad eam fabricam quoque applicari, et in curatione suscipienda attendi meretur.

§. 609.

Si fluidum nerueum, tanquam fluidum in corpore animali elaboratum, consideramus, eidem quoque vitia fluidorum, tenuitatem scilicet, spissitudinem et acrimoniam (§. 939.) adscribere possumus, licet hae proprietates difficilius intelligentur. Est quidam in fluido nerueo lento et ei opposita subtilitas, quibus motus inde pendentes et imminuuntur et intenduntur: cum etiam in corporibus impuris omnes humores varia acrimonia afficiantur, nullum restat dubium, subtilissimum quoque hoc fluidum in sua elaboratione et secretione ab hac acrimonia aliquid suscipere posse, quod actiones praestandas vario modo laedit.

§. 610.

Hae quidem caussae, actiones systematis neruosi laedentes, maxime obscurae sunt, euidentiores vero inueniuntur, si sanguinis deprauata indoles, vel materia febrilis mota, suo impetu et acrimonia in vasa corticis cerebri impellitur, vel in iis ex parte haeret; si sanguis intra membranas cerebrum intoluenter effunditur; si cranii capsula diffringitur et vel cerebrum comprimit, vel membranas eius vellicat; si aliis externis iniuriis caput vehementer concurritur.

Ner-

Nerui etiam in corpore distributi male afficiuntur, si vasa lymphatica circa illos excurrentia obstruuntur, vel materia acri irritantur; vel si acres partes, in variis locis haerentes, neruos ita vellicant, ut his ingratam sensationem imprimant, et totum systema neruosum per consensum, vix digne satis explicandum, concutiant.

§. 611.

Optimum quidem foret, si ex hac theoria generali omnes neruosi systematis morbos dijudicare et in capita sua dispescere possemus; sed cum in variis morborum systematis neruosi decursu ad diuersas saepius has causas simul respiciendum sit, et plurimi ex symptomatibus tantum denominentur, vel vera symptomata sunt, quae aliis morbis superueniunt: in tractatione nostra a consueta horum morborum distinctione et denominatione vix recedimus, sed in eo allaborabimus, ut cognito per symptomata morbo et causis utcumque perspectis, apta et conuenientia medicamenta apponantur. Id tamen sedulo, monimus, medicum omnino ab hypotheticis medendi viis recedere et medendi methodum ad therapiae generalis regulas disponere debere.

CAPVT I.

VERTIGO ET MORBI SOPOROSI.

§. 612.

Vertigo est subitanea sensuum perturbatio et obnubilatio, quae potissimum, cum reliqui sensus vix attendantur, in organo visus et auditus percipitur: vertigine itaque correpti titubantes incedunt,

obiecta externa vel nebula quasi inuoluta, vel viridi vel alio obscuriore colore praedita, vel in gyrum aecta, suis oculis obuersari putant; accedit aurium susurrus, et tandem, si graue malum est, genua et totum corpus vacillant, ita, ut erecti non persistere possint. Pro augmento igitur symptomatum morbi gradus varii sunt, ita, ut interdum vertiginosus insultus in veram apoplexiā definat.

§. 613.

Affectus soporosi illi dicuntur, qui vel somnum verum, sed minus aut magis profundum et praeter-naturalem inducunt, vel hominem vigilantem in illum statum coniiciunt, qui somnum capienti similis est. Maxima in his est nominum et definitionum apud auctores differentia, in primis si febrem vel ut absentem, vel ut praesentem considerant. Nos igitur iam olim in pathologiae Part. III. Cap. III. (§. 1110.) ad pathologiam cerebri BARTHOLOMAEI DEMOOR, eiusque cap. VII. prouocauimus, coma vigil et somnolentum, nec non carum et lethargum quodam modo descripsimus, et grauiora horum morborum genera ad apoplexiā pertinere monuimus, ideoque et nunc accurate definitiones et distinctiones praemittere vix audemus.

§. 614.

Hos morbos autem, et fatis accurate, in idiopathicos et symptomaticos distinguunt; priores in cerebro ipso, tanquam parte affecta, sedem suam figunt, posteriores ex aliis partibus male affectis eo deferuntur: quo in casu potissimum ad morbos primarum viarum et viscerum infimi ventris respicendum est. Vtriusque vero indolis morbi cum saepius coniuncti

coniuncti sint, ex nunc suscipiendo caussarum scrutinio patent. Leuiores vero morborum nostrorum species et quasi insultus soporosos in hoc capite potissimum cum vertigine coniunctos tradimus; grauiores vero ex capite de apoplexia diiudicandos esse monemus, cum ibidem partim tanquam caussae, partim tanquam symptomata, recenserentur.

§. 615.

Caussa proxima vertiginis et morborum soporosorum in ingrata^{*} quadam cerebri et neruorum affectione consistere videtur, cuius rei idea non nisi obscure ex superius traditis generalibus cerebri et neruorum mutationibus morbosis §. 607. patet. Praedisponentes itaque et occasioales caussae ad aliquam quidem huius caussae proximae disquisitionem ducunt, licet nunquam veram indolem et accuratam cognitionem acquiramus, sed tantum quaedam phaenomena in laesis actionibus percipiamus.

* Ingrata affectio generalem quandam ideam optime exprimere nobis visa est, cum motum fluidi neruei inde impeditum vel alio modo inordinatum redditum, tanquam effectum huius ingratae sensationis adsumere queamus.

§. 616.

Attendenda itaque est debilitas synematis neruosi generalis, seu imbecillitas corporis, quae per nutritionis laudabilis defectum et per dissipationem optimorum succorum inducitur. Ex his caussis defectus fluidi neruei, vel minus bona eius elaboratio, vel inepta actio in fibras vel nimis laxas, vel nimis rigidas, declarantur. Hinc ii, qui litterarum studiis nimium dediti sunt, qui venerem immoderatam exercunt,

ercent, qui sanguinis nimia profluvia vel alias euacuationes experiuntur, qui morbo graui decumbunt, vel ex eo nondum plane convaluerunt, in primis si simul animi et corporis commotionibus agitantur, morbis his obnoxii sunt. Hi itaque potissimum ratione in rheda, naui, agitatione vehementi obiectorum, vel similibus de caussis, facilius ad vertiginem disponuntur.

§. 617.

Eodem modo plethorici, qui vel per vitae genus otiosum, cum larga nutritione conianctum, vel per suppressionem euacuationum sanguinis consuetarum, nimiam sanguinis copiam collegerunt, vertiginosi fiunt. Seri quoque circa sensoria stagnantis abundantia et lensor ad hos morbos disponit; hinc gulosi, obesi, qui corpus non satis exercent, huc reducendi sunt, praesertim si venae sectionem et alias consuetas humorum euacuationes negligant. Quibus seri euacuatio per fonticulos aliasque excretiones vel artificiales, vel naturales, sollennis fuit et subito cohibetur, quibus acrimonia in scabie, taenia, podagra, cet. ad definitas sedes externas ducta, nunc vero retropulsa fuit, ii eodem modo in hos morbos proclives redduntur.

§. 618.

Et ii, qui ventriculum nimium replent, cruditates et faburram primarum viarum colligunt, infartus viscerum infimi ventris inducunt, et ita crebrieres spasmos et tensiones infimi ventris experiuntur, ad hos morbos saepius se disponunt: hinc hypochondriaci et hystericae, nec non ii, qui veribus laborant, vertigine saepius afficiuntur. Alia porro, quae

neruos

neruos male afficiunt, narcotica medicamenta, ebrietas, fumus tabaci in minus adsueticis, fumus carbonum et alia, quae horrorem et nauseam mouent, vertiginem saepius efficiunt. Hoc vero obseruandum est, et vertiginem et sopores in morbis acutis materiam motam indicare, ita, ut interdum crudam eam et metastatice ad caput delatam, ibique letali impetu saeuientem, interdum bona crisi excernendam, si reliqua nimirum coctionis bene factae signa adsint, comitentur.

§. 619.

Diagnosis horum morborum ex definitione pertenda erit, prognosis vero ita formetur: Si hi morbi symptomatici sunt, caussa sublata, facile tolluntur; Si vero caussae non remoueri possunt, in idiopathicos saepius et difficile curandos degenerant: Qui post diuturnos morbos, in primis capititis grauiores affectus, remanent, remedii aegre cedunt: Soluntur autem, pro caussarum varietate, vomitu, deiectiōnibus serosis et biliosis, scabie et qualibet alia excretione, olim suppressa, nunc restituta, v. c. haemorrhoidibus: Malum inueteratum et graue ad syncope, epilepsiam, et in senibus saepe ad apoplexiā, dicit.

§. 620.

Ipsa vertiginis paroxysmo imminentे, aeger oculos claudat, vel caput obuelet, vel in obscurum locum se conferat et quiescat: Si pulsus arteriarum deficit, et horror saepius cum sudore frigido membra occupat, efficax halitus spiritus salis ammoniaci, vel salis volatilis cornu cerui cum oleis destillatis naribus admoueat; si vero corpus calet, pulsus celer et fortis est, et nerui trement, tunc calidioribus his

acetum rutaceum vel lilio rum conuallium substituatur, si altius obstructa est, vel minus expedite respondet, clysmate stimulante ex herba nicotiana, sale, sapone vel electuario de hiera picra moueatur; extremitates etiam linteis calidis paullo asperioribus fricentur, quo circulus sanguinis liberior reddatur.

§. 621.

Sedato paroxysmo et caussa morbi disquisita, ante omnia primarum viarum euacuatio suscipienda est; exigit vero illa pro subiectorum diuerositate vel leniora rhabarbarina, mannata et alia, vel fortiora resino-
sa. Interdum si faburra in ventriculo haeret, et nullum contraindicans occurrit, vomitorium felici cum successu propinatur; in malo tamen idiopathicō ab omni fortiore euacuatione abstinendum est. Hisce primae viae ad curationem suscipiendam disponuntur; si vero ipsa morbi caussa in primis viis haeret, purgantia, in primis noduli F. 14. 26. et similia medicamenta diutius, sed per interualla adhibeantur, quibus interdum salina, interdum saponacea pro scopo resoluendi interponantur. Aquae minerales v. c. thermae carolinae et acidulae egranae, quae in symptomatico malo causam mouent et subducunt, in idiopathicō non adeo certos edunt effectus.

§. 622.

Venae sectio non nisi in casu plethorae, et quando pulsationes in capite sentiuntur, vel euacuationes sanguineae suppressiae et nulla alia ratione reuecandae sunt, locum inuenit: Si enim in imbecillis sanguis nimium subducitur, debilitas de die in diem augetur. In plethoriciis ideo, a debilitate talibus, parua et repetita sanguinis euacuatio ad palliatuum tantum

Quantum indicationem pertinet, quo in casu scarificatione interdum venae sectioni praeferriri, et in occipite praecipue institui potest. Nimirum quoque aestuum potionis et pulueres cum nitro, et iulapia acidulata, saepius commendata compescunt.

§. 623.

In abundantia seri, eiusque decubitu ad sensoria organa et cerebrum facta, pro scopo deriuandi et euacuandi vesicatoria conueniunt, quae quidem in subiectis obesis et succiplenis maximo cum fructu applicantur, in fiscioribus vero et stimulantibus remedii facile irritandis tatuus omittuntur, cum spasticos saepe motus producant; tutiora itaque in his sunt rubefacientia v. c. finapilimi, quo in casu in primis in senibus fonticuli condicunt, qui tamen diu vel semper fluentes conseruandi sunt.

§. 624.

In debilitate potissimum laxantia rhabarbarina commendanda sunt, quo, primis viis liberis redditis, cortice peruviano et martialibus medicamentis alibi propositis aegro succurri queat. In debilitate partiali ventriculi calidiora et spirituosa carminativa medicamenta non conueniunt, quippe quae exsiccantia et neruis inimica sunt; sed cum terreis, puluis cascarillae, corticis winterani et castorei exhibeantur F. 142. 68. In hoc quoque casu strictior diaeta iniungenda est, quo nutritio partium et fluidi nervi elaboratio ex voto succedat.

§. 625.

Quoad diaetam itaque non in hoc ultimo solum casu, sed etiam in omni vertigine sequentia notentur:

tur: Viētus sit parcus, nutriens, qui ab aegro sine incommodo subigi potest: potus ordinarius fit aquosus ex ptisanis ex radice chīnae et similibus; interponatur tamen haustus vini generosi vel cereuifae meracionis. Corpus, quantum fieri potest, motu et frictione, in primis in extremitatibus, exerceatur, quo circulatio sanguinis et humorum liberior reddatur, et influxus fluidi nerui adiuuetur. Somnus fit sufficiens et tranquillus; studia, venus et omnes vehementiores animi et corporis commotiones fedulo euitentur. Excretiones non quidem continuato medicamentorum usū, sed potius apta diaeta liberae seruentur, ne acrimonia in corpore facile irritando augeatur.

§. 626.

Somnolentia ex variis caussis supra allegatis §. 616. si grauiores illae fuerint, oriri potest, et similem etiam, quam de vertigine proposuimus, curationem admittit. Quod si vero post laesionem capitī externe illatam oriatur, omnia perpendenda et obseruanda sunt, quae in capitī vulneribus chirurgia suadet. Si in ipso morbi grauioris et acuti progressu somnolentia aegrū inuadit, aut crisis imminet, ex aliis virium vitae signis, in primis ex pulsu et respiratione ulterius diiudicanda; aut si vires vitae languentes motus in corpore perficiendos non sustinent, tristis accedit sopor, quem analeptica et excitantia vix corrigere valent.

§. 627.

In curatione suscipienda caute progrediatur medicus, in primis si causa nondum satis cognita est. Clysmata, eaque saepius acriora F. 82. in omni fere casu

casu tentari possunt, alia vero auxilia v. c. vomitoria, venae sectio, cet. non nisi causis cognitis applicentur. Vberiorem horum auxiliarum recensionem et applicandi rationem ad apoplexiae tractationem nunc suscipiendam remittimus. Sopor, ex abusu opii ortus, nisi prorsus letalis sit, potu copioso, cui acida immiscentur, corrigitur: sudor enim subsequens, licet vires infringere videatur, caussam tamen faedentem a neruis remouet.

CAPVT II.

APOPLEXIA.

§. 628.

Apoplexia (§. 1101.) est subitanea animalium actionum abolitio; hinc sensus interni et externi et motus muscularum voluntati obedientium cessant, aeger stipitis instar concidit, et alto quasi somno sepultus iaceat; interim vero pulsus fortis, durus, saepius inaequalis et respiratio stertorosa obseruantur. Ex his phaenomenis non nulli concludunt, caussas apoplexiae primum in cerebrum agere, motusque inde pendentes impeditre, quo facto, motus versus cerebellum, ex quo actiones vitales dependere dicunt, intendi; sed dubia haec et nondum satis declarata est sententia.

§. 629.

Vera apoplexia ea videtur, ubi omnes actiones animales subito cohibentur; saepius tamen obnubilatio sensuum praecedit, ipsaque apoplexia lente ingreditur, ita, ut actiones animales successive quasi cefsent. Cum etiam post insultum apoplecticum interduam omnes, saepius non nullae, actiones restituantur,

T

tur,

tur, species quaedam subordinandae sunt: hemiplegia appellatur, si unum corporis latus laeditur; paraplegia, si omnes partes sub capite positae, hoc tantum excepto, motu priuantur; sed hae forte ad paralyсин aptius referri poterunt. Distinctio in sanguineam et serosam, quae a cauffa desumitur, magis attendenda est. Sanguinea a sanguine, vasa cerebri distendente vel obstruente, vel si hic extra vasa misfus est, comprimente, oritur. Serosa a pituita in vasa corticis cerebri impacta, vel a sero in cerebri caua extravasato, et in primis per ventriculum tertium ad quartum ducto, efficitur. De his quidem sigillatim agendum est; polyposa vero, atrabilaria, podagrifica, scorbutica, et a materia morbi metastatice mota oriunda, ex caussis suis dijudicatur, et prioribus subordinatur.

§. 630.

Sanguinea apoplexia corripiuntur plethorici, qui diaeta lauta vinoſa abutuntur, et euacuationes sanguineas confuetas, vel artificiales, vel naturales suppressunt et negligunt. Hi in imminente malo de dolore capitinis grauatiuo, sopore et vertigine frequenti, nec non de infomniis anxiis, conqueruntur; in his igitur facies potissimum rubet et oculi illacrumantur: Serosae vero obnoxii sunt fenes, cacochymici, pituitosi, qui otio nimium indulgent; his morbus imminet, si continua fere somnolentia detinentur, in primis si ventriculum cibis copiosis agrauant. Reliqua ex caussis nunc fusius examinandis patebunt.

§. 631.

Cauffa proxima in denegato per cerebrum transi-
tu spirituum ad illos neruos, quibus motus animales
perfi-

perficiuntur, quaerenda est; inde vero ad praeditos sponentes caussas referri merentur omnis fanguis spissus, polyposus, acer, inflammatorius, vel serum viscidum, ichorosum et acre, quibus omnibus transitus per vasa corticis cerebri impeditur. Deficit sanguinis, vel serum lentius motum et stagnans, forte somnolentiam magis, quam apoplexiā, inducere solet. Porro quoque omnis humor, vel circa cerebrum, et intra membranas eius extravasatus, vel humores peregrini in caua cerebri delati, vel laesio cranii cerebrum prementis; tandem omne id, quod fibras medullae oblongatae et partium vicinarum comprimit vel erodit, ideoque fluidi neruei iam secreti progressum in definitis fibris medullaribus suspendit, attendi meretur.

§. 632.

Plurimae sunt caussae occasioales, quae has mutationes inducunt: Plethora, haemorrhagiae suppressae, sanguinis missio neglecta, voracitas et ebriositas, in primis in obesis, cruditates primarum viarum inde collectae, aer nimium aestuans, refrigerium subitaneum calidi corporis, aer humidus et frigidus, veneris abusus, somnus nimius, moeror et nimium litterarum studiū, sanguinis spissitudo, eiusque coagulum, polypus cordis vel sinuum durae matris, venarum iugularium compressio, varia capitis vulnera, cranii potissimum fracturae et exostoses, asthma, peripneumonia, scabies, podagra, vel alii morbi cum materia maligna mobili ad caput duxa, venena, quae sanguinem cogunt, vel nimis quoque resoluunt, ut sunt acida mineralia, opium, croci vapor, fumus carbonum, halitus fermentescens liquoris, quae quidem et plures aliae caussae

partim serofam, partim sanguineam producunt apoplexiā, si corpus vel praedispositum est, vel quae-dam caussae vehementiores simul accedunt.

§. 633.

Apoplexia imminent ex caussis hactenus recensitis praegressis, praesens vero ex sensuum et motuum voluntariorum abolitione cognoscitur. Sanguinea ex facie rubicunda, serosa autem facie pallida et luria prima intuitu dignoscitur, licet huic signo non semper fidendum, sed ad dispositionem aegri et ad caussas praegressas omnino respiciendum sit. Distinguuntur a syncope, in qua pulsus et respiratio vix sentiuntur, et saepe magnum frigus est; ab affectibus soporosis gradu quidem tantum differt, sed in his, irritatione quadam facta, excitatur aeger, in somnum vero paullo post relabitur, id, quod in apoplexia minime fieri solet; a catarrho suffocatio, in quo respiratio magna quidem et stertorosa est, sed valde simul impedita, et pulsus debilis atque tardus deprehenditur, conscientiam quoque sui aeger retinet; ab epilepsia, in qua sensus quidem aboliti sunt, sed corpus conuellitur.

§. 634.

Apoplexia periculosissimus morbus est, et saepius morte finitur; vel enim cerebrum nimium oppressum facit, ut motus violentiores versus cerebellum dirigantur, vel ipsa materia rodens et premens cerebellum simul attingit. Sanitas interdum recuperatur, si id, quod cerebro molestum est, ad alia loca minus nobilia deriuatur, vel prorsus dissipatur et euacuatur; metuendae tamen saepius in dispositis recidiuae. Si etiam apoplecticus insultus leuis est,

et

et mortem non accelerat, unius tamen alteriusque corporis partis vel plurium remanet paraly sis; non raro quoque post magnum morbi impetum animi et corporis summa imbecillitas relinquitur. (§. 1108.)

§. 635.

Prognosis vero specialis ex symptomatum grauitate colligitur. Si vehementissimus et subitaneus est insultus, si respiratio profunda, stertorosa et inaequalis, pulsusque durus et inaequalis est, et viscida spuma ex ore emittitur, pessimus est status aegri: idem iudicium ferri debet, si grauissimis in priinis capitibus morbis accedit; si a polypo vias paecludente oritur; si a materia maligna scabiosa, podagrifica, vel simili ad cerebrum translata excitatur; si veneno originem debet: si autem vel vi vitae, vel artis ope, materia morbum faciens a cerebro deriuatur et euacuatur, idque cum leuamine subitaneo, spes aliqua salutis remanet, quo in casu vomitus, haemorrhagiae spontaneae, venae sectio, sudor et urina saepius morbum soluunt. Quod si vero hoc in principio morbi et intra viginti quatuor horas non eueniat, spes omnis fallax iudicanda est. Diarrhoea raro hoc praefstat, saepius enim est effectus intestinorum relaxatorum. Febri superueniente et aucta, sanguinea apoplexia saepius exacerbatur, serosa vero tolli poterit. Melior spes curationis in mediae aetatis et validis hominibus, quam in senibus et imbecillis aequaliter.

§. 636.

Cum apoplexia difficilius curetur, melius omnino est, illam imminentem auertere, quae quidem curatio prophylactica ex caussis supra indicatis optime intelligitur. In plethoricis venae sectio tempe-

stue instituatur, et omnia ea, quae in therapia generali Part. III. cap. III. (412.) de plethora imminentia exposuiimus, attendenda sunt. Haec ad serofam ex parte quoque applicanda erunt, praecipue autem primae viae et omnia colatoria corporis libera feruentur, quo serum per se- et excretiones inde cedentes eo deriuari queat. Fonticuli hoc in casu maxime prosunt et apoplecticos insultus in senibus saepe praecaudent.

§. 637.

In sanguineae apoplexiae primo impetu aut in brachio vena secanda, aut iugularis potius aperienda est, cui paullo post venae sectio in pede, si opus est, iungatur. Alii arteriotomen, tanquam remedium efficacius commendant, sed minus commode perficitur, et sectio arteriae temporalis impetum sanguinis ad caput non adeo, quam iugularis venae incisio, frenare videtur. Nec intermittenda est scarifikatio, quae in variis partibus, praecipue in occidente ad finem futurae lambdoideae, administratur. Copia sanguinis prima venae sectione subducenda constitutioni aegrorum proportionata quidem sit, semper tamen in nostro casu maxime ad libram unam vel ad libram unam et semiis usque ex ampio vulnere plenoque flumine educatur.

§. 638.

His ipsis auxiliis protinus iungantur clysmata F. 77, eaque nonnunquam acriora F. 82, quo saburra primarum viarum statim ex crassis intestinis educatur, et ex tenuibus porro eo deriuetur, ipsisque etiam forte praesentibus spasmis solutis, liberior sanguinis per vasa infimi ventris fiat transitus. Vesicatoria

toria quoque suris applicanda sunt; alii forte nimis timidi, ne sensibilia subiecta irritentur, rubefaciens et sinapismos melius conducere credunt. Pedibus refrigerium non admittatur, sed potius fokus calidus, aeger tamen in conclaui moderate tantum calido detineatur. Si fieri potest, neque deglutendi vim prorsus amisit aeger, exhibeatur decoctum tamarindorum, cui vel lenior stimulus tremoris tartari vel foliorum sennae addatur, quibus et aestus temperatur et euacuatio aluina promouetur. Et nitrum aqua solutum, vel acetum satis dilutum, copiosius haustum conduceit.

§. 639.

Aliena sunt in hac specie omnia calida, volatilia, oleosa, quocunque etiam specifico antapoplectico titulo ormentur: quae etiam inter externa remedia naribus applicanda negligenda, sed potius acetum rutaceum, liliorum conuallium et alia suadenda sunt; illis enim febris huic morbo iuncta exacerbatur, quae tamen ut plurimum magis infringenda, quam excitanda est. Si vero, ut interdum fieri solet, febris non adeo urget, dari possunt excitantia mitiora interna F. 169. 170. 171.

§. 640.

In serosa apoplexia calidiora aromatica, alcalina volatilia et oleosa tutius quidem naribus applicari possunt, quam in sanguinea; in neruis autem excitatis non subsistendum, sed circulus humorum liberius reddendus est. Venae sectio in brachio, licet moderatior, maxime proficia interdum iudicatur. Si aeger ad vomitum proclivis est, vel cruditates copiosas in ventriculo esse cognoscimus, vomitorium

quod ex oxymelle squillitico, in aqua soluto, additis aliquot tartari emeticici granis F. 172, paratur, sensim paullatimque ingerendum est. Simili quoque ratione sulphur antimonii auratum F. 173, pro resoluendi et vomitum mouendi fine exhiberi potest.

§. 641.

His protinus iungenda sunt varia excitantia, in primis clyisma acre F. 174. vesicatoria ampla et largius infuso cantharidum puluere efficaciora redditur applicentur. Quo promptior fiat excitatio, alii cauteria actualia suadent: corpus saepius pannis asperioribus calidis, praecipue in extremitatibus et ad spinam dorsi, fricitur, cum frictione quoque unguentum neruinum F. 175. inungatur. Nec incongruum est, vomitu superato, vel non satis succedente, infusum laxans exhibere, quod cum stimulo senae et salis medii valentius redditum, canalem alimentorum facile transfit: saepe vero hoc minus necessarium est, cum vomitoria §. 640. exposita aluum quoque potenter ducant.

§. 642.

Quoniam etiam hoc in casu febris saepe nulla vel exigua est, ideoque morbum non soluit, medicamenta calidiora, ut liquor cornu cerui succinatus, sal volatile oleofum SYL VII, tinctura pimpinellae albae, succini, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, olea stillatitia et alia, varia proportione et dosi mixta, propinanda sunt, cum quibus etiam infusa calida herbarum maioranae, saluiae, betonicae, et similium ingeri possunt, quae tamen omnia non nisi prioribus praemissis §. 640, 641, exhibeantur. Caeue etiam, ne nimio calidiorum medicamentorum usu

usu in corporibus impuris febris putrida oriatur, sed omnia temperamento et idiosyncrasiae aegrorum accommodes.

§. 643.

Morbo utecumque superato, vel eius impetu quodam modo cohibito, omnes caussae, quae utramque apoplexiā producunt, sedulo et semel iterumque perpendendae sunt: in impetuoso enim morbi insultu, praecipue in ignotis hominibus, et in magna adstantium turba, saepe hoc non caute satis fieri potest. Post hoc examen strictissima commendetur diaeta, quo recidiuae avertantur. Cum etiam aegro ab initio morbi vietus detrahendus sit, eius autem vires vitae paullo post deprimantur, nutrimentum deinde prudenter ei praeberi potest, ne post morbum etiam feliciter superatum nimia imbecillitas remaneat.

CAPVT III.

P A R A L Y S I S.

§. 644.

Paralysis, quae etiam neuorum resolutio dicitur, est illa corporis morbosa affectio, qua non nulli, ad actiones quasdam necessarii, musculi motum perficere nequeunt; a membro itaque, cui motus deficit, differentia ulterior paralyseos deducenda est. Hemiplegiam et paraplegiam superius §. 629. definiuimus; nunc vero linguae, sphincterum, brachii et aliarum partium paralysis cum illis coniunctim consideratur erimus. Requiritur vero ad formandam ipsius morbi ideam, ut caussa morbosa immobilitatis ipsum muscleum tangat; nec huc reduci pot-

est, si a luxato membro vel alia caussa in articulo haerente motus impeditur.

§. 645.

Obseruatur tamen ea musculorum membra affecti motibus dicatorum flacciditas, ut illud pondere suo cadat, quorsum a viribus externis dirigitur; accedit interdum a nutritionis defectu marcor et ariditas. In quibusdam motus solus, in aliis sensus et motus deficiunt, rarius quoque motus in parte obseruatur, ubi sensatio deficit. Ad paralyxin quoque proprius accedit rigiditas, quae in senibus, et quidem in membris eorum fortius olim exercitatis, oritur, cum qua multum conueniunt stupor et tremor, per terrorem et aliam caussam inducti. Commemorari quoque meretur imbecillitas, a fibrae motricis debilitate oriunda; quae tamen omnia vel ad differentiam ipsius morbi, vel potius ad caussas praedispontentes, referri debent.

§. 646.

Caussa proxima in musculo ipso haeret, vel si aliunde quoque eo deducitur, defectum contractioris fibrae, quae ad musculum mouendum necessaria est, inuoluit; haec vero ab iis, quae in musculo ipso sunt, scilicet a fibra musculari et fabrica eius contractionem perficiente, vel ab arteriis et neruis, eorumque fontibus, quibus motus muscularis dirigitur, deducenda sunt. Inde igitur innumerae caussae occasio[n]ales patent, quae tamen eodem modo, ut in apoplexia, commode satis ad serosas et sanguineas reduci poterunt.

§. 647.

Post apoplecticum insultum, licet universali sensuum et motuum abolitioni mederi conemur, in una tamen alteraque parte motus deficiens siue paralyfis saepe relinquitur §. 634. Causa tamen peculiaris uni vel alteri parti cerebri, ex qua nerui oriuntur, applicari potest; v. c. compressis thalamis nervorum opticorum amaurosis inducitur, quam hoc in casu paralyfis nerui optici appellare poteris. Sic interdum serum, vel alia comprimens et rodens causam, unum cerebri latus vel medullam spinalem male afficit, vel unum corporis latus, vel inferiores eius partes resoluuntur. Hinc quoque vel sanguinea inflammatoria vel serosa stagnatio, inter tunicas et telam cellulofam nerui haerens, hunc ad musculum quendam tendentem laedere potest, quod etiam euenit, si arteria ad musculum ducta praescissa, ligata, vel alio modo compressa est, ita, ut a vicinis etiam anastomosibus parum vel nihil sanguinis adducatur.

§. 648.

Inter causas occasioales illae omnino repetentes, et suo modo huc reducenda sunt, quas de apoplexia §. 639. adduximus, quarum non nullae allegandae et exemplis illustranda erunt. Refrigerium subitaneum, corpori sudanti admissum, vel idem diu toleratum, materia arthritica vel alia morbos ad neruum ducta, halitus noxii minerales, mercurii, arsenici, plumbi, quod in variis artificum morbis patet; cacochymia, quae humores bonos corrumpit, vel optimorum humorum nimia excretion, v. c. spermatis in veneris abusu, dolor et convulsio partis diu tolerata, compressio nervorum in fractis

fractis et luxatis ossibus. Paralyfin vero accedere plurima ex illis symptomatibus indicant, quae apoplexiam praecedunt.

§. 649.

Diagnosis morbi facilior est, quam diagnosis caussae. Quando musculi quidam conuelluntur, antagonistae paralytici videntur; in hoc autem casu, cum vera paralysin non sit, medicamenta ad conuulsoſ musculos applicanda sunt. Sollicite igitur ponderandae sunt omnes caussae antecedentes, cerebri partialis laesio et neruorum male affectorum directio ex anatomicis accuratius repetenda est: cum etiam in his raro ad cognitionem sufficientem peruenire queamus, ad dispositionem aegri in primis recurrendum est, donec ex nocentibus vel iuantibus morbi indolem melius perspiciamus.

§. 650.

Prognosis ita formetur: Si malum recens est et vigor aetatis et corporis succurrit, spes recuperandae sanitatis affulget, in primis si illud per se, v. c. ex refrigerio vel alia caufsa facile iterum remouenda oratum fuerit. Dolor, tremor et sensus formicans in membris ut imminentem indicant, sic praesentem melius solui posse declarant, et mobilitatem in fibris neruofis restituunt. Si febris in caufsa serosa intenditur, ea morbum soluit; in sanguinea autem febris nimis aucta eandem difficiliorem reddit; solui tamen poterit vomitu, diarrhoea, sudore et exanthematis. Subita et vehemens animi commotio in imbecillis paralyfin inducit, in robustis interdum eandem dissipat.

§. 651.

Pessima signa, et quae sanitatis recuperandae spem fere nullam faciunt, praecipue sunt sequentia: Si malum inueteratum est; si cauſa in cerebro haeret et post apoplexiā aliumque grauem morbum relieta fuit; si sensus et calor simul cum motu in membro deficiunt; si nenuus et arteria ad partem ductae praefissae sunt, vel scirrho vel alio tumore comprimuntur, vel si arteria ipsa paralytica facta est; si opposita membra conuelluntur et intensissime calent; si ex imbecillitate stupor relinquitur.

§. 652.

In curatione potissimum ad ea, quae supra de apoplexia monuimus, respiciendum est: hinc venae sectio in sanguinea cauſa conuenit, si malum recens est, in inueterato saepius nocet, in primis si aegri senes et imbecilles sunt. Febris in hoc casu quoque caute excitanda, vel, si iam praefens sit, ita temperanda est, ne humores acres nimium commoueantur. Vomitoria, clysmata, purgantia, vesicatoria et alia, quae exhiberi solent, remedia, ad therapiæ generalis leges, ex constitutione et temperamento aegri, et indicantium et contraindicantium examine, eligenda et dijudicanda sunt.

§. 653.

In illis potissimum paralyseos speciebus, ubi cerebrum non adeo affectum videtur, externa remedia partibus laesis applicanda sunt. Conueniunt ideo balnea et epithemata ex decoctis plantarum aromaticarum F. 176. vel ex nidis formicarum. In rigiditate senili emollientia his preferenda sunt; in aliis et laxis potissimum subiectis spirituosa v. c. spiritus Iumbri-

lumbricorum terrestrium, spiritus vini camphoratus et similia tentari possunt; in siccioribus vero, et ubi haec nocent, unguenta potius neruina F. 175. adhibeantur. Stillicidia aquarum mineralium vel aquae simplicis, in qua sal ammoniacum solutum fuit, in partem laesam delapsa, saepius proficia inuenta fuerunt; excitant enim et roboran; frictio tamen his omnibus iungenda est. Nec urtications sic dilatae negligendae sunt (§. 1633.) In paralyysi linguae vires medicatae in gargarismatibus et masticatoriis medicamentis potissimum applicentur.

§. 654.

In membris paralyticis excitandis electrica concussio saepius maximo cum commodo tentata fuit: Summa enim electrici ignis penetrabilitas, vel fluidum nerueum languidius motum incitat, vel fibras medullares ad nouos motus disponit, vel eas forsan obstruções patulas reddit; eo tamen respiciendum est, ut aliae caussae, quae in primis viis haerent, et sanguinis et humorum copiam augent, vel lentorem et corruptionem in iis generant, prius remoueantur. In spongiosis et laxis corporibus tutius forte illa applicatur, quam in imbecillis et sensibilioribus; in omnibus tamen gradus electricitatis et effectus inde pendentes bene ponderandi sunt.

§. 655.

Aegroti paralytici strictiorem diaetam obseruent; cibi boni succi, et facile digerendi, nec adeo copiosi, iis commendentur, in primis si gulæ indulgent, in quibus ideo vitia primarum viarum morbo ansam dererunt. Potus quidem sit diluens, aquosus, interdum tamen pro scopo excitandi et roborandi vinum

generosum,

generofum, vel alia' potus fermentati meracioris species concedatur; vitetur tamen omnis ebrietas. Membris affectis minime molestum fit refrigerium, sed absit de reliquo nimius calor conclauium, stragulorum et epithematum. Omnes animi et corporis vehementiores commotiones, studia, venus et alia, quae debilitant, sedulo euitentur. Corpus, quantum fieri potest, vel motu, vel frictione exerceatur.

§. 656.

In morbo inueterato vix auxilium supereft; varia tamen pro varietate cauſae elegantur auxilia. Salinatio mercurialis saepius fruſtra adhibita fuit, illa forte non sine effectu in eo caſu excitari posset, quando obſtructio in minimis vasculis, telam neruos cingentem perrepentibus, a pituita viſcida deducenda eſt, quo in caſu etiam decocta meraciora ligni guaiaci et ſimiliūm ſaepius propinanda ſunt. Thermae carolinae et aliae aquae mineraleſ, in primis martia- tae, ſi cerebrum affectum non eſt, ſaepius cum ali- quo fructu tentantur. Externus quoque aquarum toeplicensium et lauchſtadienſum uſus utilis depre- hensus fuit.

CAPVT IV. CONVVL SIO.

§. 657.

Inuoluntaria et violenta musculi contractio conuulſio vel spasmus dicitur, ſi haec vocabula in generaliori ſenſu adſumuntur. Cum differentias huius morbi in pathologiae Part. III. Cap. III. (§. 1105. feqq.) exhibuerimus, ad eas nunc prouocamus, et genera-

generalem conuulsionum tractationem in hoc capite, speciem vero singularem, sed satis frequentem, epilepsiam scilicet in capite sequenti pertractabimus. Eos vero, qui pleniorum morborum spasticorum considerationem exigunt, ad amplissimam tractationem **BARTHOLOMAEI DE MOOR**, quam in Pathologia cerebri Cap. XI. seqq. p. 339. seqq. exhibuit, amandamus.

§. 658.

Cauſſa proxima in inaequali influxu sanguinis et fluidi neruei in musculos, ceu organa motus, posita est. Facile autem patet, huius rei cognitionem perquam difficilem et obscuram esse, cum theoria motus muscularis, in fano corpore obſeruandi, hypothetice tantum in physiologia (§. 343.) declarata fuerit, ideoque in morboſo ſtatu applicationem pa- rum certam promittat. In omni igitur motus conuulſiui diuīdatione ad cerebrum et neroſos respiciat medicus, et motum ſanguinis ſimul in auxilium du- cat, ad inanitionem et repletionem vaſorum porro attendat, et tandem irritationem addat, et ſic a cauſarum remotarum indole ad proximam aliqua cum probabilitate concludat.

§. 659.

Remotae vero cauſſae variae omnino ſunt: Dolor acerbus in parte in primis neroſa excitatus, qui totum ſyſtema neroſum in conſenſum dicit: Eu- cuatio nimia ſanguinis et aliorum humorum, debilitatem et inaequalem vel nimis parcum fluidi neruei et ſanguinis in villos muscularum influxum inducens: Niitia ſanguinis copia, tranſitum humorum per vaſa minima, comprimendo ea, infringens, quae ſimi- ratione

ratione conuulsu[m] motus inducere videtur: Acri-
monia humorum varia, ex sanguine et fero ad ner-
uos delata, eosque irritans, ut in morbis exanthe-
maticis. Hae vero cauſae non uno modo in omni-
bus aegris agunt, sed in aliis maior, in aliis minor,
dispositio ad eos fuscipendos obſeruatur, prout ma-
ior minorque ſystematis neruosi ſenſibilitas deprehen-
ditur; hinc a flatibus ſpaſtice retentis, vel a vermi-
bus intestina lancinantibus, in non nullis conuulſio-
nes oriuntur, hinc alios post venae ſectionem pro-
phylacticam conuelli videmus.

§. 660.

Licet omnis morbi conuulſiui grauitas ex cauſa
 eiusque duratione diuidetur, in genere tamen te-
nendum eſt, conuulſionem periculo nunquam defi-
tui. Idiopathicæ grauiores ſunt, quam ſymptoma-
tice; hae tamen, ſi diu durant, et ſaepius recur-
runt, cum nerui ad hos motus diſponantur, idiopa-
thicæ quaſi fiunt. Motus conuulſiui febribus acutis
exanthematicis et inflammatoriis ſuperuenientes, ſi
a materia maligna nondum ſatis cocta, nec ad eu-
acuationem prona, et ad neruos deducta, oriuntur,
maxime metuendi ſunt; non nunquam tamen, ſi
materia ſatis mobilis atque cocta eſt, morbus inde
ſoluitur et materia ad excretionem diſponitur.

§. 661.

Omnis indicatio in his morbis cauſalis eſt: San-
guinis nimiam copiam venae ſectiones, ſeri vero
purgantia et alia euacuantia, nec non veficatoria,
ſubdueunt; cum vero haec ſenſibiliores ſaepē lae-
dant, rubefacentia et finapismi iis praeferriri meren-
tur. §. 638. Nimiam humorum euacuationem
blanda

blanda nutrientia refaciunt. Si a venenis interne sumtis oriuntur conuulsiones, illa conuenientibus euacuantibus protinus eiicienda sunt. (§. 1402.) Irritationem, a laesionibus capitis oriundam, trepanatione aliisque auxiliis chirurgia tollit; id, quod in aliis quoque partibus valet, si malum symptomatum est, ita, ut v. c. incisus nervus discindatur, vel vulnus nervosae alicuius partis amplietur. Clystis ta emollientia et anodyna in omni fere casu conueniunt, acria enim subducunt et fibras relaxant.

§. 662.

Haec cuncta in morbis individualibus ex dispositione aegri accuratius definiuntur, et ad therapiae generalis varia capita referuntur. Specifica sic dicta antispasmodica, licet morbum nunquam tollant, saepius tamen in paroxysmo exhibita, malum leuant, et nimium impetum quodam modo coercent. In iis tamen exhibendis ad idiosyncrasiam subiectorum praecipue respiciendum est. Moschus et ambra, nec non castoreum, et omnia medicamenta oleoso-volatile varios vario modo afficiunt; efficaciora igitur haec medicamenta primum parciori dosi tentanda, et paullo post largius exhibenda erunt.

CAPVT V.

E P I L E P S I A.

§. 663.

Inter morbos spasmodicos frequentius occurrit epilepsia siue morbus caducus*. Oritur nimis conuulsio subitanea, reciprocis motibus plurimas corporis partes agitans, aliis interdum rigidis redditi,

tis, cum abolitione sensuum externorum et internorum, quo ultimo signo ab omnibus reliquis conuulsionis speciebus differt. In infantibus saepe sensuum abolitio non satis definiri potest, hinc in iis omnes motus spastici ad epilepticos referri solent.

* *BARTHOL. de MOOR* in pathologia cerebri, cap. XIII. morbum caducum, siue epilepsiam vulgo dicetam, separatim tanquam habitualem pertractat, et in sequentibus capitibus epilepsiae species symptomaticas subiungit. Nos ad primum potissimum respicimus morbum, licet minime negemus, in conuulsionibus symptomaticis interdum abolitionem quoque sensuum obseruari.

§. 664.

Hic morbus hominem subito et saepius ex improviso inuadit, eumque prosternit, membra non omnia quidem uno impetu, sed alternatim concutiuntur, uniuersalis tamen dici meretur conuulsio, cum plurimae et internae saepius partes simul afficiantur. Flexores pollicis et extensores capitis et spinae dorsi, nec non musculi bulbum oculi mouentes vehementius affici videntur; sensuum exercitio destituti aegri nec volatiles spiritus naribus percipiunt, nec aliis obiectis externis fortius quoque agentibus mouentur; clamores interdum et aliquem quasi mugitum edunt, spumam in ore colligunt, et dum dentibus strident, linguam, quam non nunquam emittunt, morsu quoque laedunt: Fœces, urinam et semen saepius inuoluntarie emittunt; pulsus interdum aequalis est, saepe durus; paroxysmo finito, insignein languorem et debilitatem sentiunt.

§. 665.

Haec consueta quidem sunt phaenomena; sed varie in variis hominibus hic morbus se exserit, ita ut si symptomata in quolibet aegro obseruata cum signis in practicorum libris consignatis conferre velimus, morbos individuales saepe mutatos inueniamus. Quaecunque tamen sunt morbi mutationes, in sensuum et motus laefione omnes conueniunt, et medicis non nisi caussae inuestigationem relinquunt. Paroxysmi de reliquo vel crebriores sunt, vel parciores, vel sub caussarum occasionalium augmento crebrius saepe redeunt; non nunquam vero in his ipsis aegris per longum temporis interuallum proflus cef- fant.

§. 666.

Sunt etiam signa, quae morbi, in primis habitualis facti, accessum declarant. Huc pertinent grauitas capitis, vertigo, somnus vel nimius, vel inquietus et insomniis turbatus, horror et tremor totius corporis, frigus extremitatum, tristitia insolita, et anxietas praecordiorum, sensuum externorum et internorum debilitas, et inconsuetae affectio- nes, palpitatio cordis, urina cruda, pandiculatio et oscitatio frequens, subsultus tendinum et conuulsio- nes particulares, voracitas vel appetitus prostratus, quibus et alia acedunt, quae ex aegri cuiuslibet idio- syncrasia pendent.

§. 667.

In caussarum scrutinio ad ea respiciendum est, quae de conuulsionibus in genere §. 658. 659. pro- posuimus. Nostri autem morbi caussa proxima potissimum illa esse videtur, quae vehementem fluidi- neruei

neruei impulsu in organa sensus et motus producit, sed regressum eius facilem impedit. Cum vero cognitio et explicatio eiusdem maxime obscura sit, sufficiet certe, si varias obseruationes de caussis in idiopathicō et symptomatico male cognitis indicemus et dijudicemus.

§. 668.

In idiopathica epilepsia, quae ut plurimum summa grauitatem capitis coniunctam habet, ad sequentia potissimum attendendum est. Sunt ea nimurum: mala capitis conformatio a nativitate vel partu inducta: laesiones capitis vi illatae, vel minus recte curatae: sanguinis nimius impetus versus caput: seri extravasatio in ventriculis cerebri: lapilli, ossis fragmenta, polypi circa has partes deprehendendi, et innumerae aliae dispositiones morbosae, quae in subtilioribus cerebri partibus occurrere possunt, et inaequalem spirituum inflatum in organa sensus et motus efficiunt.

§. 669.

Symptomaticae epilepsiae plures sunt caussae: in infantibus, quibus hic morbus frequentior est, acrimonia quaelibet in primis viis haerens, vermes et dentitio praecipue attendi merentur. In adultis interdum quoque epilepsia a vermis obseruata fuit, aliae tamen praeter ea recensendae sunt: dolorosa affectio partis neruofae, v. c. calculus membranaceas partes irritans: venena corpori applicata, in primis morsus animalis venenati, v. c. morsus tarantulae: summus mali hysterici et hypochondriaci gradus: suppressiones excretionum confuetarum, in primis sanguinearum et earum, quae in organis ge-

nerationi inferuentibus fieri solent: animi affectus et laesa phantasia, v. c. in veneris stimulo, terrore insigni, praecipue in praedispositis et sensibilioribus,

§. 670.

In diagnosi itaque huius morbi medicus quidem ad symptomata superius §. 664. seqq. recensita respi-
ciat, attamen simul perpendat, sensuum et motuum perturbationes in hoc ipso morbo vario modo fe-
xerere posse. Inde praecipue in scrutinio cauſſarum follicite verſetur, partium laeſiones, morbos pree-
gressos, temperamentum aegri et actiones varias in-
de deprauatas, auctas et imminutas, probe ponde-
ret, et inde dijudicet: an malum tolli possit, nec
ne? et quaenam medendi via pree reliquis apta sit?
inueniat.

§. 671.

Epilepsia, si prognosin spectas, ut plurimum difficultis est curationis, saepius etiam nullam admit-
tit: idiopathicā et in primis habitualis raro vel nun-
quam tollitur, symptomatica vero interdum curatur,
si cauſſae detegi et remoueri possunt: In infantibus facilior eius curatio eſt, quam in adultis; acquisitum enim corporis viriumque augmentum illos aptos reddit, quo cauſſis irritantibus magis resistant: quae circa annos pubertatis, praecipue in feminis circa menstrua accedentia, non curatur, saepe habitualis fit: Excretiones cutaneae, v. c. scabies, nec non haemorrhoidum et mensium fluxus, et quartana febris saepius morbum soluunt: Qui crebrius morbo tentantur, stupidi et fatui fiunt.

§. 672.

§. 672.

Si signa, quae insultum epilepticum praecedunt, §. 666. obseruantur, tunc ille forte interdum praecaueri potest; quo in casu antispasmodica, in primis castoreata, v. c. aqua hirundinum cum castoreo cum fructu exhibentur. Si leuior est affectus, analeptica odorata, quae ambra et moscho gratiora redditia sunt, forte tentari possunt; sed cum haec multis ingrata, immo molesta sint, acetum litorum conuallium, vel rutaceum magis conuenit. Sale volatili alkalino et similibus medicamentis vehementioribus caput laeditur, et malum saepius exacerbatur, liquor cornu cerui succinatus reliquis forte praeferri posset. In valido paroxysmo vix medicamenta applicanda sunt: adstantes itaque corpus aegri mox in situm aptum reducant, ne membra morbo concutienda laedantur; corium vel tuber dentibus, si fieri potest, interponant, ne lingua laedatur; monendi tamen sunt, ne membra conuulsione tentata nimium retineant: insultus enim violento renisu grauior fit, et aeger post paroxysmum finitum magis defatigatus relinquitur.

§. 673.

Si caussa mali per sua signa cognoscitur, medica menta eidem opponenda sunt, quae ideo ex aliis praxeos capitibus cognita repetantur; v. c. in vermis, dentitione difficulti, et saburra primarum viarum, quae caussae in infantibus potissimum attendendae sunt §. 669. indicationes facile formantur. Si morbus a plethora oritur, vel grauior redditur, venae sectio, scarifatio, et in haemorrhoidibus suppressis hirudines morbum soluunt, vel leuamen adferunt. Seri copiam subducunt laxantia, vesicato-

ria, setacea et fonticuli. Debilitas uniuersalis, vel in primis viscerum abdominalium, blande nutritia, motum et frictiones exigit: rigiditas emollientia in potu, clysmate, balneo et fotu exposcit.

§. 674.

Si hae curationes cauffales non succedunt, specifica sic dicta, neruina, et per experientiam non nunquam probata, eligenda, et ubique ad constitutionem aegri applicanda sunt. Innoxia certe, quae tamen interdum profuerunt, medicamenta inueniuntur, radix valerianae, pœoniae, viscum quernum, quae tamen in sat magna copia ingerenda sunt. An puluis lumbricorum terrestrium, muscus corallinus, cranium humanum, ungula alecis et alia similia aliquid praestent, in suspenso relinquo. Calidiora, ut oleum animale DIPPELI, et decoctum saturatum ligni guaiaci vel strobilorum pini, in aptis tantum subiectis tentanda sunt.

CAPVT VI.

LIPOTHYMIÆ ET SYNCOPÆ.

§. 675.

In praecedentibus morbis actiones animales varie turbari vidimus, sed in lipothymia et syncope etiam vitales insigniter debilitantur, vel ad tempus cessare videntur. (1091.) In lipothymia pulsus et respiratio debiliores sunt et intermittentes; syncope vero grauior est gradus, ubi pulsus et respiratio ad tempus deficiunt, et homo prosternitur. Accedit in utroque casu pallor et sudor frigidus. Hi vero affectus, licet magis ad symptomata, quam ad veros morbos

morbos referantur, breuem tamen considerationem a nobis exigunt, cum interdum ut peculiares morbi accedant.

§. 676.

Cauſſa proxima etiam in male affectis nervis quaerenda est, quippe quorum fluidum in organa vitalia et animalia vel prorsus non, vel debilius influit. Oritur haec dispositio a variis cauſſis remotis, ex quibus praeципuae indicandae sunt: intensus animi affectus, ira, terror, ceter. vapor ingratus suaueolentium, ut in hystericis, fumus noxius carbonum, insignes animi et corporis defatigationes, studiis, moerore, laboribus, haemorrhagiis inductae, cruditates primarum viarum et flatuſ. Praedisponeat morbum summa systematis nervosi imbecillitas, quae per non nullas cauſſas nunc citatas sensim paullatimque inducitur.

§. 677.

Ex signis §. 675. adductis facile quidem cognoscitur, et ab apoplexia potissimum distinguitur: in hac enim oculi torui, saepius aperti, pulsus et respiratio aucta, et ut plurimum rubor faciei §. 628. observuantur; in nostro autem morbo omnia contraria eueniunt: pallens facies, respiratio et pulsus vix cognoscuntur, et oculi clausi mortis quasi imaginem sistent. Prognosis vero varia est: Si ex leuiori causa oritur, facile quoque tollitur, v. c. in hystericis: si in grauidis accedit, abortum saepius praedicit: si insultus lipothymicus cerebri reuertitur, ad apoplexiā et epilepsiam disponit: in febribus acutis et post haemorrhagiam magnam, in primis in debilioribus, periculo non caret.

§. 678.

Accessus morbi primum attendendus, et aeger lipothymicus excitandus est, ante quam de ulteriori curatione agamus. Huc faciunt analeptica externe naribus admota, vel, quantum fieri potest, interne exhibita, cum leni corporis frictione. Propinentur itaque essentia castorei, spiritus salis ammoniaci vinous, balsamus vitae HOFFMANNI, liquor anodynus mineralis, liquor cornu cerui succinatus, acetum rutaceum et similia medicamenta, quorum paucae guttae, vel saccharo exceptae, in os ingeruntur, vel temporibus et naribus affricantur. Simili modo balsama ex oleis destillatis cum vel sine ambra et moscho adhibeantur. Tenendum tandem est, debilioribus calida medicamenta nimia copia propinanda non esse, caput enim grauant et nimium aestum inducendo debilitant.

§. 679.

Post paroxysmum superatum analeptica et excitantia continuanda sunt: conueniunt itaque iulapia ex aquis destillatis nobilioribus, v. c. cinnamomi cydioniata, confectione alkermes, syrupo de canella et similibus parata; clysmate quoque alius subducenda est, cui pro stimulo mel et sal addi possent. Si somnus tranquillus cum blando calore aegrum reficit, concedenda est quies, quod si vero somnus cum sudore frigido, interruptus et anxius, obseruetur, continuato remediorum usu, in primis frictione, aeger excitandus est. Viribus tandem ex voto restitutis, in causas semel iterumque inquirendum, et aegro ex variis therapiae fontibus succurrendum est.

§. 680.

§. 680.

Cum in quibusdam morbis, v. c. in hysterico malo, syncope saepius diuturnior sit, et corpora mortis imaginem diu referant, medicus sepulturam non permittat, nisi experimentis repetitis, vel ex putredine imminente, certum hominis obitum cognoverit. Corpora talia in loco temperato, stragulis modice tecta, relinquenda sunt, plumula naribus et ori admoueatur, pulsus follicite et in variis corporis partibus disquiratur, pili euellantur, corpus supinum collocetur, et pectori oblique paullo inclinato vasculum aqua plenum imponatur, ex cuius motu minima quoque respiratio cognoscitur, et tandem, si de vita et morte adhuc dubius sit medicus, cauterium actuale plantae pedis admoueat, vel eam ad minimum acu profundius pungat, quibus omnibus per unum alterumque diem incassum tentatis, de obitu eius modi aegrotorum certi sumus.

CAPVT VII.

MELANCHOLIA ET MANIA.

§. 681.

Inter symptomata febrilia delirium quoque referri passim §. 34. 122. ostendimus; sed et interni sensus sine febre turbantur, et idea quaedam, firmiter animo inhaerens, pertinax aliquod delirium fistit, eo tamen modo, ut sola mentis perturbatio et alienatio cum timore, moestitia aliaque anxietate melancholia, ferox autem delirium mania dicatur. In his morbis explicandis multa quidem repetenda sunt, quae Part. I. Tract. II. Cap. VI. §. 548. seqq. de malo hypo-

hypochondriaco diximus, non nulla tamen fusius
nunc declaranda erunt.

§. 682.

Licet hi morbi toto coelo inter se differre videantur, est tamen in illis aliqua analogia, quae nobis causam proximam similem in seniorio communi male affecto ficit. Melancholici ut plurimum tristes sunt, et timidi, solitudinem amant, ob ideam aliquam animo infixam, de qua solum meditantur, reliquas actiones vel negligentius vel peruerse suscipiunt, ceteroquin iis, quibus cum ipsis est consuetudo, vix molesti sunt. In mania simili modo idea cuiusdam rei animo infixia manet, sed et praeter ea furor et rabies, qua aliis et fibemet ipsis nocent, accedit; insignis porro corporis vis, quae robur musculorum naturale multum quidem superat, et ob quam ligati detinendi sunt, simul obseruatur. In utroque hoc morbo alia praeter ea occurunt phaenomena, quae peruersum prorsus corporis statum indicant, v. c. singularis pulsus tarditas, patientia summa inediae et frigoris, cet.

§. 683.

In his morbis praecipue quidem ad materiam quandam atrabiliam, vel eidem simillimam, praeter naturam in corpore genitam, respiciendum est, a qua peculiaria illa delirii phaenomena oriuntur, ut in tractatione de malo hypochondriaco vidimus §.
552. Hoc delirium interdum etiam sine materie a sola phantasia laesa excitari videtur; tenendum tamen est, eos, qui ad ideas fixas dispositi sunt, atram billem generare posse; uti illi, qui atrabiliorum et hypochondriaci sunt, ad ideas fixas disponuntur, ex quo patet,

paret, unam morbi speciem in alteram vere transire. Datur etiam transitus ex uno morbo in alterum, ita, ut saepius maniaco-melancholici inueniantur.

§. 684.

Praeter caussas, quae phantasiam laedunt, et pertinaci animi affectu sensus internos corrumpunt, ideoque vix ample satis enarrari possunt, ratione corporis omnia ea consideranda sunt, quae fluida inspissant, et subtiliores humores dissipant, ut sunt: abusus spirituorum et narcoticorum, aer nimis siccus et calidus, venus nimia, vietus crudus, flatulentus, difficile digerendus, quibus accedunt suppressae euacuationes sanguineae, materies quaedam acris, podagraria, arthritica, &c. s. p. ad cerebrum delata, et similia. Inter caussas praedisponentes macilens corporis habitus, hoc est, nimia solidorum siccitas et fluidorum defectus referri meretur; vidiimus autem et obesos hoc morbo affectos, quos vitae genus et aliae caussae in subtilissimis corporis partibus ad hos morbos disposuerunt.

§. 685.

Morbi nunc descripti grauissimi sunt, difficile eurandi; felicius tamen abiguntur, si a morbo corporei statu tantum dependent, quam si laesa phantasia vel morbo anfam dedit, vel cum pertinaciorem reddidit; si materia morbi in corpore oberrat, eiusque impetus interdum remittit, quam si in systemate venae portae, vel alio corporis loco fixa haeret: uterque enim morbus, si diuturnitas accedit, vix tollitur, sed in grauissimos capitum morbos et conuulsiones transit, immo interdum in continuam amenitatem mutatur. Non nulli ex his apoplectici moriuntur.

untur. Morbi alii superuenientes, licet grauiissimi videantur, dum modo materiam moueant et subducant, curationem promittunt: hue spectant febres variae, in primis quartana, abscessus passim in corpore orti, scabies ferina, hydrops, sed et hi morbi post ea difficillime cedunt et magnam in curatione exigunt attentionem. Haemorrhoidum fluxus, nec non largior euacuatio materiae atrabilariae per vomitum et per aluum, saepius morbum tollit, qui tamen superatus saepius recrudescit, et per statu interualla, in primis vere et autumno, redit; hinc accuratior diaeta et curatio prophylactica non negligantur.

§. 686.

In omni melancholia et mania, in primis tamen in ea, quae ex perueris ideis oritur, loci et vitae generis mutatio, et praecipue in minus adfuetis, vita ruralis conuenit: remoueantur ad minimum illa obiecta, quibus ad amorem vel odium concitatus fuit aeger: voluptuosi et venerem appetentes non nunquam doloribus et flagris corriguntur. Qui aegris auxilium praebent, interdum benignitate, interdum seueritate illos ad obedientiam disponant, et medicus, qui amici nomine introducitur, fiduciam eorum omni modo captare discat, nec in principio de medicamentis, quae ii ut plurimum respuunt, cogitet, sed in vietu quaedam mutet, donec de constitutione aegri et cauissis certus sit.

§. 687.

Si materia morbi in aegro fixa cognoscitur, illa vehementioribus euacuantibus non agitanda, sed potius resoluenteribus lenioribus et diu continuatis sensim mobilis reddenda est. Tentanda itaque sunt ea, quae in

In morbi hypochondriaci curatione proposuimus §. 559. seqq. In primis vero potu copioso aquoso cum melle, aceto destillato et nitro humores diluantur, camphora etiam pro resoluendi fine, parca, sed repetita dosi ingerenda est. Primae tamen viae semper liberae reddantur; si copiosa saburra in iis haeret, haec fortioribus quoque medicamentis interdum remouenda est; si tenacissima haeret pituita, resoluentibus et aquarum etiam mineralium usui lenia tantum laxantia interponenda sunt. In genere autem obseruari debet, acrimoniae cognitae sua adhibenda esse contraria.

§. 688.

Plethora vera cuin nostris morbis rarius occurrit, et venae sectionem urget; si vero sanguis ater, spissus et immobilis est, tunc moderata venae sectio interdum vias sanguinis expedire, et medicamentorum ingestorum actionem adiuuare valet; caue tamen, ne nimiam sanguinis copiam subducas, et materiam morbi nimis fixam reddas; in insigni enim spirituum animalium depravatione circulatio sanguinis ut plurimum languida est. Plethora etiam, si qua esset, potu diluente et inedia saepe per se corrigitur.

§. 689.

Si tandem materia morbi mobilior facta fuit, et humores liberius circumducti aliquam euacuationem praestant, tunc illa a medico caute excipienda et adiuuanda est. Saepe etiam aegri, si in confortio aliorum hominum sunt, se sim ad se redeunt, et omnibus se- et excretionibus ex voto restitutis, conualescunt. Non nunquam haemorrhoidum vel mensium fluxus, iterum succedens, salutaris deprehensus fuit. Si alii morbi superueniunt §. 685, illi in primis, qui

cun

eum excretionem materiae malignae coniuncti sunt, vel motus febriles ordinatos vel anomalous ostendunt, ex indicationibus generalibus diiudicandi sunt, quo motus destructorii compescantur, resolutorii autem omni modo adiuentur.

§. 690.

Ad morbos systematis neruosi, et speciatim ad maniam ea quoque deliria, quae a causa venenata oriuntur, referri possent: nos quidem, reliquis omissis, peculiare delirii genus, quod hydrophobiam appellant, subiungere et paucis declarare suscipimus*. Hic morbus, qui a canis vel alias rabidi animalis morbu oritur, singularia prorsus phaenomena coniuncta habet, in primis vero difficultas in fluidis deglutiendis, fauciunque singularis aliqua strangulatio, vel metus aquarum, immo sonus aquae cum strepitu effusae aegrum angunt, qui tandem sub vehementissimis anxietatibus, spasticis nimirum et inflammatoriis affectibus, e viuis tollitur.

* Vberiorem tractationem proposuit CHRISTOPHORVS NVGENT *Essay on the hydrophobia etc. London, 1753, 8 mai. vid. Commentarios de rebus in scientia naturali et medicina gestis. Vol. V. Part. II. p. 329.*


§. 691.

Venenum quidem, ut in viperae morsu per vulnus suscipitur, et singularis contagii modis in sanguinem obseruatur. Suscepta autem materia maligna prius in neruos agere, spasticosque potissimum effectus producere solet, qui sensim paullatimque in inflammatorios mutantur. Post mortuum vulnus interdum facile sanatur, et contagium diu delitescit, successiue tamen maligna symptomata in scenam prodeunt, et

ita augmentur, ut praeter sensum stuporis et doloris lancinantis in parte olim affecta, fauces constringantur, conuulsiones partiales urgeant, et haec symptoma vario modo remittant et intendantur; prae reliquis tamen repraesentatio aquae et canis eiusque latratus morbum grauiorem reddat.

§. 692.

In recenti malo, et ubi vulnus inflictum adhuc apertum est, hoc aqua salsa vel acida eluatur, profunde scarificetur cucurbitalis, si fieri potest, multo igne appositis, et his auxiliis suppuratione magna excitetur, quo materia laedens ab internis sedibus arceatur: alii oleum oliuarum recenti vulneri applicatum, ut specificum laudant: primae viae praeter ea clymate vel leni laxante liberae seruentur, perspiratio tandem, eaque auctior, regimine et medicamentis excitetur. Quando languor, tristitia et conuulsiui motus sensim paullatimque accedunt, eo respicendum est, ut his occurratur, ante quam signa inflammationis sese prodant; hinc opii vim et moschi efficaciam maxime extollunt non nulli medici, illud ad granum unum alterumque, hunc ad scrupulum semis et ultra exhibent. In plethoricis, ne inflammatione nimium intendatur, venae sectio, eaque repetita, requiritur. Suadent etiam immersionem subitaneam in aquam frigidam, quae tamen non semper speratum edit effectum, et forte spasmodum magis excitat, quam tollit.



PRAXEOS CLINICAE
P A R S I I .
MORBI PARTICVLARES.

§. 693.

In praecedente parte, morbos uniuersales pertransiente, multa exhibuimus specimina, ex quibus, quo modo omnis theoretica medicina, et in primis therapia generalis, ad praxin specialem applicanda esset, patebat. Cum etiam ex haec tenus dietis multorum morborum particularium ratio et medendi viae facile intelligentur, in his nunc explicatis morborum curationibus acquiescere possemus: insignis tamen eorum copia et varietas nos monet, ut ex morbis, qui varias humani corporis partes afficiunt, praecipuos feligamus et breuiter declaremus, quo auditores nostri ad praxin clinicam cum iudicio et aliqua fiducia exercendam magis magisque disponantur.

TRACTATIO I.
DE MORBIS CAPITIS.

§. 694.

Ex capitis morbis plurimos iam passim, in primis in tractatione de morbis systematis nervosi, exposuimus, de cephalalgia tamen, morbo saepius occurrente, et de quibusdam affectionibus praeternaturalibus organorum sensoriorum non nulla propnenda restant. In his autem, praincipue in morbis oculo-

oculorum, varii occurunt, qui ad praxin chirurgicam magis pertinere videntur; hinc tractationem nostram arctioribus limitibus circumscribere, et ea tantum momenta tangere poterimus, quae in praxi clinica saepius occurunt, et potissimum per internas curationes tolluntur.

CAPVT I. CEPHALALGIA.

§. 695.

Cephalalgia est dolor, superiorem potissimum capitis partem occupans, qui ideo vel in externis vel in internis caluae partibus sedem suam figit; et is quidecim vel ex caussis occasionalibus subito natus ac mitior est, et cephalalgia in specie appellatur; vel ex caussis pertinacioribus praedisponentibus ortus, saepe habitualis et inueteratus est, et cephalaeae nomen obtinuit. Saepius totum caput occupat, non nunquam vero in uno tantum latere haeret, et hemicrania dicitur; si in unica tantum parte, in primis in occipitio, pertinax dolor percipitur, clavus, et a caussa diuersa hystericus, venereus, e. s. p. appellatur.

§. 696.

Praecipue vero idiopathica et symptomatica cephalalgia distingui meretur: illa praeter naturalem aliquam materiam, vel acrimonia sua irritantem, vel pondere prementem, ut caussam agnoscit, quae ipsas cerebri membranas reliquasque partes vicinas vellicat, rodit et comprimit, atque ita ad spastica contractionem disponit; haec vero oritur, si spastica irritatio aliis, praecipue insimi ventris, partibus mo-

lesta, tensionem ad caput tanquam partem sensibiliorem producit. Erit itaque causa proxima cephalalgiae nimia tensio fibrarum, sensiles partes cerebri vel per se, vel per consensum male afficiens.

§. 697.

Caussae, quae idiopathicam potissimum efficiunt, sunt ulcera, lapilli, ossicula et aliae res, quae praeter naturam circa varias cerebri partes haerent: simile quid praestant omnes humores aeres, qui in variis huius visceris sedibus externis internisque stagnant, et aliunde huc deriuantur. Solam quidem plethorae et motum vehementiorem sanguinis versus caput doloris sensum in hac parte producere passum ostendimus, chronicas tamen cephalalgias magis a materiis morbosis, ex sanguine ad lympham trans-euntibus, v. e. atrabilaria, podagria et similibus, oriri compertum habemus; hae tamen dispositiones morbosae, cum omnes satis definiri nequeant, generalem ideam cephalalgiae serosae et sanguineae nobis relinquunt, quas, licet primo intuitu symptomaticae videantur, ita, ut in curatione quoque ad causam respiciendum sit, tamen cum tandem fixae capiti inhaereant, hue reductas esse putauimus.

§. 698.

Symptomaticae cephalalgiae caussae innumerae fere sunt, iuuabit itaque non nullas tantum et solenniores excitare. Attendendum nimirum est ad omnes res non naturales, quae in sensibilibus hunc morbum producere valent: aer nimis calidus et frigidus, nec non siccus et humidus, perspiracionem corporis vel supprimens vel nimis intendens; cibi crudi copiosi; potus spirituosus nimia copia hau-

ftus,

stus, vel non rite fermentatus; motus et somnus in extremis peccantes; adstricta aluus et plurima alia. His porro addimus odores caput grauantes, decubitus serosos ad tunicam pituitariam in grauedine et coryza, cruditates ventriculi et intestinorum, debilitatem et infarctum viscerum abdominalium, hypochondriacum et hystericum malum, haemorrhoides et menstrua non rite succendentia, omnem dolorificam sensationem, a neruo et parte neuosa grauiter irritata oriundam, et capiti saepe simul molestam.

§. 699.

Doloris capitidis diuersissimi dantur gradus, prout grauatius, tensius, pulsans et terebrans deprehenditur; non nunquam ille fixus magis est, non nunquam vagus, ex quibus differentiis haud raro ad considerationem causae ducimur. Prae reliquis vero locus dolens et interualla morbi attendi merentur; interdum enim leuis pressio circa tempora et frontem parum molesta est, interdum occiput graui dolore ad spinam quoque descendente afficitur; immo sensoria organa, in primis oculi et aures in consensu trahuntur, interdum dolor per interualla reddit, et in incremento, statu et decremente periodos acuti morbi absoluit.

§. 700.

Ex hactenus descriptis morbi differentiis et causis prognosis petenda est. Cephalalgia idiopathica difficilis tollitur, quam symptomatica, praelertim si causa lateat, vel cognita pertinacius inhaereat, et remoueri nequeat. Congestiones sanguineae non inflammatoriae, vel serofae catarrhales, quae cum variis febribus sunt, ex harum indole diiudicantur.

Diuturnior morbus et periodicus difficillimae curationis est. Grauissimus et diu durans dolor, in primis in imbecillis, uti caussam pertinacem indicat, sic neruos quoque et cerebrum vehementer afficit, et apoplecticos epilepticosque infultus, nec non alios capitis atque neruorum morbos excitare valet.

§. 701.

In doloribus capitis curandis potissimum ad caussam respiciendum est; si itaque illi ex alio morbo oriuntur, de eius curatione ante omnia cogitandum erit: v. c. in ventriculi et primarum viarum cruditatibus vomitoria et laxantia conueniunt, quae tamen in ipso morbi paroxysmo non exhibenda sunt, nisi vomitus spontaneus lenioribus medicamentis adiuvari queat F. 56. 57; salium digestiiorum, et in primis liquoris terrae foliatae tartari crebrior usus vel alia resoluentia, gummi saponacea commendari possunt, quo ea, quae euacuantibus mouenda sunt, antea mobilia reddantur, et aptius expelli queant.

§. 702.

Cephalalgia saepius a caussa sanguinea, hoc est, a copia et motu nimio sanguinis dependet, ad hunc morbum enim dispositi saepius a leuioribus caussis occasionalibus accendentibus male afficiuntur. In primis vero iuniores plethorici huic morbo obnoxii sunt, et saepe tum temporis haemorrhagias narium patiuntur, quae supprimendae non sunt, ita, ut non nulli potius medici hoc in casu scarificationem narium suadeant; §. 296. quod si vero nulla euacuatio spontanea succedat, venae sectio et aliae artificiales euacuationes praefundae sunt. Hoc in casu etiam pulueres nitrosi, in primis antispalmodicus STAHLII,

cum

éum fructu propinantur. Abstineant etiam aegri a cibo nimis nutritente, et potu calefaciente, et ab omnibus iis, quae sanguinis motum excitare valent. Prae reliquis vero ad euacuationes sanguineas suppressas respiciendum est, quo illae aptis remediis reuocentur. Conueniunt quoque, si aliud adstrictior est, laxantia ex manna, cremore tartari et rhabarbaro.

§. 703.

Venae sectio autem locum non habet, ubi summa simul est debilitas, quae dolorem obortum in neruis fixum magis reddit; in hoc casu, postquam primarum viarum euacuatio aptis purgantibus praestita fuit, curatio potius motu et frictione, nec non usu corticis peruviani et martialium medicamentorum, absolvitur. Quod si vero debilitas primarum viarum praecipua causa sit, saepius thermae vel noduli laxantes requiruntur, quo, dum caussa debilitatis, faburra scilicet pituitosa et biliofa, subducitur, conueniens solidorum robur confirmetur.

§. 704.

In cephalalgia a caussa serosa venae sectio non concedatur, licet ii, qui ad hanc euacuationem adsueti sunt, illam saepius urgeant; sub sanguinis enim inopia vitia serosae colluviae vix corrigi possunt; se ligantur potius fortiora laxantia, praesertim si canalis intestinalis faburra scateat. Cum etiam hoc malum saepius ex perspiratione suppressa oriatur, blanda diaphoretica cum regimine conuenienti propinentur. Infusum itaque herbae scordii, agrimoniae, betonicae cet. coheruerit, nec non mixturae concentratae ex essentia scordii, alexipharmacis STAHLLI, mixtura simplici et aliis paratae, quae etiam addito li-

quore anodyno minerali HOFFMANNI, vel spiritu nitri dulci, gratiiores et efficaciores redduntur. Solutio morbi saepius fit per coryzam, saepius per largos sudores et diarrhoeas, quo in casu blanda laxantia rhabarbarina negligenda non sunt.

§. 705.

Si cauſa incerta eſt, generalia quaedam remedia in grauiori cephalalgia profunt; pectinatione ſcilet frequenti et frictione perspiratio in capite excitetur, quem in finem quoque pili denfius crescentes praefindantur, ſpiruſis autem medicamentis caput perfriſcare, minus conuenire videtur. Respi ciatur quoque ad excretiones capitis confuetas, quae potiſſimum ex naribus et fauibus fiunt, reliquae porro, quae in corpore eueniunt, ſecretiones blande promoueantur: quo etiam humores nimium verſus caput moti, ad inferiora deriuentur, pediluuia cum frictione erurum et pedum adhibeantur, externa tandem remedia, v. c. euphae F. 177. non negligantur, vel fronti mīca panis cum baccis iuniperinis contusis et aceto rutaceo applicetur.

§. 706.

Dolores niimis atroces opiatis infringere et in cephalalgia conſeſſum eſt; ne temere tamen ad haec remedia confugiat medicus: quod ſi vero ille aliis medicamentis cauſam cognitam tardius leuari vel tolli, et inter ea dolores vehementius urgere perſpiciat, ad haec breuia ſolatia aegro praefiſtanda non nunquam recurrat; primas autem vias et omnes ſecretiones in corpore liberas eſſe debere perpendat, ante quam his medicinis utatur. Pulueribus itaque nitroſis interdum admiceatur granum unum et alterum

rum theriaceae coelestis, aut, si aestus non simul urget, laudanum liquidum SYDENHAMI ad guttas quindecim vel viginti cum simili dosi liquoris anodynii mineralis HOFFMANNI exhibeatur. Sciat tamen medicus, se medicamento palliatuo uti, cui in habituali morbo non semper fidendum est, ne systematis neruosi vis prorsus infringatur.

CAPVT II. GRAVEDO ET CORYZA.

§. 707.

In narium cauitate serofos et pituitofos humores secerni, lente saepius colligi et tandem excerni, physiologia docuit, (§. 494.) nullumque dubium est, in statu sano quoque colluuiem serofam plus minus viscida ex naribus destillare. Quod si vero pituita tenax colligatur, et dolorem grauatiuum in capite efficiat, morbum producit, quem grauedinem dicimus: si autem materia acris, tenuis, serosa et ichorosa effluit, coryza appellatur: ulcera tandem plus minus maligna, in tunica pituitaria interdum oborta, ozaenae nomine veniunt.

§. 708.

Plures caussae, quae in his morbis generandis concurrunt, attendendae sunt. Materia viscida, tenax, nec acris, spissa et exsiccata, in narium finibus haerens, pondere molesta, primum obtusum, et paulo post, sanguine copiosius huc impulso, grauiorem dolorem excitat. Aer nimis siccus et feruidus, nec non abusus pulueris herbae nicotianae, ad hanc materiam generandam multum conferunt. Perspira-

tio vero suppressa, quae ab aere humido et frigore, in locis potissimum paludosis, oritur, accedente saepius cacochymico humorum statu, efficit, ut in coryza acris pituita hic colligatur, et cum erosione narium excernatur, quae materia etiam non nunquam, definita quadam acrimonia, v. c. venerea, accedente, ulcera plus minus profunda, et interdum crustis callosis et carie foeda, producit.

§. 709.

In principio horum morborum leuissima symptomata occurunt, ita, ut ipse morbus saepius sine medicamentis, vi naturae solum agente, dissipetur, et ut excretio salutaris grauiora inde oriunda mala arceat; si tamen diu durat, et humores plus minus maligni ad has partes deriuentur, inueteratum malum multis incommodis stipatum oritur, quod caput grauat, ipsumque cerebrum per consensum male afficit. In primis vero ozaena, ex cauſa maligna oriunda et inueterata, morbus omnem fere mediam respuens dici meretur, cum interna remedia ei debellando rarissime sufficient, externa vero aegre applicentur.

§. 710.

In grauedine quidem, praesertim si ab uniuersali humorum spissitudine dependeat, interna diluentia medicamenta in infusis calidis ex oreoselino, scordio, veronica et similibus herbis, vel in decoctis et ptisanis ex scorzonerae, graminis, chinae et similibus radicibus et lignis, paratis conueniunt. In nares admittatur vapor ex herbis emollientibus, cum lacte coctis, addito etiam croco. His iungantur medicamenta resoluentia, salia nimirum caute data, extracta amara

amara et gummi saponacea, passim commendata. In principio morbi pulueres sternutatorii plus nocent, quam iuuant; materia vero excernenda mobili reddit, stimulus iis inductus saepe salutaris est.

§. 711.

In coryza similia medicamenta prosunt, in primis vero si perspiratio suppressa est, illa regimine diaphoretico et medicamentis eam excitantibus, v. c. mixtura simplici, liquore cornu cerui succinato, essentia alexipharmacis, succini et pimpinellae, adiuuatur. Si febris accedit nimiumque urget, pulvres et potionis nitrofiae potius propinrandae sunt, quo in casu etiam victus iurulentus et potus spirituofus concedi haud possunt. Conueniunt etiam pra auertendo affluxu apta purgantia, quae quidem valida non sint, sed ex aegri constitutione et viribus aestimentur, habita simul febris praesentis ratione. In morbo diurno aeris mutatio, et in senibus potissimum fonticuli commendentur.

§. 712.

Vlceræ tunicae pituitariae leuiora vapor infusi aquosi hyssopi, saluiae, menthae, vel interdum emollientium quoque plantarum, amaris iunistarum, naribus adductus corrigit; alia injectionibus similibus, quibus mel additur, optime absterguntur: Si vero ulceræ his non cedunt, medicamenta fortiora, v. c. decoctum guaiaci, adhibeantur, quo nimis ulceræ munda reddantur. Licet vero haec et alia, quae ulceribus cum carie ossium coniunctis applicantur, in nares quoque iniici possint, moderationem tamen exigunt, ne vel materia aeris, morbosa et rodens, vel acria medicamenta in absconditas has cœurnas

ueras vehementius impellantur, et saepius plus laedant, quam profint. Si, ut saepius fieri solet, ab internis caussis, v. c. a lue venerea, haec ulcera pendent, interna curatio omnino praemittenda est.

CAPVT III.

MORBI OCVLORVM.

§. 713.

Plures sunt affectiones morbosae, quae oculos laedunt, variasque partes organi visus maxime compositi turbant et destruunt; de his omnibus, in primis de iis, quibus manu medemur, in chirurgia agitur. Nos itaque, reliquis omissis, de ophthalmia sive inflammatione tunicarum oculi, nec non de lippitudine sive de decubitu seroso ad oculos facto, breuiter dicturi sumus, cum haec oculorum via in praxi clinica saepius occurrant, et non nulla de amauroseos curationibus internis monebimus.

§. 714.

Inflammatio autem oculorum vel externa est, vel interna; prior coniunctivam tunicam tantum occupat, et vel leuior est, si haec membrana ab ea parte, qua palpebras interne inuestit, praecipue afficitur; vel grauior deprehenditur, si ad limites corneae accedit vel eosdem superat: altera tunicam choroideam et connexas partes afficit. In leuiore ophthalmia tantum pruritus in limbis palpebrarum obseruatatur, et lucis radios debiliores ferre possunt aegri; in grauiore vero peiora accedunt symptomata, impatiens lucis, dolor vehemens et oculorum et totius capitatis, nec non febris saepe violenta; quae quidem incom-

incommoda insigniter augentur, si inflammatio ad internas oculi sedes producitur.

§. 715.

In leuiori ophthalmia ut plurimum aer siccus, vel humidus, vel frigidus, fumus oculis ingratus, et corpuscula inter palpebras delata, irritationem efficiunt, et oculis ruborem inducunt, hinc symptoma febrilia vix accedunt, sed, eaussis remotis, humor infarctus vel blande resoluitur, vel leni suppuratione discutitur. Resolutionem iuuant collyria, ex aqua roscarum vel foeniculi cum floribus vel cineribus zinci, vel tutia bonae notae, parata, quibus nimirum oculorum vasa roborantur, humorumque statis discutitur; quodsi tamen suppuratio aliqua succedit, et post usum collyriorum maior pruritus et ardor oriatur, oculus calido laete fouendus et cataplasma ex pomo cocto applicandum est. In hoc casu spirituosa omnino aliena sunt, quoniam his ipsis palpebrae duriores, immobiles et sicciores euadunt; interdum tamen aqua vulneraria leniter spirituosa applicari potest, quoniam nec suppurationem cohibet, nec affectas partes nimium stringit.

§. 716.

Si vehementiores caussae inflammationem externam grauiorem reddunt; si plethora praesens est, et diaetae vitia, quibus sanguinis motus concitantur, simul commissa fuerunt; si inepta medicamenta infarctum vasorum circa oculum auxerunt, protinus vena in brachio secanda, de reliquo autem febris ratio habenda est, quo blandi motus resolutorii relinquuntur. Resolutio autem quoad uniuersum humorum statum iis adiuuatur, quae in therapia generali

Part.

Part. IV. cap. V. (§. 1474. seqq.) de spissitudine humorum resoluenda proposuimus. Praecipue autem inquirendum est, num venerea labes, scabies, vel alia acrimonia inflammationi in his partibus generatae occasionem dederit, quo selecta et his morbis conueniens medendi methodus adhibeatur.

§. 717.

Haec omnia bene ponderanda sunt, ante quam de externis remediis cogitet medicus; non nunquam enim tutius est ab his abstinere, et uniuersalem causam curatione interna remouere: quod si vero is videat, roborantibus remediis laxitatem vasorum corrigendam esse, tunc vel collyria ex floribus zinci, tutia, saccharo saturni et vitriolo albo, vel epithemata ex herba hyssopi, scordii, rutae, radice valerianae, et semine foeniculi cum vino rubro parata et bene expressa superhabeantur. Si autem cognoscat, his dolore in augeri, et nimium siccari oculos, cataplasma emolliens et leniter resoluens ex pomo cocto cum camphora, vel simile ex mica panis albi cum semine foeniculi contuso, croco et lacte paratum, melius conuenit.

§. 718.

Si tandem grauissima et interna inflammatio oculum male afficit, si sub vehementissima febre dolores capitis intensiores fiunt, tunc de acceleranda resolutione omnino cogitandum est. Ex vena igitur ingulari vel mediana larga sanguinis quantitas, aegris tamen proportionata, ab ipso statim morbi initio educatur, et, si malum urget, vel repetatur, vel arteriotome ad tempora instituatur, quo in casu etiam scarifatio palpebrarum utilis esse potest, cum vasa

oculi externa et interna ex eodem fonte oriuntur. Danda tamen simul sunt interna remedia, quae vehementiam febris moderantur.

§. 719.

Si cum inflammatione leniori acris quidam humor, plus minus viscidus, ex oculo effluit, morbus lippitudo sive ophthalmia humida dicitur; haec saepe chronica est et non nunquam ex inflammatione male curata oritur; interdum vero post variolas remanet, si circa eruptionis tempus halitus allii, caryophyllorum et similia acria medicamenta, applicata, vel oculi clausi imprudenter aperti fuerunt, vel mala materia in corpore haeret; tandem quoque in aegris, scabie, scorbuto et morbo venereo affectis, morbosa materia interdum in oculos conuertitur. Graue saepius hoc malum redditur, si oculi nimis deligantur, et materia maligna, quae exitum non habet, tenera vasa arrodit.

§. 720.

Quando igitur lippitudo ex peruersa humorum indole oritur, medicamentis internis, antiueneris, mercurialibus, et decoctis antiscorbuticis massa humorum corrigenda est. Si leuior est lippitudo, tunc cataplasmatibus emollientibus applicatis, in primis ex pomo cocto vel herba meliloti et semine foeniculi humor aeris temperatur, tenue et ichorosum serum quodam modo spissius redditur, et copiose effluit, quo ipso et inflammatio externa dissipatur, et ab interioribus oculi partibus auertitur, praesertim si modica febris medentem iuuet. Partibus autem per hanc medendi viam relaxatis, optime medemur unguento,

guento, quod ex axungia porcina recenti cum cineribus zinci paratur.

§. 721.

Grauius vero malum est, filippitudo inueterata occurrit, cum nulla febris eius curationem iuuet; in plethoricis tamen venae sectio vel scarifikatio instituenda est. Optimum saepe auxilium praestant vesicatoria, inter scapulas apposita, et diu aperta seruata, et in hunc finem seinel iterumque renouanda. In grauiori et pertinaciore morbo setaceum ad nucham applicatum praestat; chronicam lippitudinem etiam fonticuli arcent. In hoc casu quoque non nulli scarificationem oculorum commendant, quoniam per eandem noua inflammatio excitatur, qua acris materia coquitur et crassior redditur; verendum tamen est, ne mala materia magis in oculos conuertatur, hinc interna quoque curatio, qua nouae materiae affluxus arcetur, negligi non debet.

§. 722.

Post lippitudinem utcunque superataim, vel cum ea, saepius occurruunt ulcera in limbis palpebrarum; interdum ea quoque in cornea, vel passim in oculo conspicua sunt, quae, cum ab impuris humoribus in corpore praesentibus, vel ad oculum maxime decumbentibus, oriuntur, uniuersalem humorum correctionem exigunt; si enim, his correctis, blanda inflammatio ad suppurationem dicit, ulcera haec facile purgantur, vel melle formicarum porro absterguntur et mundantur, quo facto unguentum ex fibribus zinci optime subiungitur: Quod si vero magis profunda et fordida sunt, viscidisque crustis obfessa, neque in margine inflammatio percipitur, unguentum

tum ex mercurio praecipitato rubro cum penicillo caute applicetur, quo, crusta viscida erosa, lenis inflammatio suppurationem praefestet, qua ulcera illa munda redduntur.

§. 723.

Si oculi ex caussa, neruum opticum, eiusque continuationem, vel tunicam retinam afficiente, lumen amittunt, amaurosis vel gutta serena oritur. Hic morbus ex iis caussis, quae liberum transfitum per fibras medullares nerui optici impediunt, inducitur: Si enim vel neruus opticus tumore externo comprimitur; vel in contextum cellulosum, circa fibras medullares positum, aliena materia introducta tumorem internum efficit; liberior fluidi neruei transitus impeditur, interdum igitur ex caussa venerea, interdum ex alia morbosa materia, ad hanc partem deducta, graue hoc malum dependet. Non tantum vero obstruētio sic dicta, sed etiam debilitas, v. c. post haemorrhagiam vehementem, vel venarem nimiam relicta, nec non atrophia siue exsiccatio mollis huius nerui ad caussas referri meretur.

§. 724.

In curatione igitur ad caussam respiciendum est: In debilitate corpus nutriatur et leniter perfricitur, quo humores augeantur, et libere ad extrema usque perducantur. Mala materia, neruum obstruens, in primis si a caussa venerea pendeat, non nunquam saliuatione mercuriali tollitur: frictiones occipitis et capitis totius cum pannis asperioribus, vesicatoria et fetacea, nuchae vel pone aures applicata, non nunquam materiam mobilem reddunt, et obstructionem resoluunt. Si post apoplecticos et epilepticos insul-

Y

tus,

tus, aliosque similes graues morbos, amaurosis relinquitur, illa curationem vix admittit, sed plenariam obstructionem vel debilitatem nerui optici indicat.

CAPVT IV. MORBI A V R I V M.

§. 725.

Ob compositum maxime auditus organon, varii quoque sunt eiusdem morbi, in quorum examine quidem partium fabrica ex cognitione anatomico-physiologica considerari, post ea diuersae, quae ipsis accidere possunt, mutationes morbosae ad pathologiae pracepta diiudicari, tandem ad therapiæ generalis leges curatio, si illa possibilis est, fuscipi debent. Cum autem haec cuncta quibusdam curationis exemplis a nobis illustranda fint, otalgiam præcipue, siue dolorem vehementem et saepe continuum, in aure excitatum, examinabimus; de auditu graui post ea et plenaria surditate, nec non de nimis acuto auditu et tinnitus aurium quaedam addituri sumus.

§. 726.

In dolore auris intenso, cum susurro et dolore capitis coniuncto, potissimum ad meatum auditorium respiciendum est, in quo vel inflammatio, vel etiam abscessus inde nascitur, vel tensio spastica a neruis male affectis percipitur. In priori casu febris plus minus vehementer simul adeat; in altero vero dolor sine febre obseruatur, nisi malum complicatum sit. Caues, quae has affectiones inducunt, variae

emnino

omnino sunt, vel sanguineae, vel serosae catarrhalis, interdum eruptio dentium molarium, interdum congestio materiae morbosae per metaftasini, vel ad glandulam parotidem, vel ad aurem ipsam delatae, hunc dolorem excitant.

§. 727.

Hic autem morbus ob insignem neruorum, praecipue a septimo pari oriundorum, communicacionem, ex anatomicis illustrandam, ut plurimum vehementissimus est, et dolor ita saepe intenditur, ut homines ad delirium usque deducat. Si a causa sanguinea producitur, non nunquam narium haemorrhagia soluitur; si vero a causa serosa dependet, interdum sudore, interdum deiectionibus serosis et biliosis discutitur, quae tamen morbi solutiones validioribus medicamentis non urgenda, sed tantum suo modo adiuuandae sunt, praefertim si per naturae vires excitentur.

§. 728.

Inflammatio in his partibus orta, in principio statim resoluenda est: exigit igitur venae sectionem et scarificationem in occipite, nee non diaetam antiphlogistica et medicamenta interna, quae febrem nimis augetam temperant. Externe lenia resoluentia, v. c. panis recens coctus, cui semen foeniculi immixtum est, vel sacculi ex chamomilla, meliloto et similibus, cum camphora applicentur; si vero, his applicatis, resolutionis spes non affulget, emollientia cataplasmata ex mica panis albi cum lacte et creco, vel ex farinis herbarum et seminum emollientium parata, superhabeantur, quo, suppuratione ex voto succedente, meatus auditorius caute purge-

tur et ab ulteriori affluxu materiae morbosae libere-
tur. Cum his etiam aluum vel clysmate vel leni-
laxante liberam seruare conuenit, nisi suppuratione
iam formata medicamenta laxantia prohibeat.

§. 729.

Si otalgia a caufsa serosa oritur, vesicatorium ad
nucham vel iuxta processus mastoideos applicetur, et
perspiratio lenioribus infusis herbarum saluiae, oreo-
selini, cet. vel decoctis ex radice scorzonerae aut si-
milibus paratis, adiuuetur: cum his sumantur tin-
etura tartari acris cum liquore terrae foliatae tartari,
essentia pimpinellae albae et succini. Externe prae-
ter ea epithemata ex herbis betonicae, hyssopi, cet.
cum aqua vel vino rubro parata, superhabeantur,
suffitus ex succino, mastiche et aliis gummatis, nec
non oleum destillatum succini, cum fructu in me-
tum auditorium immittuntur. Sed cauendum omni-
no est, ne tympanum et sensilis meatus auditorii
membrana nimium irritetur; congestiones enim,
erosiones, ulceræ, scirri et fistulae, in his partibus
nata, difficilius sanantur.

§. 730.

Si tandem dolor nimium urgeat, medicamentis
opiatis caute datis, uti in cephalalgia diximus §. 706.
spasimorum vehementiae occurritur. Cataplasma
etiam emollientia, ad sedandos dolores applicanda,
herbam hyoscyami simul excipient, vel oleum, ex
huius semenibus expressum, ad aliquot guttas cum
linteo carpto in meatum auditorium immittatur. Si
a corpore peregrino in aures introducto pressio et
dolores oriuntur, illud subito, praesertim si humidi-
tate

tate turgescat, manu chirurgi et instrumentis aptis educendum est.

§. 731.

Grauior auditus a cerumine aurium indurato saepius inducitur, in primis si illud mole sua simul molestum sit, quo in casu medicamentis emollientibus applicatis materia inhaerens mobilis redditur: in meatum auditorium ideo ingerantur oleum amygdalarum dulcium, lac cum croco, mel, vel etiam turrona ex lardo recenti, quo facto materia emollita largius et eum leuamine effluit, vel specillo apto cante educitur. Caeu tamen, ne nimio emollientium usu, vel rudi applicatione instrumenti, membrana tympani vel relaxetur vel laedatur. Non nunquam grauis quoque auditus a relaxatione membranae tympani oritur, contra quam fatus roborantes eum vino rubro cocti, et suffumigia ex mastiche, olibano, ladano et gummi laccae, nec non remedia interna §. 729. commendata, conueniunt.

§. 732.

Hoc malum quoque in affectibus catarrhalibus a nimio sero, circa aurem stagnante, inducitur, quo in casu masticatoria ex granis mastichis, radice pyrethri, pimpinellae albae et similibus serum tenax, vel per tubam Eustachianam, vel per communicantia vasa, subducunt; porro quoque gargarismata ex herbis saluiae, brunellae et similibus conueniunt. An injectio per tubam Eustachianam tuto fieri possit, aliis diiudicandum relinquimus. Si saburra primarum viarum, in primis in malo hypochondriaco, morbo huic ansam praebet, illa ex causis praedisponentibus diiudicanda et suo modo remouenda erit.

Tumores praeter naturales in meatu auditorio oborti, si scalpello separari possunt, caute remoueantur: cautie enim, v. c. lapis infernalis, non nisi summa cum cura applicanda erunt.

§. 733.

Si grauior auditus, vel aliqua iam surditas, a mala conformatione auriculae, meatus auditorii, vel alias internae partis, aut a natuitate, aut per ineptam curandi methodum inducta, oritur; vel a tinea, scabie, aliaque materia acri retropressa, tenerae organi partes obruuntur et laeduntur, in primis si huic congestioni diuturnitas accesserit, tunc nullum quidem auxilium exspectandum est, nisi forte tubi acustici artificiales, ex orichalco vel simili metallo parati, morbum leniorem reddant, et aliquam soni perceptionem iuuent. De grauius auditu in febribus acutis, ut symptomate, suo loco §. 127. iam dictum fuit.

§. 734.

Plenaria surditas post graues capitales morbos, v. c. apoplexiā, vel vehementemictūm capiti applicatum, relicta, summam nervorum resolutionem indicat et vix tolli potest. Idem quoque est iudicium, si membrana tympani, ossicula et aliae internae partes graui quadam labē, v. c. ulcere cum carie, afficiuntur, vel prorsus destructae sunt. Serum quoque hic stagnans, et post graues catarrhales morbos relictum, difficillime discutitur, nisi forte cauterium actuale processui mastoideo impositum, vel ulcerus per lapidem infernalem ibi excitatum, cum multa suppuratione subsequente, morbum soluat. Tuba Eustachiana, post ulcera venerea mundata coalescens, surditatem quoque inducit.

§. 735.

Tinnitus aurium, vel sonorum consuetorum nimis acuta perceptio, interdum graues morbos praecedit, interdum eos sequitur, et nisi ipsa morbi mutatio malum leuet, vix tollitur. Generalia certe media tunc temporis tentari possunt, ut scilicet iisdem sanguinis vel seri impetus et affluxus cohibeatur et auertatur, vel relaxantibus remediis externis atque internis nimia membranarum tensio imminuatur.

CAPVT V.

MORBI ORIS ET FAVCIVM.

§. 736.

Multae in his partibus occurruunt affectiones morbosae, quae in chirurgia declarantur, vel ad anginam pertinent, de qua alibi §. 302. seqq. diximus: pauca tamen de aphthis et odontalgia propnenda erunt. Ulcera parua sparsim in membrana cauitatem oris et faucium inuestiente, occurrentia, plus minusque sordida, aphthae vulgo dicuntur, strietiori autem vocis significatu prustulae in ore a materia acri, tenerrimam cuticulam eleuante, oriundae, aphthae, *die Schwämme*, appellantur. Hae non tantum oris ambitum internum et linguam obsident, sed ad fauces, et forte etiam ad canalem intestinorum per oesophagum et ventriculum descendunt.

§. 737.

In infantibus recens natis, primis post partum diebus, saepius aphthae oriuntur, quae etiam nutricis papillam quasi contagio afficiunt. Hae ut plurimum sine febre sunt; quae autem in adultis, ceu

febrium, in primis inflammatoriarum, symptomata accedunt, peioris plerumque indolis sunt, ita, ut interdum tanquam verae exanthematicae febris species considerari mereantur, et tunc praeter alia symptomata febrilia, ingentem oris siccitatem, deglutitionem laesam, tussim, vocem raueam, et morbo superato, summam oris sensibilitatem coniunctam habeant.

§. 738.

Caussam si spectes, est acrimonia humorum, praecipue ea, quae in primis viis generatur et evoluitur. Sic enim infantes, vitiato et impuro lacte nutriti, vel quibus meconium non rite expurgatum fuit, aphthis in primis obnoxii sunt. In febribus quoque acutis et malignis, quae a primarum viarum eruditatibus, praecipue ab acrimonia biliosa, vel oriuntur, vel fouentur et grauiores redduntur, frequentissimum symptomata est, funestum omnino, praesertim si oesophagi et ventriculi inflammatio simul obseruetur. Aphthae albæ et grauioribus symptomatibus febrilibus haud stipatae, benignae dicuntur; in crustas vero excretae et obscuro gangraenofo colore praeditae, omnino malignae iudicantur.

§. 739.

In infantibus crebrius quidem occurunt, sed ut plurimum periculo carent: feminae itaque, quae infantum curam habent, cum aqua, in qua ferrum candens extinctum est, saccharo et croco os interne abstergunt, rigidiore linteolo adhibito. Medicus autem attentus leni rhabarbarino medicamento primas vias abstergat, et nutricis victum corrigat, ne acrimonia in tenello infante nimium augeatur et malum pertinax reddatur.

§. 740.

§. 740.

Aphthae, quae cum febre sunt, ut exanthemata reliqua, dijudicari merentur: interdum enim crisi metastaticam sunt, saepius autem symptomaticae deprehenduntur: in priori casu febris ratio habenda est, et ipsa aphtharum eruptio medicamentis relaxantibus, scilicet collutionibus oris emollientibus cum melle et oxymelle adiuuatur; laudant ideo medici aquam et succum raparum succosque acidos, et nitrum addunt, et praeter ea infusa calida herbae scorpii et oreoselini illis iungunt. Aluum insuper, si ea minus respondet, clysmate vel medicamento laxante mouent, et tandem roborantibus, v. c. cortice peruviano, relaxatis vasis succurrant.

§. 741.

Aphthae symptomaticae malignae et gangraenae ut plurimum mortis instantis indicium praebent; benignae vero ex medendi methodo, quam §. 740. commendauimus, coercentur et abiguntur. Mel rosatum cum paucis guttis spiritus vitrioli, vel succus raphani cum faccharo mitior redditus, egregiis virtutibus se commendarunt. Haec vero cuncta non sufficiunt auxilia, nisi acrimonia in primis viis haerens et in corporis humoribus dispersa, apta medendi methodo corrigatur et expellatur.

§. 742.

Si membranae, dentem inuestientes, dolore afficiuntur, odontalgia oritur, quae ideo vel in membra dentis cavitatem, vel in perosteum radicem dentis inuestiente, sedem figit. Caussa huius affectionis vel sanguinea est vel serosa; prior saepius cum inflammatione coniuncta deprehenditur; altera cum

spasmo, qui interdum stuporem dentium inducit. In priore ad plethoram et depravatam sanguinis qualitatem, in altera ad catarrhos, serosam colluuiem circa dentes accumulantes, respiciendum est.

§. 743.

Hac ipsae caussae rarius dolores excitant, si substantia dentis illaesa est: si vero caries vel ab externis, vel ab internis, caussis inducta fuit, tunc dolor leui irritatione, et saepius ab acre tantum frigidusculo accedente, excitatur. Inter caussas dentium cariosorum praecipue attendendae sunt: immundities oris, in primis ab abusu fumi herbae nicotianae orta, victus varius falsus et acris, calida et frigida alternatim dentibus admota, dispositio humorum cacoymica, quae dentes ut plurimum flavo colore tingit, et ita ad cariem faciliter suscipiendam disponit.

§. 744.

In diuturnis itaque et saepe redeuntibus dentium doloribus humorum morbosa dispositio attendenda et ex aliis huius doctrinae capitibus corrigenda est. In inflammationibus externis perioste, praesertim si plethora urgeat, venae sectio et scarifatio statim ab initio instituenda sunt; alius inter ea libera seruetur, exhibeantur diluentia et nitrofa, et sudor per infusa calida herbae scordii, agrimoniae, cet. cum blando regimine prolixiatur. Si nulla resolutio exspectanda est, et dolor in tunida parte augetur, emollientia cum lacte cocta in ore detineantur, tumori autem fucus assatae partes admoueantur. Hoc in casu cataplasmata quoque externa applicentur, quo abscessus formetur, et puri exitus concilietur; quod si vero hoc diutius haereat, scalpello aperiendus est abscessus;

vel

vel si affluxus acrum humorum cariem maxillarum inducat, euulso dente, caries, quae interduin sponte cedit, aptis remediis tollatur, et ginguae consolidentur.

§. 745.

Si perspiratio suppressa et aliae quoque cauffae, quae catarrhatis affectibus ansam praebent, congestiones ad dentes in primis cariosos efficiunt, purgantibus vel sudoriferis medicamentis, vel largo saliuac profluuo per masticatoria excitato, vel vesicatoriis nuchae et rubefacientibus ad tempora applicatis, serum subducatur et discutiatur. Si aer vel acres cibi, ad dentem cariosum admissi, dolorem excitant, cauum dentis ante purgatum cera, plumbo vel auro repleatur, vel dens euellatur. Frustra saepius oleum caryophyllorum et alia acria ad cohibendam cariem, et ipsa acida mineralia ad membranam internam insensilem reddendam adhibentur. Interdum pilulis, ex opio confectis et denti carioso applicatis, dolorem ad tempus sopire cogimur.

§. 746.

Si ex interno humorum vitio, acri materia et tararo dentibus inhaerente, ginguae exeduntur, universalis fluidorum correctio, medicamentis pro varia indicatione selectis, praemittenda est, tartarus post ea et omnis iminundities instrumentis, in hunc usum inuentis, et spongia remoueantur, quo ginguae dentis radicem iterum ambiant, et scarificatione praemissa, cruentae factae denuo quasi propullulent. Pulueres dentifricii acriores et rigidiores ex alumine et pumice marmoream dentis crustam laedunt; cineres tamen plantarum mitius fordes abstergent. Ginguarum caro laxior reddit, tinctura gummi laccae vel myrrhae optime reboratur.

TRACTATIO II.

MORBI PECTORIS.

§. 747.

Plurimae sunt partes, quae pectus componunt, et in eius cauitate continentur, quarum morbi, si longius recensendi essent, satis amplam tractationem exigerent. Hi omnes ex fundamentis, in pathologia et therapia generali positis, cognoscendi, dijudicandi et curandi sunt; quod quidem ut eo melius fiat, nos exempli loco tantum de morbis pulmonum et cordis, de quibus nondum in praecedentibus egimus, in hac tractatione exposituri sumus.

CAPVT I.

TVSSIS ET RAVCEDO.

§. 748.

Tussis est violenta, citatior et sonora exspiratio, post inspirationem profundam, saepius impeditam, excitata (§. 445.) qua ea, quae in bronchiis, aspera arteria, larynge et faucibus haerent, maximo eum impetu efficiuntur, et haud raro contenta ventriculi simul protruduntur. Tussis interdum humida est, quando materia pituitosa collecta reicitur; interdum secca, ubi post insignem tussiendi conatum vel leuior spuma, vel nihil prorsus cereata expellitur.

§. 749.

Variae sunt causae, quae tussim efficiunt, in quas etiam sollicite inquirendum est, quoniam curatoria indicatio ex iisdem colligenda erit. Ex multis

tis sequentes praecipue allegare iuuabit: Corpora peregrina in laryngem illapsa; aer impurus, fumis et halitibus acribus, sulphureis aliisque mineralibus scatens; viscida et tenax pituita, quae bronchiis, laryngi et faucibus inhaeret; serosa colluuius ex caufsa catarrhali huc mota, quae in corporibus cacoehymicis saepius acris et ichorosa est; siccitas internae fauicium superficie, vel ab aere siccō, vel ab uniuersali humorum defectū, vel a glandulis scirrhosis oriunda; ulcera pulmonum a purulenta materia in bronchiis collecta; omnia tandem ea, quae diaphragma irritant, et a ventriculo vel alio viscere abdominali dependent, quibus nimirum septum transuersum in consensum tranxit.

§. 750.

Cum itaque ex his pateat, tussim vel pectoralem vel abdominalem dicendam esse, ex caufsis occasionalibus praegressis et symptomatibus concurrentibus iudicare licebit, num morbi sedes in pectore, an in abdominali viscere quaerenda sit? Attendendum quoque est, num tussis cum difficultate spirandi coniuncta sit, et materia peccans ex pectore educatur? an vero sine insigni difficultate spirandi oppressionem in scrobiculo cordis potissimum cum nausea laesoque appetitu inducat? in priori enim casu pectori, in posteriori ventriculo aut vicino abdominali visceri scirrhofo, vel alio modo laeso, adscribenda erit; in primis autem tussis stomachica ex vitiis diaetae praegressis diiudicatur.

§. 751.

Grauitas morbi ex caufsa, vel mobili reddenda, vel pertinacius inhaerente, colligitur. Tussis humida

mida saepe sine periculo est, si materia viscida screatu facile reieicitur; si autem haec tussis diu subsistit, non raro in simile asthma conuertitur. In infantibus tussis saepius conuulsiva fit, quam distensio nervorum et motus epileptici excipiunt. Tussis sicca diu durans obstrunctiones glandularum et scirrhos pulmonum inducit, vel ab iis oritur, et inueterata, in senibus praecipue, vel a laeso viscere excitata, vix curatur; in grauidis saepe abortus causa est.

§. 752.

Pituita viscida et acris, quae mole vel stimulo tussim excitat, decocto auenae exhorticatae, vitello ouorum cum saccharo et medicamentis bechicis lubricantibus F. 34. 35. emollitur et ad facilem euacuationem disponitur. Si illa tenacior est, variis resoluentibus medicamentis mobilior redditur v. c. oxymelle simplici et squillitico, gummi ammoniaco, essentia pimpinellae albae, helenii, succini et similibus vario modo compositis, F. 33. 100. 116. 145. Salia, quae eundem effectum praestare videntur, tussim interdum stimulando excitant, et diuturno usu solida relaxant, liquor tamen terrae foliatae tartari ob saponaceam indolem melius conuenit F. 178. Cum his omnibus infusa calida aquosa oreoselini, saltiae et similia F. 54. 92. propinari possunt. Si autem febris catarrhalis simul coniuncta sit §. 110. huius omnino rationem habeat medicus, quem eius ope acris materia pulmonibus inhaerens optime coquatur.

§. 753.

Tussis stomachica in adultis, praecipue imbecillis, interdum obseruatur, in infantibus tamen ob glutinosum

nosum victum crebrius occurrit et non nunquam adeo vehemens et conuulsiva sit, ut alimenta assumta protinus iterum reiiciantur. Exigit haec magis, quam ulla alia, medicamenta, quae primas vias purgant; haec tamen, vel si vomitoria elegeris, vel si alia purgantia sumas, constitutioni aegrorum accommodanda sunt. Inter vomitoria tutissimum quidem est oxymel squilliticum, quod simul resoluit; cum tamen illud saepe non sufficiat, apta dosis tartari emetici vel sulphuris antimonii aurati addenda erit F. 172. 173. caue tamen, ne pituitam nimium mouendo, debilitatem ventriculi inducas, hinc rhabarbarina non negligas et medicamenta roborantia subiungas. Hoc in easu omnia lubricantia et emollientia duleia siue sic dicta bechica magis nocent, quam profundunt.

§. 754.

Si tussis ex caussa catarrhali oritur et excretio blande succedit, bechicis medicamentis ea adiuuetur F. 55. 61. 145. ne tamen serum per habitum cutis euacuandum nimium ad pulmones ducatur, regimen diaphoreticum omnino conuenit. Hoc quidem eo magis attendendum est, si materia maligna scabiosa, vel alia repulsa tussim excitat; haec enim diaphoreticis medicamentis exhibitis F. 66. 94. 95. cum frictione artuum ad cutis habitum iterum dirigenda est. Tussis symptomatica in haemoptoe, phthisi pulmonali et asthmate ex horum morborum theoria diuidcanda et suo modo vel adiuuanda, vel lenienda est.

§. 755.

Si caussae tussim facientes vel tolli nequeunt, vel medicamentis bechicis paulo ante commendatis, non satis-

subito supprimuntur, et illa inter ea urget et aegrum fatigat, medicamenta opia requiruntur: commendari itaque possunt diacodium MONTANI cum diacordio FRACASTORII F. 107. vel duo vel tria grana massae pilularum de cynoglossa vel de styrace, vel extractum opii ad granum semis vel ultra pro dosi pulueribus et pilulis admisceantur F. 47. 179. 180. Caveat tamen medicus, ne opiatis nimium indulget et materiam euacuandam cohibeat, sed indicationi causali hanc palliatuam tantum caute interponat.

§. 756.

Cum tussi saepius raucedo est, quae a siccitate asperae arteriae et laryngis oritur, saepius chronica fit, ex causa vero catarrhali oriunda ut plurimum leuior curatunque facilior est. Illa vix non semper ab obstructione et siccitate glandularum foeculosoarum asperae arteriae et laryngis inducitur. In morbillis similis saepe raucedo cum tussi obseruatur, quae a pustulis morbillosis in larynge excretis dependet; peior esse solet, quae in scarlatina febre et variolis occurrit, et pessima, quae in his et aliis morbis anginam inflammatoriam et inde pendentem clangosam et raucam vocem efficit.

§. 757.

Nimia igitur siccitas et asperitas emollientia et lubricantia exigit, quae cum infusis plantarum pectoralium assumuntur §. 752. et morbum ut plurimum tussi et reiectione viscidiae pituitae soluunt. Si vero quaedam adeat obstructio, resoluentia adhibenda sunt. Herbae fumariae, chaerophylli, cochleariae et similes cum iusculis coctae, nec non gummi ammoniacum et oxymel squilliticum optime

optime conueniunt. Nec omittenda sunt gargarismata in hoc casu ex radicibus acrioribus, pimpinellae albae, helenii et similibus, in priore autem ex emollientibus, parata. In macilentis tandem et ad febres lentas procliibus aegris, aquae felteranae cum lacte asinino haustae, meliorem opem praefstant.

CAPVT II.

A S T H M A.

§. 758.

Asthma est respiratio anhelosa, magno scilicet molimine muscularum thoracem mouentium praestita, quo non tantum respirationi vitali et voluntariae inferuentes, sed accessorii quoque musculi (§. 441.) pro vario corporis situ concurrunt, et violentam respirationem efficiunt. Oritur vero ex via vel pulmonibus ipsis inherente, vel pulmonum actionem liberam, ob partem vicinam laesam, impediente. Illud verum seu idiopathicum, hoc spuriū siue symptomaticum, dici solet.

§. 759.

Licet ad hanc differentiam prae reliquis attendendum sit, non desunt tamen aliae distinctiones a medicis receptae, et in morbo diuidicando utiles et necessariae: sic enī ratione gradus, in dyspnoeam, orthopnoeam, apnoeam et catarrhum suffocatiuum (§. 1098.) ratione materiae morbum facientis, in humidum, siccum, sanguineum, scirrhosum, purulentum, ratione causae, in humorale, spasticum et flatulentum, ratione durationis, in continuum et periodicum, et ita vel vagum vel fixum, distingui solet.

Z.

§. 760.

§. 760.

Sentient vero aegri primum in motu vehementiori corporis, in primis per acclivia loca adscendendo, inspirationem difficilem, quae subito exspiracione excipit, anxietatem praecordiorum et cordis palpitationem, pulsus velociorem, saepius inaequalem et intermittentem, corpus languidum et cito defatigatum; paulo post, incremente morbo, in leuiori corporis motu, tandem illo quiescente similia incommoda obseruantur, ita, ut non nisi erecta ceruice aerem ducere queant aegri. Obseruamus in his diaphragmatis et reliorum musculorum violentam actionem, ita, ut humeri et scapulae simul eleuentur, frequentem tussim, stertorem cum sibilo, suffocationis metum, vocem impeditam, stridulam et acutam; in grauiori malo pinnae narium agitantur, os apertum hiat, corpus tremit, et sub rubore faciei extrema frigent. Aegri praeter ea caloris impatientes sunt, ita, ut apertis saepe fenestris liberorem aerem quaerant. Haec symptomata vesperi potissimum augentur, aliaque, et interdum febrilia, accedunt.

§. 761.

Causa proxima asthmatis est inaequalis transitus sanguinis per pulmones; in ulteriori itaque causarum scrutinio vasa aerea viscida et tenaci pituita repleta, glandulae mucum secernentes obstructae et scirrhosae, sanguis copiosior et spissior difficile per pulmones mouendus, pulmo cum pleura concrescens, aer, serum, sanguis, pus in cauum thoracis effusa, tumor in mediastino vel parte vicina natus, mala thoracis conformatio, praecipue in gibbosis, et tandem viscerum abdominalium plenitudo, obstru-

obstructio, scirrus, spasmus et. praecipue atten-
di merentur.

§. 762.

Ex tanta caussarum diuersitate satis patet, ad plu-
res alias praedisponentes et occasioales respici pos-
se, quae vel morbum ipsum sensim inducunt, vel
paroxysmis asthmaticis ansam praebent, vel eoru-
deum impetum grauiorem reddunt. Plethora in me-
dia aetate potissimum obseruanda, serosa colluuius
et saburra primaruin viarum acido-pituitosa in in-
fantibus, humores lentescentes et rigiditas fibrarum
in senibus, malum hypochondriacum et hystericum,
aer impurus humiditate vel alia peruerfa qualitate
noxijs, vapores minerales, sulphurei, arsenicales,
mercuriales, nec non puluis tenuissimus a metalli
fessoribus et lapicidis fauicibus resorptus, materia
podagrca, scabiosa, variolosa, vel alia plus minus
maligna, ad pectus repulsa, et phura non fusius re-
cenfenda, hic in censum veniunt.

§. 763.

Diftert vero asthma a phthisi, in qua ulcera pul-
monum sunt; accedit tamen phthisicus asthma puru-
lentum; diftert a malo hysterico, in quo spasmus et
metus suffocationis in fauicibus et oesophago magis,
quam in pectore haeret, licet et asthma hystericum
dicatur; a catarrho suffocatiuo non nisi gradu diftert
§. 759. vox enim suppressa, stertor, rhonchus, nec
non pulsus debilis et rarus, quibus hunc morbum
ab asthmate distinguere non nulli volunt, in summo
morbi gradu tandem oriuntur. Quodsi vero suffo-
cationem, a sero in pulmones resolutos confluente
ortam, eo nomine insignire velis, tunc asthmatis se-
rofi vel humidi grauissima erit species.

§. 764.

Omne asthma morbus est grauissimus; quodsi enim ab initio leue videatur, morbi tamen chronicī prodromus est, hinc rarius curationem exquisitam admittit; aliquoties etiam discussum visum, facile tamen reuertitur et magis molestum redditur, ita, ut non nisi in cauffa leuiori et mobili curationis spem relinquat. Asthma humidum saepius hydrope pectoris inducit, siccum autem non nunquam eundem indicat. Si asthma siccum in humidum cum leuamine mutatur, et tussis cum pituitae reiectione oritur, bonum, si vero cum deiectione virium accedit, frequentibus sequitur catarrhus suffocatiuus. Asthma spasticum acutus est morbus, ob acrimoniam neruis inhaerentem difficilis curandus. Catarrhus suffocatiuus in senibus semper periculosus est, et, si superatur, atoniā pulmonum et asthma humidum chronicum relinquit.

§. 765.

In curatione ad cauffam et ideo diuersam morbi speciem respiciendum est. In asthmate humido, si multa tussis et reiectio materiae pituitosae obseruat, emollientibus quidem et lubricantibus expectoratio promouenda est, apta tamen resoluentia his miscenda erunt; conueniunt itaque decocta radicum quodam modo acrīum et resoluentium, et radicibus demulcentibus bardanae, althaeae, graminis et liquoritiae, proportionatae doses radicum carlineae, angelicae, ari et pimpinellae albae addantur. Cum his exhibeantur solutiones gummi ammoniaci, vel in aceto squillitico F. 138, vel in emulsione F. 99.116. Amararum plantarum extracta in hoc morbo interdum egregium effectum praestant, si, salibus additis,

tis, soluta larga dosi exhibentur F. 18. 19. Balsama sulphuris inter potentiora asthmaticorum auxilia referuntur, sed calefaciunt et sapore molesta sunt. Alii infusum specierum emollientium et linctus cum syrupis resoluentibus et spermate ceti exhibent. F. 33. 34. 55. 144; quoniam tamen his diu continuatis, pulmonibus aliisque partibus relaxatio inducitur, praestant omnino et infusum leniter resoluens F. 54. et aqua mellis pro potu ordinario.

§. 766.

Minime autem omnis pituitae vis per pulmones eliminanda est, sed purgantibus medicamentis vel praemissis, vel interpositis, humores ferosi deriuuntur et auertantur, quorum selectus et dosis ex constitutione aegrorum definiatur. Debilioribus enim rhabarbarum, manna, tremor tartari vel cum vel sine stimulo fennae, vel clysimata conueniunt; pro robustioribus diagrydium et alia resinosa addantur; pilulis autem ex his formandis guimmi ammoniacum admisceatur F. 117. 135. Aliis noduli purgantes F. 14. 26. quibus drachma una vel altera radicis squillae, vel maior dosis radicis ari addita est, prescribantur.

§. 767.

Infantibus, praecipue circa dentitionis tempus, hoc asthma moleustum est, quod eadem remedia aetati accommodanda exigit. Si enim viscidum simul urget, laxantium usus summe necessarius est, cum pituitam motam saepius deglutiant infantes. Purgantibus enim, rhabarbarinis et mannatis serum a pulmonibus auertendum est, postquam oxymel simplex vel squilliticum cum syrupo de erysino LOBE-

lui vel in linetu, vel cum aquis destillatis exhibita, materiam pituitosam mobilem reddidit. In acida acrimonia corallia rubra cum rhabarbaro componuntur, vel cum pauxillo nitri aliquot grana sapinis veneti propinantur F. 181.

§. 768.

Aegri, hoc morbo affecti, saepius paroxysmos graues experiuntur, quo in casu ad pituitam resolwendam et evacuandam pulueres resoluentes cum aro et squilla F. 182, vel oxymel squilliticum, addito urio vel altero grano tartari emetici, pro vomitu vel excitando vel adiuuando, propinentur F. 57. 183. Laudant quoque non nulli unum alterumque granum extracti nicotianae cum similibus medicamentis exhibitum. Haec vero non nisi in eo casu, ubi maxima humorum vis mouenda est, conueniunt, vomitus enim inde oriundus, si cum leuamine succedit, paroxysmos egregie soluit.

§. 769.

Præter ea semper diaetae ratio habeatur: aer eligatur purus, evitetur humidus, ideoque suffumigis et perflatu corrigatur iners conclavium halitus; victus vegetabilis, glutinosus, non fermentatus, cum butyro et ouis, animalis ex carnis, suilla et similibus viscidis, non adsumatur. Panis fermentatus cum iusculis, et cibi aromate sufficienter conditi, reliquis præferantur. Prandium exercitationi corporis accommodatum sit; coena parea vel nulla. Somno ne nimis indulgent aegri, nec vehementiore corporis et animi motu, in primis post pastum, digestionem turbent.

§. 770.

§. 770.

Haec ipsa etiam diaeta caute ordinata, post morbum per medicamenta superatum, diu adhuc obseruanda est: robur enim corporis, et praesertim pulmonum, restituit. Conuenit porro aegris tempore vernali montanum et serenum aerem respirare; sanguinem, si opus est, venae sectione, serum autem purgantibus prophylacticis subducere, et cortice peruviano et martialibus medicamentis uti F. 27. 29. in primis si laxiora sint corpora, in quibus etiam usus aquarum mineralium, acidularum et thermarum negligendus non est. Cae tamen, ne in confirmato malo, praesertim si viscus faetus sit, nimiam aquarum copiam ingeras, per vias consuetas saepe non eliminandam. In senibus, ubi naturalis quaedam rigiditas est, infusa calida oreoselini et similiūm plantarum, nec non aqua mellis pro potu ordinario profundit.

§. 771.

Plurima ex his, quae nunc proposuimus, etiam in reliquis asthmatis speciebus adhiberi possunt, sed alia quoque monenda supersunt. Asthma siccum, praeter clysmata et leniora laxantia, ex manna, cremore tartari, tamarindis et similibus parata, interpositum usum largiore pilularum resoluentium cum gummi ammoniaco exigit F. 23. 24. quibus sumtis, infusa et decocta resoluentia superbibantur F. 38. 67. 102. Iuscula cum foliis tenellis et recentibus milfolii et hederae terrestris cocta, matutino tempore cum fructu sumuntur, praeter ea etiam emulsiones F. 60. 105. linctus F. 61. et infusa lubricantia F. 104. erebrius exhibeantur. Nimius medicamentorum dulcium usus, licet faccharum vim resoluentem habeat, ventriculi robur infringit.

§. 772.

Asthma spasticum repente incidit. Hoc interdum venae sectionem requirit, si nimis ab haemorrhoidibus et menstruis suppressis inductum fuit, vel si corpora valde plethorica inuidit; ea tamen nocet, si morbus ex aliis caussis, v. c. ex refrigerio, in primis in imbecillis oritur; quo in casu potius frictiones pedum, regimen diaphoreticum, blandaque antispasmodica, v. c. liquor cornu cerui succinatus, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI et similia auxilia praestant. Nec incongruum est clysinata emolliente et carminatiuo, coque reiterato, spasmum lenire et diaphragmatis tensiones soluere. A contractione cardiae, et oesophago spastice affecto, similis interdum oritur insultus, quem clysinata et carminativa medicamenta, in primis castoreum F. 120. soluunt. Interdum linctus emolliens et leniter anodynus F. 107. leuamen adfert.

§. 773.

Si asthma a materia quadam maligna, v. c. in scabie, arthritide et similibus, inducitur, ad curationem horum morborum animus conuertendus est; exanthemata suppressa ad cutem, et quaevis materia maligna ad consueta loca deferenda est, id, quod in aliis praxeos capitibus abunde ostendimus. §. 525. §. 600. seqq. Si ex ventriculo, viscida et glutinosa pituita repleto, asthma oritur, omnia bechica medicamenta incongrua sunt, quae ventriculum relaxando malum augent; requiruntur potius blanda euauantia et roborantia medicamenta, de quibus iam passim egimus, et in tractatione de morbis ventriculi plura dicturi sumus.

C A P V T III.

VOMICA PVLMONVM ET EMPYEMA.

§. 774.

Abcessus, intra pulmonum substantiam natus et quasi folliculo inclusus, vomica dicitur, et, licet in aliis visceribus, v. c. hepate, renibus, cet. tale pus collectum quoque haerere possit, nullibi tamen frequentius, quam in spongiosa pulmonum substantia deprehenditur. Differt vero vomica ratione magnitudinis, numeri, situs, et in primis ratione indolis purulentae materiae, quae vel blanda vel acris ichorosa est.

§. 775.

Molestus quidam in pectore sensus, qui liberam pulmonum expansionem impedit et saepius tussim siccam excitat, febricula et vagae horripilationes, potissimum post pastum et versus vesperam accedentes, rubor genarum morbi suspicionem faciunt, cuius certior praesentia ex catulis praegressis elicetur, si nimirum post peripneumoniam vera resolutionis signa non apparent, et dolor et dyspnoea multum quidem remittunt, non vero prorsus cessant, ponderis sensu, sub inspiratione percipiendo, interdum relieto; si decubitus in unum vel alterum latus molestus est.

§. 776.

Sedes vomicae ex rubore genarum in latere affecto obscure, certius vero ex dolore quodam persistente, vel molesto certe quodam sensu, et decubitu in latus affectum tantum possibili cognoscitur.

Mali grauitatem symptomatum incrementum ostendit; si enim paruae vomicae facile rumpuntur et inundantur, tunc aeger sanitati interdum potest restituī; si vero vomica difficile rumpenda sensim incrementum, febris lenta cum sudoribus nocturnis et macie ingrauescit, tunc symptomatibus his alia in febris lentae tractationē recensita accedunt, et aegrum sensim paullatimque conficiunt; vel vomica magna subito erupta, aeger saepe suffocatur.

§. 777.

Ex quibus etiam cognoscitur, causam proximam vomicae esse inflammationem partialem pulmonum suppuratione finitam, quae vel a peripneumonia, vel ab haemoptoe, vel a vulnere quolibet pulmonum, vel a catarrhalibus affectibus per opiate medicamenta cohibitis, vel a refrigerio ad incandescentes pulmones admisso, oritur; quae quidem consideratio nos ad caussarum remotarum examen dicit, quod ex inflammationis tractatione generali §. 273. seqq. institui potest.

§. 778.

Omnis vomica, dum nobile viscus pulmonum, semper in motu constitutum, et tantae sanguinis copiae transitum permittens, afficiat, difficilem vel nullam saepius admittit curationem. Si in corporibus, de reliquo sanis et exquisitam diaetam observantibus, vomica tecta latet, illa saepius diu haeret, et praeter leuem dyspnoeam nullum incommodum adfert; si vero plures minores vomicae in scirrhosis pulmonibus adsunt, macies, graue asthma, et tandem lenta febris inducitur. Si corpora impuris sucis scatent, pus malignum partes vomicae vicinas ci-

tijus

tius exedit, leuem inflammationem fouet et symptoma maligna accelerat. Vomica, quae magnam partem pulmonum occupat, si, in thoracem effuso pure, rumpitur, empyema, si in bronchia aperitur, vel subitaneam suffocationem, vel phthisin facit.

§. 779.

Post laesiones pulmonum, quae cum partiali inflammatione sunt, interdum, sed valde raro, pus ibi natum per metastasim ad alia loca ducitur, et ex corpore quoque eliminatur, quo facto pars laesa exsiccatur quasi et conglutinatur. Idem euenit, si vomicae minores bonae notae pus continent, et leui nisu in bronchia aperiuntur, ante quam increaserint haec quidem curatio, quae viribus naturae maximam partem adscribenda est, exquisita diaeta et lenioribus medicamentis adiuuatur, qua in re tamen magna et medici et aegri attentio exigitur.

§. 780.

Hoc in casu, si plethora fuit, nec adeo imbecilla corpora, modica venae sectio inflammationis augmentum impedit, relictis tamen sufficientibus resolutionis viribus. Alius laxantibus lenioribus, mannatis, tamarindinatis, rhabarbarinis cum vel fine stimulo sennae soluatur, serum lactis matutino tempore, et ptisana ex scorzonera et similibus radicibus pro potu ordinario exhibeantur. Victus praecipue fit vegetabilis ex fructibus horaeis exsiccatis et pane albo; animalis in primis iurulentus et glutinosus interdicatur, iuscula nutrientia non adsumantur, sed temuia, quae cum herbis millefolii, chaerophylli et similibus coquantur, propinentur; blande enim nutriti, resoluunt et ulcera mundant. Balsamica sic dicta

dicta medicamenta, balsamus peruvianus niger, de mecca, balsama sulphuris et similia, quibus mundari ulceræ non nulli asserunt, vel prorsus non, vel caute, adhibenda sunt, ne febris nimium incendatur.

§. 781.

Vomica formata et maior reddit dubios reddit medicos, num eius rupturam tentare, an impedire debeant; utrumque enim periculo non caret: cum vero spontanea ruptura interdum ex voto cesserit, eandem bechicis, lubricantibus, emollientibus, dulcibus, diaeta lactea non nulli efficere tentant, et pulmone interdum per tussim, screatum, cantum vel vomitum concusso, adiuuant: immo hoc in casu vomitorium suadent; his vero curationis vijs vel intermissis, vel ex voto non succendentibus, vomica lente crescit, et ideo augetur, ut exsiccati non possit, et tunc maius semper fit rupturae periculum, vel etiam si hoc non accedit, febris lenta a pure resorpto increscit. In his itaque dubiis curationibus suscipiendis faciendum omnino est, quod aegri vires et symptomata concomitantia permittunt et iubent: norma enim certa, omnibus praescribenda, non exponi potest.

§. 782.

Si vomica erupta, vel quilibet abscessus intra pleuram natus, pus in thoracis cauum effundit, vel a vulnere thoracis et sanguine inde effuso materia purulenta vel ichorosa colligitur, empyema oritur, quod ex morbo praegresso, symptomatibus concomitantibus et difficili potissimum respiratione, cognoscitur, materia effusa non diu relinquenda, sed, si vires aegri sufficienes sunt, incisio in dorso inter nonam et decimam

decimam costam acceleranda est, quam empyematis operationem chirurgia ulterius explicat. Resorptio puris et metastasis hoc in casu rarissime accedit; interdum potius purulenta materia, ulcere ad pleuram agglutinato, per intercostales musculos viam sibi parat, et sensim sensimque effluit; sed et hoc in casu lenta febris semper succedit. Si aeger viribus destitutus, incisionem non admittit, is apta diaeta, quantum fieri potest, conseruandus est.

CAPVT IV.

P H T H I S I S.

§. 783.

Omne ulcus graue, quamecumque corporis partem occupet, tabidum statum, corruptionem laudabilem humorum et nutritionis defectum infert, qui morbosus status in latiori sensu phthisis dici possit; in strictiore vero significatu, ea tabis species, quae ab ulcere pulmonum oritur, phthisis appellatur: inde et germani tabem *die Schwindsucht* a phthisi *die Lungenficht* distinguunt. Sed tanta sunt confinia tabis, hecticae, atrophiae et phthiseos, ut tandem omnes in febre lenta conueniant, et in suo progressu pulmoni, tanquam primario sanguificationis visceri, saepe funestam labem inducant. Ex tractationibus igitur de febre lenta §. 249. seqq. haemoptysi §. 383. seqq. et vomica §. 774. seqq. varia hic repeti et in hoc morbo considerando applicari possunt.

§. 784.

Pulmonis igitur ulcus magnum vel plura minora §. 774, quae post variam eius laesionem et inde ortam

ortam inflammationem, suppuratione finitam, remanent, phthisis inducunt. Contagiosum et haereditarium hoc malum esse multi adserunt, quod quidem adserum variis observationibus confirmatur; forte tamen occasioales et praedisponentes causae plus valent, et haud raro in morbo inducendo haereditarii et contagiosi mali speciem fistunt. Pulmonum enim imbecillitas et celere corporis incrementum in adolescentia aetate, plethora et haemorrhagia frequens inde orta et saepe suppressa, acrimonia humorum varia ad pulmones propulsa, homines ad suscipiendum hanc morbum, etiam sine laesione violenta pulmonis, disponunt.

§. 785.

In principio huius morbi, et quando sedem in pulmonibus figit, ille quidem difficile cognoscitur, cum macies sola, anxia non nihil respiratio et tussicula frequens, insufficientia signa praebant. Magis augetur suspicio, si febricula aliquot horis post partum et quemlibet vehementiorem corporis et animi motum intenditur. Sputum, quod simul augetur, vel pituitosum aquae supernatat, vel purulentum subfides, et hoc quidem foetorem emittit, praesertim si prunis iniciatur. Tandem maligna varia symptomata, ut sunt: respiratio anhelosa, vox rauca, sudores nocturni, matutini, largi, viscidii, urina parca, cuticula apparenter oleosa, (§. 1274.) diarrhoea colliquatiua, pustulae cutaneae, capillorum defluuum, oedemata pedum mollia, et alia, quae febrim lentam et hecticam comitantur, symptomata succedunt, et mortem propinquam indicant.

§. 786.

§. 786.

Vera autem phthisis a tussi simplici et asthmate, in primis ab his morbis ex ventriculi vitio ortis, distinguenda est: licet enim asthma scirrhosum et pittitosum tandem in tabem et veram phthisin saepius degeneret, in principio tamen alia remedia exigit §. 765. seqq. resoluentia enim ex gummi ammoniaco, oxymelle squillitico, cet. quae in imminente malo conueniunt, in eodem aucto cautius exhibenda sunt. Iuuat omnino in imbecillis praecipue ad cauñas praedisponentes et occasioales respicere, cum vera phthisis ex debilitate pulmonum oriri possit, ideoque multi morbi, peruersa medendi ratione, huic nostro ansam exhibeant.

§. 787.

Omnis phthisis sanatu difficillima est, vel nullam saepius sanationem admittit. Si vigor aetatis, diaeta exquisita aptaque medendi via, et febris impetum cohibet, et ulcerā munda reddit, spes curationis in principio mali vix cogniti affulget; si vero febris intenditur, corrupti humores labem visceris adeo necessarii augent, et ita vires vitae destruuntur, ars sola et his adminiculis destituta nihil valet. Morbus noster tandem vel suffocatione subitanea a sputo cohibito, vel haemoptysi letali a vase magno erosio, vel lenta morte ex virium defectu finitur.

§. 788.

In cura huius morbi praestanda, ante omnia diaetae ratio habenda est: eligatur aer purus, serenus, montanus vel campestris; motus corporis praecipue in equitatione matutino tempore suscipiantur; nutrimentum blandum, moderatum, corpus reficiens,

reficiens, nec organis digestionis et sanguificationis molestum sit, ne febriles motus augeantur; potus temperate frigidus, aquosus, ex ptilana demulcente, sero lactis, aqua felterana, aqua mellis adhibeatur, calidus autem parcus propinetur. In huius morbi progressu, si motus vehementiores sunt, venae fetio incrementum inflammationis et ulcerum cohibeat; ea tamen, si vires deficiunt, noxia iudicatur. Alius lenioribus remediis aperta feruetur; fortiora enim nocent; nocet quoque vomitorium, quod aegroti ob molestum circa scrobiculum cordis sensum saepius exigunt; reliquae etiam secretiones et regimine et caute datis remediis adiuuentur, quo acris materia, a sanguine resorpta, omni data via evacueretur, et blande discutiatur. Solutio myrrhae aquosa, ad drachmam unam et alteram ter de die exhibita, putredini resistit et abstergit, simulque consolidationem ulcerum iuuat.

§. 789.

Vlcera pulmonum igitur, si his obseruatis in incremento impediuntur et leniter deterguntur, non amplius nouam materiam praebent: Quod si vero illa iam resorpta sit, diaeta lactea, sero lactis dulci et lacte asinino vel solo, vel cum aquis felteranis hausta, temperatur et inuoluitur §. 266. Alii cumeres vel succum eorundem refrigerantem laudant et felici interduin cum effectu exhibit. Quando ventriculus vel debilis, vel acida faburra repletus, lac digerere nequit, sed coagulum inde efficitur, ille leniori laxante rhabarbarino et usu corticis peruviani eo disponitur, ut lac subigat §. 267. Debiles autem pulmones apto nutrimento, per lac et similia nutritia inducto, motu et exercitatione proportionata

in aere libero, optime roborantur: quod si ea non sufficiunt, et corticis peruviani et aquarum mineralium, marte praeditarum, usus cum ipso lacte tentandus est. Vapores etiam plantarum pectoralium et terebinthinae, naribus compressis, ore excipient aegri, atque ita robur pulmonibus restituere tentent.

§. 790.

Acrimoniam humorum inuoluere et motus febriles inde ortos gelatinoso victu compescere, non nulli student, qua in re iuscula animalium exsanguium, tenui gelatina praedita §. 268. multum valent, spissiores vero, ex cornu cerui, ebore et extremitibus animalium praeparatae, gelatinæ et difficilioris digestionis sunt, et viscidum, a debili corpore vix subigendum, augent. Pinguedines canum aliorumque animalium in hunc finem exhibitæ similem et peiorem edunt effectum. In scirrho pulmonum statu et inde tandem inducta phthisi ad mercurialia medicamenta non nulli configiunt; sed quid a parua dosi huius medicamenti resoluentis expectandum erit, quam nec diluentia copiosa, nec vires vitae in actione sua adiuuare possunt? maior autem eius dosis omnino suspecta erit, vel quod eandem non ferunt aegri, vel quod inde scirrhi saepius exacerbantur et maligniores fiunt. Antihectico POTERII et similibus metallorum calcibus ulcera exsiccare et vascula minima constringere vix conuenit; in corpore enim macilento exsiccatio noxios effectus praefstat.

§. 791.

Symptomata quaedam phthisicorum tunc temporis lenienda sunt, ubi curationi non amplius locus conceditur. Opiata quidem, in primis massæ pilularum

larum de cynoglossa vel de styrace aliquot grana, ad varia medicamenta apposita F. 47. et tussim leniunt, et somnum placidiorem reddunt, sed fudoribus quoque nimiis ansam praebent; sitim leniunt aqua melis, serum lactis, ptisanae demulcentes. Pulueres terrei cum pauxillo nitri, vel potionis similes, fudores et febrim quodam modo temperant; iulapia leniter acidulata idem praefstant, quae tamen cum lacte et emulsionibus non danda sunt. Alii ad acrimoniam, tussim et fudores leniendos saccharum lactis exhibent, sed debile omnino ex his solatium. Si sputum fuerit suppressum et respiratio inde magis anxia fiat, extractum aquosum cascarillae, cum syrups lubricantibus mixtum, leuamen adfert. Appetitus ciborum interdum medicamentis excitandus est; pauca tamen grana pulueris corticis cascarillae et radicis ari cum coralliis rubris exhibita huic scopo sufficiunt; his, si flatus urgent, castorei, si diarrhoea molesta est, massae pilularum de cynoglossa pauca grana adduntur.

CAPVT V. PALPITATIO CORDIS.

§. 792.

Cordis consuetos et perennes motus non sentiunt sani; quando autem vel cor ipsum, vel vasa cum eo coniuncta, vel humores per haec caua mouendi, aliqua ex parte peccant, actio cordis nobis molesta fit. Sensus hic difficilis motus sanguinis cum resistentia nimia facti, quoniam crebriores et imperfectas cordis contractiones indicat et efficit, dicitur palpitation cordis, quae gradu omnino differt, et interdum tam

tam vehemens est, ut motus ab adstantibus percipiatur.

§. 793.

Palpitatio cordis post omnem vehementem corporis et animi motum in sanis quoque obseruatur; quo liberiora itaque sunt organa circulationis, eo citius aequilibrium motus restituitur. Imbecilles has palpitationes magis sentiunt, in quibus nimirum ob defectum virium cordis et totius systematis neruosi, leui ex caussa faepius inducitur. Sanguis acrimonia et lentore peccans, huic malo quoque ansam praebet, multo magis polyposus, et ipsi polypi. Saepius repletio nimia ventriculi, infarctus pulmonis et viscerum abdominalium, et scirrhi in his partibus generi idem inducunt, in primis vero omnis praeternaturalis constitutio cordis et thoracis hic in censum venit, ut hydrops pericardii, thoracis, empyema, valuulae osseae cordis et similia.

§. 794.

Symptomata cum palpitatione cordis coniuncta, in leuiori morbi gradu leuia saepe sunt, ita, ut malum chronicum sit et sine insigni incommodo per plures annos feratur, et ipse pulsus paullulum celebrior, non tamen inaequalis, inueniatur; in aucto vero morbi gradu pulsus intermittens, vel certe inaequalis, vertigo, anxietas praecordiorum, membrorum tremor aliaque accedunt, quae in paroxysmis urgentibus insigniter quoque augentur, et non tantum circulationem sanguinis impeditam, sed et spasticas variarum partium contractions excitant.

§. 795.

Prognosis in hoc morbo varia est. Si sub aliis criticis motibus post incipientem bonam coctionem obseruatur, vix non semper exoptatae crisi promittit. In iunioribus saepius haemorrhagia narium soluitur, praesertim si cum celeri corporis incremento et voracitate coniuncta sit; interdum vero molestas sanguinis eruptiones v. c. haemoptoen praecedit. Si caussae remoueri possunt, tunc iisdem ab initio occurrit; diu enim continuatum et chronicum factum malum pessimas dispositiones non tantum circa cor et pulmones, sed in uniuersa solidorum et fluidorum compage et mixtione inducit. Subitanea mors interdum palpitationem insignem, a graui quadam caussa ortam, sequitur.

§. 796.

In curatione omnino ad caussas respiciendum est, quae, cum diuerfissimae inueniantur, ad normam tractationis in §. 793. propositae remouendae sunt. In genere his, qui palpitationibus cordis afficiuntur, accurasier diaeta non tantum in victu, sed etiam in reliquis omnibus rebus non naturalibus iniungenda est. Sanguinis circulatio praeceps libera conferetur, eiusque motus nullo modo concitetur; ventriculi praeter ea et viscerum abdominalium cura habeatur, ne flatibus vel spasmis commoueantur; causis enim occasionalibus sublatis, malum, quod tolli nequit, egregie mitigatur. Ex quibus patet, venae sectionem, clysmata et lenia laxantia cum fructu adhiberi, et tandem antispasmodicis medicamentis omnem morbi curationem absolui.

CAPVT VI.
POLYPVS CORDIS.

§. 797.

Concretum viscidum et tenax, quod in cordis cuius haeret, indeque in vicina vasa quasi cruribus expansis de iicitur, et vel libere fluctuat, vel firmitius adhaeret, polypus dicitur. Huius non tantum ratione figurae, sed et substantiae ipsius, insignis differentia est: interdum enim sanguinis coagulum, quod tamen in aqua resoluti potest, generatur, et forte a coacto sanguine in moribundo non nunquam oritur, saepe membrana tenuis et quasi ramosa coagulum hoc sanguinis coniunctum habet; verus autem polypus dici meretur concretio membranoso-carnola, spissa et quasi pinguis, variis corporis vasis inhaerens. Licet vero in vasibus variis, vel etiam in aliis cauis, v. c. in naribus, tales concretiones haerent, in corde tamen potissimum et venis coniunctis occurruunt, de quibus nunc breuibus differendum erit.

§. 798.

Sanguis humanus ad coagulum pronus est, et ipsae subtilissimae partes lymphaticae calore accedente coguntur et in tenacem massam reducuntur. Duae vero et quasi oppositae caussae hoc coagulum efficiunt; spissitudo a lentore et stagnatione, quae in cruento viscidum augere videtur; motus nimius circulatorius, qui magis lymphaticam partem afficit, v. c. in inflammatione §. 271. quae, nisi apte resoluatur, tales concretiones relinquunt. Varia quoque medicamenta et venena, v. c. ex plumbō, quae sanguinem per naturam suam coagulant, hic quoque attendi merentur.

§. 799.

In priore casu lento humorum ex vita sedentaria et vietu glutinoso, potu paucō in corporibus potissimum laxis, nec non plethora, quae spissitudinem sanguinis inducit, tandem suppressiae euacuationes sanguineae attendendae sunt. Alterum magis euenit ex vehementi corporis et animi motu in depositis, a morbis inflammatoriis, qui diathesin phlogisticam, v. c. in peripneumonicis inducunt; potus denique refrigerans aestuante corpore haustus, abusus adstringentium, incrassantium et spirituoforum, subitanum saepe coagulum in sanguine efficiunt. Quo magis vero per omnes has causas cor ad cerebriores, saepius irregulares, contractiones et palpitationes deducitur, eo magis polypi augmentum praefatur.

§. 800.

Symptomata, ex quibus polypus post praegressas causas natus cognoscitur, signa maxime dubia exhibent, cum et aliae morbosae dispositiones in pectori natae idem efficiant, quaedam tamen coniuncta forte certiora erunt; palpatio cordis, pulsus inaequalis et intermittens, apparet pulsatio venarum colli, molestus in pectore sensus et dyspnoea, sedem polypi indicare possunt. In pulsus etiam disquisitione illud attendendum est, an ille in omnibus corporis arteriis tactu percipiendis varius sit? Quo magis vero haec symptomata sub ipsis corporis et animi motibus intenduntur, eo magis de praesentia polypi certi sumus. Polypus in cauis cordis ortus ob irregularem sanguinis circulationem grauissimos tandem pectoris in primis morbos, asthma, hydropem et alia vitae incommoda, inducere solet.

§. 801.

§. 801.

Dispositio ad polyposas concretiones in sanguine formandas forte tolli potest; polypus vero iam formatus, in primis adhaerens et tenacior, nunquam tollitur; hinc inter morbos grauissimos refertur, per se non tantum molestus, sed alios quoque morbos chronicos efficiens. Is etiam haud raro mortem subitaneam, praecclusis maioribus vasis, inducit. Polypus celerius natus et increscens periculosior esse videtur, quam is, qui sensim colligitur et lente crescit. Polypus maior diu saepius sine insigni incommodo haeret, motus vero et extra situm deductus subito letalis fit.

§. 802.

In polyposa concretione auertenda plethoricis, et qui sivepius sanguinem commouent, crebrior venae sectio suadenda est, non neglectis tamen reliquis, quae plethoram imminuant, remedii. Sanguis vero spissus et ad coagulum pronus, potu copioso tenui, cum saponaceis iuncto, optime resolutur. Laudantur itaque succi plantarum resoluentium, taraxaci, scorzonerae, endiuiae, lactucae, cet. vel cum iusculis vel fero lactis assumendi, liquor terrae foliatae tartari larga et repetita dosi exhibendus, gummi-saponacea, cet. his vero interdum lenia roborantia, quae tonum vasorum restituunt et augent, interponenda sunt, extracta scilicet amara, cortex peruvianus et martialia medicamenta; resoluentia enim remedia diutius continuata robur vasorum infringunt, sine quo tamen resolutio nec constans, nec vera est.

§. 803.

Omnis vero diaeta caussis proctarcticis opposita fit; hinc motus violenti animi et corporis evitentur; potus fermentatus parcus quidem aquoso et diluenti interponatur, sed copiosior et spirituosus, in primis spiritus vini prorsus interdicatur; viscida et glutinosa ex vegetabilibus et animalibus non assumantur alimenta; acida copiose non hauriantur; licet enim sanguinem non coagulent, in lympham tamen coagulando agere videntur. Omnes praeter ea humores in apta circulatione seruentur, quo secretiones libere et ex voto succedant.

§. 804.

Polypus iam formatus vel remediis supra commendatis curatur, vel nos eo dicit, ut mercurilia, et ex antimonialibus praecipue sulphuratum temtemus; tamen cum valentiora remedia saepius noxia reperiantur, haec caute adhibeamus, magnaque circumspectione effectus in corpore productos attendamus. Si vero polypus nullo modo resolui poterit, symptomata inde oriunda mitigentur: in venae selectione igitur crebra, sed minus copiosa, aliquid praefidii querendum est, quod forte in plethoricis attingitur. Accuratior diaeta §. 803. et in hoc casu sollicite seruanda est.



* * *

TRACTATIO III.

MORBI ABDOMINIS.

§. 805.

Plurima sunt viscera in abdome posita, quae digestioni, chylificationi, urinae secretioni et generationi inferunt: per varias tamen causas ad grauissimos saepe morbos disponuntur, de quibus quidem iam passim in morborum uniuersalium consideratione egimus, restant tamen et aliae morboſae eorundem affectiones examinandae, quae, licet ad symptomata magis, quam ad morbos referri mereantur, tamen, cum in praxi crebrius occurrant, nostram attentionem omnino exigere videntur. Ordo tractationis ad normam, in anatomica partium consideratione receptam, adsumatur, ita, ut digestio-
nis, chylificationis et secretionis urinae laesiones exponantur, et non nulla de organorum generationis morbis subnectantur.

CAPVT I. APPETITVS DEPRAVATIO.

§. 806.

Ad cibum et potum sumendum instinctu naturali, ex bona organorum digestionis et liquorum eiusdem corporum constitutione et indole pendente, allicitur, eumque appetitum dicimus; huius vero defectum anorexiā appellamus. Hic morbus gradu differt, et vel simplicem alimentorum consueto tempore affumendorum inappetentiam, vel aliquam auersationem producit, et tandem in naufeam cuius-

uis alimentorum generis transit, de quo tamen paulo vehementiori gradu in capite de vomitu acturi sumus.

§. 807.

Caussae huius morbi vel in humoribus affluentibus, vel in solidis partibus haerent; in priore casu saliuia, mucus faucium et liquor gastricus vel non affluunt, vel a deprauata et uniuersali humorum indole vitium contrahunt; in posteriore autem casu ventriculus eo robore destituitur, quod ad cibos digerendos requiritur, et vel relaxatione vel fiscitate inducitur. Facile itaque ex diaeta praegressa et morbis imminentibus, vel iam praesentibus, series caussarum deducitur; hinc enim cognoscimus, cur febricitantes cibum non appetant? cur post abusum vomitoriorum et purgantium, nec non terreorum et spirituorum medicamentorum; cur a viscida pittita fauces et ventriculum obsidente; cur a nimia saliuae excretione anorexia oriatur?

§. 808.

In curatione itaque ad caussas respiciendum est. Immeabilitas humorum diluentibus et acidiusculis corrigitur. Pittita viscida iisdem remediis cum saponaceis iunctis, nec non aptis vomitoriis et purgantibus, resoluitur et euacuatur. Robur ventriculo carminatiuis et tonicis remediis redditur, de quibus indicationibus rite formandis et per apta remedia sequendis in capite de digestione laesa dicendum erit. Anorexia interdum sola abstinentia curatur, in primis quae a repletione ventriculi oritur; caue tamen, ne inedia nimis longa robur ventriculi prorsus deiciatur.

CAPVT II.

DEGLVTITIO LAESA.

§. 809.

De glutitio laesa ex iis, quae in angina §. 302. seqq. proposuimus, abunde diuidicatur, cum ibidem et inflammatoriam et serosam pertractauerimus. Inflammatio vel debilitas muscularum, in boli depreſſione concurrentium, pituita, tumor, scirrus, ulcus, caries, in fauibus et partibus vicinis, nimurum in pharynge et oesophago, conspicua et alia plura, ad ductum cognitionis anatomicae partium disquirenda, cauſas deglutitionis laefae ostendunt, ex quarum varietate iudicium de morbo praefenti et futura eius ſolutione petendum erit. Ipsi tandem, quae poſſibilis eſt, curationis ratio ex cauſarum indole diuidetur et perficiatur.

§. 810.

Scirrhosa potissimum glandularum obſtructio in tonsillis, glandulis folliculofis pharyngis et oesophagi, nec non conglobatis his partibus externe adiacentibus, quae interdum post serosam, magis tamen post inflammatoriam anginam, relinquitur, chronicum et triste malum efficit, in quo quidem debelando, si malum recens et humores seroso-lymphatici bonae notae nullaque labore affecti ſunt, medicamenta diluentia et resoluentia, non tantum ſalina, extracta amara, gummi faponacea, ſed mercarialia quoque et antimonia, quae in therapia generali Part. IV. cap. V. (§. 1474. seqq.) et paſſim in antecedentibus commendauimus, apte applicari poſſunt, quibus etiam emplaſtra resoluentia externe iungenda funt.

funt. Misera sors eorum, qui his non iuuantur; lenta enim tabe consumuntur, nisi forte extirratio scirri fuscipi queat.

CAPVT III. D I G E S T I O L A E S A.

§. 811.

In digerendis et concoquendis alimentis adsumtis magna obseruatur differentia, prout vel cibi facile digerendi, vel tenaciores et digestioni resistentes, affumuntur, vel ventriculi robur, liquorum affluentium bonitas et aliae digestionis causae, plus minus valide cooperantur; ex diaeteticis igitur regulis cui libet homini aptus, et viribus vitaeque generi accommodatus victus suadendus est: Si vero ea norma non obseruatur, tunc vel tardius, vel difficiliter et cum aliqua molestia, vel prorsus non id, quod ingestum fuit, digeritur. Deprauata tandem vel ciborum, vel humorum digerentium, indoles non chymum bonum, quem vera digestio efficit, sed corruptam materiam in ventriculo colligit. (§. 1136.)

§. 812.

Cum propter insignem varietatem victus et copiam ciborum nimiam a multis adsumtam, causae occasionales fere innumerae sint; ad praedisponentes, ex quibus proxima dijudicatur, prae reliquis respiciendum erit: his enim generatim indicatis, regressus ad occasionales longe facilius perficietur. Attendimus itaque reliquias alimentorum deprauatas viscidas, acidas, rancidas; corruptam indolem humorum digestioni inferuentium, saliuae, liquoris gastrici,

gastrici, bilis; atoniam ventriculi, vel eius nimiam rigiditatem. Hae vero caussae raro solitariae occur- runt, sed ut plurimum quaedam coniunctae depre- henduntur.

§. 813.

In progressu ad caussas occasionales non tantum ad alimentorum diuersam qualitatem et organa digestionis sola, sed et ad reliquum vitae genus et corporis constitutionem attendendum erit: ea enim, quae animum moleste afficiunt, ut studia nimia, moeror, cet. uti totum corpus, sic et digestionis organa de- bilitant; defectus motus, vel eius nimium augmen- tum ante et post digestionem perficiendam, voraci- tas et neglectus masticationis, proportio ciborum ad potum peccans, vel potus genera, digestioni minus fauentia, v. c. aqua calida, reiectio nimia saliuæ, in primis per abusum fumi herbae nicotianæ inducta, et innumera alia hic in censum veniunt. Quod qui- dem caussarum digestionem laudentium examen in iis praecipue suscipiendum est, qui non edunt, ut viuant, sed potius in cibi potusque varietate maxima vitae oblectamenta quaerunt, et ideo viuere viden- tur, ut edant.

§. 814.

Leuia quidem sunt symptomata, quae digestio laesa in principio inducit, eo tamen grauiora futura, si caussis continuatis crescunt. Sic a sanis homi- nibus corpus multum excentibus, et animi vires non intendentibus, multa superantur, quae ab aliis vitae sedentariae deditis et meditationibus profundis indulgentibus aegre feruntur. In illis vitia priuae concoctionis per reliquas actiones saepe corrigun- tur;

tur; (§. 1012. seqq.) in his vero, aliis diaetae vitiis accendentibus, magis exasperantur, ita, ut ad caco-chymiam, quae tamen pro differentia subiectorum varia est, disponantur. Principiis resistendum, et diaetae regulis obtemperandum est: habitualis enim digestionis laesio difficile corrigitur.

§. 815.

Ab euacuantibus, vomitoriis et purgantibus incipiendum est, praemissis tamen, si necesse visum fuerit, digerentibus. Valida medicamenta robustis conueniunt, in quibus quidem copiosa faburra haeret, sed solidorum robur nondum deficit; in his saepius drafticorum neglectus morbum protrahit; debilitas vero, ab his medicamentis inducta, alimentis bonae notae parcus exhibitis, emendatur: medicamenta enim stomachica spirituosa verum robur non inducunt, sed siccitatem. Debiliora corpora, vel in quibus ventriculus imbecillis est, mitiora et repetita medicamenta exigunt; rhabarbarina ideo, vel salino tantum, vel fortiori fennae stimulo adiuta, propinanda erunt, omnia vero constitutioni aegri et acrimoniae peccanti aecommodanda sunt.

§. 816.

In acrimonia biliosa et rancida, quae sapore amaro, ructibus nidorosis et frequenti cardialgia cognoscitur, salia media non prorsus aliena sunt; si tamen stimulus materiam mouet et vomitum excitat, is quidem aqua calida cum melle vel oxymelle copiose hausta promoueat; valida stimulantia nocent. Si dicta acrimonia minus tenaciter inhaerescit, tamarindis, cremore tartari et similibus acidis cum sufficiente vehiculo exhibitis, abstergatur et subducatur.

etur. In acrimonia acida, quae in corporibus vitae sedentariae deditis et victu vegetabili utentibus, generatur, diaetae mutatio optimum auxilium praestat; dari tamen possunt salia plantarum Tacheniana, vel oleum tartari per deliquum, cum multo vehiculo, vel aquae medicatae alcalescentes. Absorbentia terrea et limatura martis, quae acida quoque corrident, si paullo diutius adhibentur, ut plurimum ventriculum grauant.

§. 817.

Pituita viscosa copiosa resoluentia exigit. Si ventriculus nondum debilitatus est, salia media, tartarus vitriolatus vel tartarisatus et funilia F. 58. conueniunt. Cum vero continuato horum usu ventriculus magis debilitetur, extracta potius amara cum gummi ammoniaco et sapone F. 23. 24. additis diluentibus conuenientibus ex decocto radicis chunae et similibus, exhibeantur. Multum hic praestant thermæ carolinae, et in horum defectu acidulae egranae, quibus et pituita viscosa resoluitur ac euacuatur, et robur ventriculi conseruatur; his deum carminativa et stomachica F. 12. 22, 30. 100. iungenda sunt.

§. 818.

Grauius malum est debilitas ventriculi, quae a praecedentibus caussis orta similia exigit remedia: quod si vero caussae quaedam particulares accesserunt, v. c. salium abusus, calidæ nimius potus, veracitas, repletio nimia ventriculi, vomitoria in imbecillis exhibita, quibus omnibus solidæ ventriculi fibrae nimis debilitantur, tunc curatio non solum difficillima est, sed grauiora quoque accedunt symptoma-

ptomata, v. c. inflatio ventriculi post pastum et vomitus: Si vero cibi non reiiciuntur, retenti et calore agitati per propriam eorundem indolem corrumpuntur, minime autem digeruntur; (§. 374.) ex quibus omnibus in continuatis actionibus defectus nutritio-
nis et variae cacochymiae species oriuntur.

§. 819.

In principio mali salia, acrimoniae cognitae op-
posita et media solubilia, extractis annulis pro-
portionata dosi iuncta, F. 18. 19. praemittenda, et
cum parciori quoque dosi salium rhabarbarina F. 131.
184. miscenda sunt. His interponi possunt lenia
carminatiua, flauedo corticum aurantiorum, cortex
chinae et herbae amarae F. 22. nec non tincturae
martiales, solutio martis in vino rhenano F. 27. pul-
uis stomachicus BIRCKMANNI et similia F. 142.
143. 168. 169. Externe quoque scuta stomachica
ex theriaca, vel ex emplastris, oxycroceo, de taca-
mahaca, cct. cum oleo destillato absinthii, menthae,
ruteae et similibus F. 185. vel balsama stomachica ex-
terne inungenda F. 186. conueniunt.

§. 820.

Attendenda demum est rigiditas et siccitas ven-
triculi in senibus, vel in iis, qui spiritu vini vel ef-
fentis stomachicis et carminatiuis abusi fuerunt; quo
in casu certe serum lactis dulce et nutrit et emollit.
His quoque conueniunt aqua mellis, largior sacchari
usus, iucula tenuia et alia, quae rigiditatem nimiam
tollunt, fibras quodam modo emolliunt, et ventri-
culum ad cibos bonae notae et parcios assumtos, ali-
quo modo digerendos disponunt.

§. 821.

§. 821.

Ad diaetam tandem quod attinet, illa omnino, victus praecipue ratione exquisita, seruetur, et ad individualem aegri statum accommodetur. Non omnibus conueniunt iurulenta et blanda nutrientia, sed quibusdam duriora accurate masticata, immo ipsa caro fumo indurata, praefstat. Et pisces muria conditi interdum appetitum acuunt. Potus quidem aquosus sit, ex aqua frigidiuscula vel ptisana cum radice chiae cocta. Cum his interdum haustrus vini generosi hungarici, rhenani, vel adstringentis, pontac dicti, exhibeat; vel cereuisiae bene fermentatae et lupulatae, qualis est nostra martisburgensis, concedantur. Haec vero et similia, quae circa diaetam obseruanda sunt, pro ratione subjectorum et vitae generis, attente disquirantur et ordinantur.

CAPVT IV.

ARDOR VENTRICULI ET FAMES MORBOSA.

§. 822.

Dolor in cardia ventriculi oriundus cardialgia dicitur; haec ab acrimonia neruos irritante inducitur, et ad oesophagum ascendentem faucibusque molestum sensum non raro efficit, quoniam vero caussa in ventriculo haeret, ardor ventriculi seu soda appellatur. Morbum hunc ut plurimum ab acida acrimonia ventriculo inhaerente deducunt medici; sed et aliae acrimoniae, rancida in primis, similes dolores saporemque ingratum excitant. Si acida acrimonia peccat, vel actu acida vel leviter acescen-

tia, ut sunt laetitia et dulcia assumta, malum intendunt; si rancida peccat, oleosa vegetabilia et pingua animalia aegrius feruntur.

§. 823.

Acidum mutant terrea absorbentia, creta, laca lunae, lapides cancrorum praeparati, vel melius puluerisati, oleum tartari per deliquum; terrea tamen, nimia copia ingesta, ventriculum grauant. In biliosa et rancida acrimonie succus citri et alia acida cum potu diluente exhibita solatium afferunt. In utroque forte casu terrae subtile et pingues conueniunt, F. 187. 188. Quae tamen cuncta cum acrimoniam tantum immutent et inuoluant, laxantibus conuenientibus mouenda et subducenda sunt: in malo inueterato thermae carolinae multum praestant, diaeta tamen, acrimoniae peccanti opposita, attente praescribenda est.

§. 824.

Acidi et corrupti in ventriculo humores, in primis liquor gastricus acrior factus, interdum quoque vermes, famem insuperabilem fere inducunt. Qui bulimo laborant, et vehementer appetunt et celerime digerunt et excernunt assumta, indeque caco-chymici fiunt; qui fame canina afficiuntur, alimenta aude deglutint, eadem tamen vomitu iterum reiciunt, et ideo nutrimento destituti tabidi fiunt. In utroque casu acrimonia immutanda ac euacuanda, et ventriculus aptis remediis roborandus est. Bulimus a longa inedia inductus, qui ideo saepius cum febre est, blanda nutrientia, lente ingesta, cum motu vel frictione corporis exigit.

§. 825.

§. 825.

Qui minus consueta appetunt, pica laborare dicuntur, et hoc symptoma potissimum in grauidis et passione hysterica laborantibus obseruatur. Oritur vero vel ab acrimonia in corpore nata et ad ventriculum delata, vel a nervis male affectis, nec non ab imaginatione deprauata. Grauidis aliquid concedendum esse obseruationes testantur. Curatio ex caussis cognitis instituenda est.

CAPVT V.

NAVSEA ET VOMITVS.

§. 826.

Omne id, quod membranaceam et nerueam ventriculi substantiam irritat, motus quasi conuulsuos in eo excitat, inde ad oesophagum deducendos; qui si leuiores sunt, nauseam et conatus vomendi; si grauiores existunt, vomitum ipsum producunt. Hic quidem primario in ventriculo ipso per constrictionem eius antiperistalticam absoluitur, sed diaphragmatis, immo pectoris et abdominalium muscularum actio in violentiori vomitu perficiendo simul cooperantur. (§. 381.)

§. 827.

Vomitus est vel idiopathicus, vel sympathicus: illius caussae vel in contentis ventriculi, vel in ipsis membranis constituentibus haerent; hic ab irritabilitate nervorum et a confensi partium longe distarum oritur, ut in cerebri et renum laesioribus cognoscimus. Spontaneus etiam, criticus et symptomaticus distinguuntur; prior a plenitudine potissimum

mum inducitur, alter materiam morbosam coctam et quodam modo mutatam, ad ventriculum deriuatam, cum leuamine euacuat, tertius acre laedens sine leuamine reiicit. Vomitus quoque pro differentia materiae eiectae pituitofus, biliosus, cruentus dicitur, de quo ultimo iam in capite de haemorrhagiis egimus §. 394. Interdum quoque varia ex canali intestinali regredientia, v. c. scybala et vermes, per vomitum reiiciuntur.

§. 828.

Adeo sensibilis est ventriculus, ut imaginaria rei nauseabundae auersatio, et aliae leuiores caussae, v. c. euacuatio sanguinis per venae sectionem, praecipue in imbecillis, ipsum male afficiant; in his, praeferunt si vertiginosi sint, obiecta externa vel vehementer mota, vel in gyrum acta §. 612. et aliae affectiones ingratae, nauseam et vomitum inducunt. Vomitus autem multo magis a ventriculi inflammatione, vulnere, ulcere et scirrho excitatus; porro si materia cruda, acris, pituitosa, biliosa et rancida a medicamentis, alimentis, vel alia quaevis acrimonia ibidein haeret: vomitus tandem a consensu post omnem grauiorem irritationem et spasmum in capitis laesionibus, in abdominalium viscerum morbis, v. c. in calculo et passione hysterica producitur.

§. 829.

Vomitus quidem non semper perniciosus est, sed, si malignam materiam expellit, vires naturae cooperantes indicat, quod in spontaneo et potissimum in critico valet. Incongrua tamen et noxia etiam haec est excretio, si crebrius excitatur et habitualis fit; pessima enim symptomata inducit, v. c. digestio-

digestionem laesam, defectum nutritionis, conuulsiones, cet. symptomaticus ut plurimum grauitatem morbi, unde oritur, indicat. In infantibus saepe vomitus a viscida saburra, in primis dentitionis tempore, vel a tussi vehementi, excitatur, qui, licet interdum salutaris videatur, in progressu tamen visceris imbecilla reddit.

§. 830.

Vomitus a materia morbosa in ventriculo haerente oriundus, vomitu curandus est: aqua tepida, oxymel simplex et squilliticum, hunc promouent et abstinentia et leniora carminativa robur reddunt. Hoc in casu fortiora stimulantia noxia sunt, nisi materia viscida non satis mobilis talia exigat. Necesse tamen erit, ut medicus in curatione ad cauſas et materiae haerentis indolem simul respiciat. Alia hic attendenda in tractatione de vomitu cruento et digestione laesa passim monuimus.

§. 831.

Symptomaticus vomitus id exigit, ut labes visceris, a qua originem duxit, corrigatur; hinc in vulnera capitis grauiori, in calculo renum et similibus morbis, ea remedia primum elegantur, quae hisce incommodis medentur; quod si vero cauſae vel non in instanti, vel proſrus non remoueri queant, medicamenta sopientia, morbo et symptomatibus accommodata, ut cura palliativa efficiatur, tententur. Interdum quidem antispasmodica, in primis castoreata, ſufficiunt, ſaepius tamen opiata hiungenda ſunt, in quorum tamen uſu eo respiciendum eſt, ut vigor morbo principi abigendo conueniens minime ſupprimatur.

Bb 3

§. 832.



§. 832.

Similis ferme affectus est singultus, in quo conuulsui motus a ventriculo et oesophago diaphragmati communicantur, illudque conuulsuis motibus obnoxium reddunt. §. 446. Caussae omnino inuestigandae sunt, quae, si in repletione ventriculi inueniuntur, vomitu haud raro abiguntur; siccitas cardiae et oesophagi aquam, et quidem frigidiusculam, exigit; si vero malignis morbis, in primis inflammatoriis accedit, mali praefagii est, et haud raro intersigna letalia referri meretur.

CAPVT VI. INFARCTVS HEPATIS ET LIENIS.

§. 833.

A lentore humorum viscido, vel sanguine spissso atrabilario, in variis visceribus et glandulis, præcipue in hepate et liene, infarctus, obstructiones et scirrhi, oriuntur; systema enim venae portae et lentio rem sanguinis regressum admittit, et ipsa haec viscera ob fabricam suam internam magis ad eundem proclivia sunt, quam alia. De solo autem infarctu, tanquam primo obstructionis gradu, tantum nobis agendum erit, si curationem veram intendimus; auctior enim obstructio, et summis eius gradus siue scirrhus, curatione palliativa tantum mitiores redundunt, eorumque incommoda quodam modo leniuntur.

§. 834.

Ad tria vero potissimum in his morbis diudicandis respiciendum est: vel enim viscidum et glutinosum

sum in minimis vasis lente congeritur et stagnat; vel impetus vehementiores sanguinis siue inflammatorii et lympham cogunt et ad vasa minima propellunt; vel tandem euacuationes nimiae sanguineae et serofae inanitionem et collapsum vasorum et visceris duritiem inducunt. Licet enim, si ad partem obstruendam respexeris, in omnibus difficulter et lentior humorum motus obseruetur; caussarum tamen differentia alia curationis auxilia exigit.

§. 835.

Caussae remotae obstructionis horum viscerum omnino variae sunt. A victu glutinoso et lentescente, potu parciore, vel non rite fermentato, vita sedentaria, meditatione profunda et tristi animi affectu, lentior sanguinis in systemate venae portae regressus, et inde obstructio in hepate et liene prae reliquis oritur, de quo caussarum progressu in malo hypochondriaco fusi us egimus. Augetur malum a spasmis, inde in infimo ventre excitatis. Simili quoque modo sanguis spissus atrabilarius, vel alio miasmate infectus, febrili impetu motus, aut ob defectum virium vitae, aut ob febrem praepostere suppressam, aut ab abusu remediorum volatilium, congeritur et haeret; bilis etiam in hepate mota subito in regressu supprimi potest. Tandem quoque per haemorrhoides nimias, fluxum hepaticum et vomitum cruentum, magna moles sanguinis cum insigni virium defectu euacuatur, ut circulatio humorum per minima in primis vasa continuari nequeat.

§. 836.

Signa, ex quibus talis infarctus cognoscitur, ex caussis quidem priuario petuntur, sed praeter ea tu-

mor hypochondriorum et dolor obtusus fixus, a dolore colico, spastico et vago discernendus, respiratio difficultis, et tensio ad pectus per consensum nerorum et diaphragmatis deducta, cum tussi hypochondriaca, simul attendi merentur. Haec diu durant et pedetentim augmentur; inter ea facies liuida, totiusque corporis habitus cachecticus, et symptomata alia ex praecedentibus oriunda, accedunt. Si hepatis obstructum est, a dextro latere tantum decumbere possunt aegroti, tumorem hypochondriorum in hoc latere conspicuum et varia ictericorum symptomata experientur; si vero lien afficitur, sinistro lateri facilius incumbunt; vix non semper vero, dum hunc situm corporis mutant, in opposito latere ponderis alicuius sensum percipiunt.

§. 837.

Si in principio morbi apta medicamenta cum accurata diaeta coniunguntur, infarctus discutitur, vel levior obstructio resoluitur, quam morbi solutionem interdum haemorrhoidum et mensium fluxus multum iuuat; et febris intermittens, in primis quarta na, licet morbi sint, saepius obstructionem viscerum soluunt; immo in infarctu lienis vomitus cruentus saepe salutaris inuentus fuit. Si infarctus a cauſa frigida et pituita lentescente oritur, oedema et hydrops morbum hunc saepius excipiunt; si vero a cauſa atrabilaria prouenit, malum hypochondriacum et morbi melancholici et maniaci inde oriundi, cum corruptione viscerum, hydatidibus, scirrhis, carcinomatibus accedunt, et febris lenta cachectica sequitur. Idem accedit a marcore hepatis et lienis post effusum sanguinem inducto. Si diarrhoea oborta foetidissima et cum ichore remixta scybala reicit,

cit, et ipse fluxus hepaticus cum languore accedit, funestum signum est.

§. 838.

Si morbi huius aliqua suspicio est, primae viae abstergendae sunt. Vomitoria et purgantia draistica, si etiam ob copiam faburrae, in primis viis haerentis, necessaria videntur, ob acrimoniam et immobilitatem humorum, nec non ob spasimum, quem inducunt, omnino nocent; lente igitur et repetitis vicibus purgantia leniora, acrimoniae cognitae opposita, exhibenda, et digestiva et resoluentia interponenda sunt, quo materia lente moueat et expellatur. An vomitorium lene interdum materiam obstructam moueat? quaeritur; in infarctu pituitosominus nocet, quam in inflammatorio*; in utroque tamen casu individualis indicatio attendenda est. Si plethora in principio urget, venae sectio in pede non intermittenda est, haec vero in lenta et viscidā obstructione maxime nocuia esse solet, quoniam motus necessarios resolutorios suppressit.

* Hic quidem sermo non est de inflammationibus magnis uniuersalibus, sed de leuioribus, in minoribus viscerum partibus circa loca obstructa oriundis.

§. 839.

Inter resoluentia in viscidā et lentescente caussa gummi saponacea saepius commendata cum extractis amaris conueniunt, additis tunc demum, quando materia mobilior videtur, nodulis laxantibus et similibus medicamentis. In caussa calida, et si quae-dam febricula urget, liquor terrae foliatae tartari, serum lactis cum resoluentibus aliis medicamentis par-

cius interpositis, aptius propinatur. In utroque, magis tamen in priore casu, mercurius dulcis et sulphur antimonii auratum maximi usus esse videntur; sed haec caute et continuato usu adhibenda sunt, ita, ut unum alterumque granum utriusque medicamenti ante laudatis adiiciatur et tentetur.

§. 840.

Haec vero cuncta non nisi cum sufficiente fluidi copia ex ptisanis, vario modo praeparatis, danda sunt; quae interdum esse debent mitiores demulcentes, interdum vero addita radice pimpinellae albae vel carlinae acriores reddantur; succi plantarum laetescientium amararum et resoluentium (§. 1480.) cum sero lactis vel tenui iuscule optime conueniunt, in primis si illis cochlearia et reliquae plantae nasturtinae (§. 1481.) adduntur; haec tamen ie uno et purgato ventriculo lente, sed copiose assumenda sunt.

§. 841.

His per aliquod temporis interuallum exhibitis, si effectus resolutorii apparent, excretiones a natura factae adiuuandae, tumque folia et summitates milfolii, martialia medicamenta et cortex peruvianus pro scopo roborandi iungenda sunt. Nec intermitti debent emplastra externa, quae alutae superinducuntur, et regioni hepatis et lienis applicantur: licet enim viae, per quas haec medicamenta operantur, accurate definiri nequeant, dandum tamen aliquid est experientiae. Formantur vero illa ex emplastro saponato BARBETTE, de cicuta et cumino, et adduntur varia gummata resoluentia F. 189; alii linimenta F. 190. cum leni frictione applicanda suadent.

§. 842.

§. 842.

Diaetae quoque regulae accuratius obseruandae sunt: in victu omnia cruda, digestioni resistentia et acriora, in potu acida et flatulenta cuitentur. Potus praeter ea sit aquosus vel tenuis fermentatus, diluendis humoribus potissimum aptus, interdum haustus vini generosi concedatur. Motus corporis non intermittatur, et equitatio moderata tamen suadeatur. Abitineat aeger ab omnibus iis, quae sanguinem nimium commouent et neruorum vires intendunt, grati tamen animi affectus, quibus circulus humorum liberior redditur, interdum excitentur.

§. 843.

Si scirrus iam formatus fuit, et durities tactu persentiscitur, tunc ea remedia, quae haec tenus commendauimus, cautissime quidem adhiberi debent, prorsus tamen negligenda non sunt; licet enim in hoc morbi gradu exigua curationis spes relinquatur, symptomata tamen non nulla et spasmi praecipue so- piuntur. Inunctiones mercuriales, immo usus internus mercurii cum salivationis effectu maximam cautelam exigunt; dubius enim saepe est euentus, vel enim, si humores corrupti et stagnantes agitantur, letalis putredo et carcinomatrica ulcera efficiuntur, vel ruptura vasorum lymphaticorum aegros in ascitem praecipitat.



CAPVT VII.

ICTERVS.

§. 844.

Bilis effusio in sanguinem et alios humores corporis icterus dicitur, hinc externus corporis habitus, et potissimum ea loca, quae tenuissima epidermide inuestiuntur, v. c. album oculorum, flauo colore tinguntur. Is tamen mitior gradus est, quod si enim grauius malum reddatur, color in subuiridem et nigrum tandem mutatur. Sapor amaricans saliuam inquinatam esse ostendit, urina flaua, interdum nigricans, lintea croceo colore tingit, faeces vero aluinæ minus tinctæ, tenaces et quasi argillaceæ apparent, summa inde alui segnities, saepius obstructio oritur.

§. 845.

Haec sunt primaria ictericorum phænomena, sed alia adhuc in canali primarum viarum se exferunt: appetitus prostratus, saepius nausea, ruëtus et vomitus, sitis ingens, in primis si cum febre est, cardialgia, hypochondriorum dolor et tumor, flatus et spasmi colici; adest praeter ea torpor totius corporis, et non raro difficultas spirandi, in habitu cutaneo praeter colorem pruriitus insignis obseruatur, et sudor interdum lintea flauo colore tingit.

§. 846.

Cauffa proxima est effusio particularum biliosarum in sanguinem, per quem ad varios corporis humores inde secretos dëducitur. Hoc vero accidit, si vel particulae biliosae, in sanguine genitae, copia peccant,

peccant, ita, ut a poris biliaris non omnes suscipi queant; vel si bilis ipsa per vias biliaris in vesicam felleam et intestinum duodenum deduci nequit, quo facta ductus biliaris turgentes nihil ex sanguine venae portae recipiunt. Praedilponens caussa in priori causa est temperies biliosa; in altero varia vitia abdominis, in primis circa hepar obseruata.

§. 847.

Regrediendo igitur ad causas occasioales, vehementem animi affectum, in primis iram, attendimus; nocet ea potissimum iejuno ventriculo, vel post largiorem cibum adsumptum vinique potum. Porro inflammationem, obstructionem et scirrhum hepatis, et similia in ductibus biliaris et vesicula fellea obseruata, vel spasmodum in his a varia acrimonia, v. c. vomitorio vel purgante drastico, oriundum, nec non bilem viscidam et calculos hic natos icterum producere cognoscimus. Tandem contusio vehementis externa, hypochondrio dextro illata, compressio viscerum abdominalium v. c. in grauiditate, vel duodenum flatibus et viscida pituita obfussum indeque distentum, quae caussa saepius in infantibus occurrit, in quibus etiam recens natis meconium retentum attendi meretur, hic in censum veniunt. Ex venenis variis, v. c. a morsu viperarum, icterus saepius quoque oritur.

§. 848.

Ex signis nunc adductis icterus facile cognoscitur; prognosis vero diuersa est. Icteri grauitas ex caussae grauitate et duratione cognoscitur; niger flauo peior est, corruptos enim humores indicat; ex hepatitis et scirrho hepatis pessimus icterus; ex spasmone,

spasmo, in viis biliaris per vermes intestinorum et alias caussas excitato, icterus oritur, qui saepius facile cedit, vel facile iterum, exhibita noua causa, reuertitur. Si cum ictero tumor insignis hypochondrii dextri est, et hydrops accedit, nulla sanitatis spes affulget; sic etiam icterus hydropi superueniens dijudicari meretur. Si febris accedit, et vires sufficiunt validaque viscera deprehenduntur, illa icterum soluit, in primis si simul coctionis signa in urina appareant; si vero cum febre, praesertim quartana, symptomata grauiora occurront, et urina cruda vel furfuracea est, malum signum iudicatur.

§. 849.

Cum in icteri curatione potissimum ad causas respiciendum sit, ea, quae de hepatitide §. 337. seqq. monuimus, attendenda sunt, in primis tamen in omni curatione eo enitendum, ut primae viae, praecipue duodenum, liberae seruentur. Vomitoria, quae materiam nimis impetuose mouent, omnino vitanda sunt, in viscida tamen pituita et bile simili modo lentescente interdum negligi haud possunt, praesertim si integritatem viscerum obseruemus; hoc in casu scrupulus unus pulueris ipecacuanhae sufficit, si oxymel simplex vel squilliticum cum multa aqua superbibantur.

§. 850.

In debilioribus, in quibus praecipue suspicio obstructionis viscerum vel bilis corruptae adeat, vel ubi febris urget, lenia laxantia acido-dulcia cum stimulo exiguo salis F. 191. ingerantur, quae continuato usu, donec alius soluatur, leuamen afferunt. Si spasmi obseruantur, salia media, v. c. sal therma-

rum

rum carolinarum, tartarus tartarisatus et similia ad unciam semis et ultra dari possunt; si venenata vel alia aerimonia haeret, oleum amygdalarum dulcium et emulsiones papauerinae F. 60. 105. conueniunt; si viscidum resoluendum est, gummi saponacea, extracta amara et sapo venetus, vel largior liquoris terrae foliatae tartari usus, suadeantur, quibus tamen decoctum ex radice graminis, cichorei, parcirae prauae, bardanae, foeniculi, cum syrupo quinque radicum aperientium vel oxymelle squillitico, superbibendum est. F. 102. 104. 109.

§. 851.

Medicamenta porrorhabbarbarina, quae et aliuum blande subducunt et bilem corrigunt, in nostro morbo negligenda non sunt; haec vel in puluere cum salibus, v. c. cremore tartari, nitro et similibus, vel in solutione cum liquore terrae foliatae tartari, vel alia ratione exhibita profundunt F. 50. 51. 72. 131. quod si vero haec non penetrant, clysinata F. 63. adhibeantur. Si ob absentiam bilis stimulus non sufficiat, salis cathartici anglici vel salis mirabilis GLAUBERI uncia una vel altera non raro requiriatur, quo faeces tenaces et argillaceae moueantur.

§. 852.

Si calculus viarum biliarum urget, qui ex spasinis et acutis doloribus in hypochondrio dextro, et in concava potissimum hepatis parte, excitatis, ex vomitu frequenti et excrementis argillaceis cognoscitur, tunc et interne et externe blanda emollientia et relaxantia exhibenda sunt: serum igitur latis, emulsiones et decocta emollientia ex lacte conueniunt, primae tamen viae liberae sint, ne in ulteriori

riori progressu his medicamentis obex opponatur. Externe applicetur cataplasma emolliens F. 87. 89. vel species emollientes F. 126. ex lacte coquantur, et in vesicam bubulam receptae applicentur.

§. 853.

Si flatulenta vel spasmodica colica icteri catissa est, apta laxantia et clysmata praemittantur, quibus tandem carminativa vel etiam roborantia iungantur; haec in omni ictero, in primis per emollientium et oleosorum usum curato, conuenitint. Tincturae martis, nec non cortex peruvianus vel per se, vel cum aliis amaris et carminatiis exhibitus F. 27. 30. optimo cum euentu dari possunt. Specifica enim sic dicta, ut radix curcumae et similia, vix sola sufficiunt. In spasmis violentioribus nec opiate prorsus aliena sunt, caue tamen, ne spasmos, ab acris materia inhaerente excitatos, opiatis cohibeas.

§. 854.

In victu etiam eo respiciendum est, ut durus, digestioni resistens et glutinosus prorsus evitetur, iuscula tenuia cum herbis et radicibus chaerophylli, petroselini, apii dulcis et similibus crebrius exhibantur. Potus sit vel aquosus, vel tenuis fermentatus, non flatulentus, quibus pro scopo roborandi vinum, pontac dictum, vel simile tandem addendum est. Motus corporis, in primis ille, qui abdomen commouet, vel huius frictio, intermittenda non sunt.



CAPVT VIII.

FLVXVS HEPATICVS.

§. 855.

Materia acris et saepius sanguinolenta, ex hepatis vasibus per canalem intestinorum descendens, et cum tenesino euacuata, fluxus hepatici nomine venit; in latiore vero sensu omnis materia morbosa, ex pancreate et aliis visceribus abdominalibus laefis ad intestinorum continuatorum tubum ducta, eodem nomine insignitur. Magna huius morbi varietas est, et ratione febris, quae morbo accedit, et ratione materiae excretae; haec enim vel sanguineos, serofos, biliosos et remora corruptos humores tantum, vel his excretis, sanguinem interdum sincerum, vel ex scirrhosis visceribus, plus minus in carcinoma inclinantibus, mucum et faniem euacuatam sifit.

§. 856.

Alius liquida cum tenesino et crebro desidendi conatu primum accedit, faecibus ipsis vel sanguis grumosus, quasi corruptus, nigricans, vel materia acris, loturae carnium similis, vel bilis corrupta admiscetur, et cum omnibus his foetor insignis obseruatur. Accedit inter ea macies corporis et virium defectus, pallida vel liuida facies, appetitus prostratus, et haud raro fastidium carnium. Interdum deiectiones per aliquod temporis interuallum cessant, sed post leuiores etiam diaetae errores, anxietas praecordiorum, tensiones hypochondriorum et tormenta iterum reuertuntur.

§. 857.

Causam proximam acres et corrupti humores, ad canalem intestinorum deducti, constituunt; hi interdum quidem ex scirro vel alia labe intestinorum ipsorum pendent, saepius vero ex infarctu vel plenario scirro hepatis vel alias visceris huc deriuantur. In causis itaque praedisponentibus ea perpendenda sunt, quae stasi humorum et viscerum obstruptioni ansam dare solent. Occasionem morbo latenti excitando praebent omnia, quae abdominis viscera commouent, diarrhoea, medicamenta fortiora euacuantia, concussio violenta abdominalis et similia. In calidioribus regionibus, ubi hic morbus frequentior est, calor insignis et perspiratio suppressa humorē acres redditos in viscera abdominalia conuertit, et ut dysenteriam, sic saepius et hunc morbum chronicum efficiunt.

§. 858.

Diffrerit morbus a dysenteria, in qua termina insignia et sanguis sincerus obseruatur, quae in nostro morbo vix coniuncta occurunt; ab haemorrhoidibus, in quibus sanguis post deiectiones aliquas et tū plurimum cum leuamine effluit. Notandum interim est, morbum nostrum cum his saepius conuenire, et non nisi in progressu, cognita nimis vim visceris labe, distingui posse.

§. 859.

Prognosis vix unquam bona est: valida quidem corpora insignes has materiae stagnantis et corruptae ejectiones interdum cum leuamine praeflant, sed semper metus est, ne laesio visceris suo tempore molesta remaneat. Quod si vero infarctus et ob-

structio

structio viscerum suis signis cognita adfit, vel, ut in hypochondriacis consummatis fieri solet, iam scirrhus subest, ex quo carcinomatica ulcera fiunt, res conclamata est, et aegri vel hydropici fiunt, vel tabidi marcescunt et moriuntur.

§. 860.

Fluxus hepaticus, qui leuior est et superari potest, copiosis medicamentis non commouendus est, sed, postquam primae viae lenioribus medicamentis, praecipue rhabarbarinis, purgatae fuerunt, vires vitae exquisita diaeta sustinendae sunt. Victus fit tenuis, non iurulentus, iuscula tenuia cum cerealibus et oleribus mollibus cocta prae reliquis conueniunt. Potus fit ptisana ex radice graminis, scorzonerae et similibus parata, tenuis vero fermentatus, non ascens, interponatur. Exercitatio corporis, quantum virium debilitas permittit, non intermittenda est, quo excretio materiae peccantis auxiliis his adiuuetur.

§. 861.

Purgantia validiora omnino nocent; conueniunt rhabarbarina, vel cum terreis iuncta, vel solutiones aquosae cum liquore terrae foliatae tartari; nec gummi saponacea et similia resoluentia intermittentur, quae tamen, ut euacuantia, caute adhibenda sunt, victu potius nunc commendato aluus libera seruanda, ea etiam, si necessarium videtur, clysmate leniori prouocanda erit. Roborantia et mitiora in morbi quidem principio nocent, ea tamen post materiam morbosam euacuatam et morbum quodam modo mitiorem redditum omnino conueniunt. Cortex peruvianus forte optimum est medicamentum. In

eodem morbo, quem egomet ipse olim expertus sum, puluere fungi melitensis BOCCONE siue cynomorii, quo nostrae officinae carent, cum tenui iuscule, non sine fructu usus sum. Infusum millefolii et florum pimpinellae sanguisorbae et martialia quoque medicamenta non prorsus negligenda sunt. Si febris accedens urget, illa ut lenta considerari meretur.

CAPVT IX. C H O L E R A.

§. 862.

Excretio vehemens et simultanea contentorum ventriculi et intestinorum per os et anum cholera dicitur. (§. 1142.) Varium huius morbi gradum esse, ex differentia materiae motae cognoscimus; interdum enim alimenta et potulenta copiosius ingurgitata et sumine mobilia, interdum haec ipsa corrupta, vel bilis acris, vel materia putrida in corpore nata, valido impetu ad os et intestina propelluntur. In nostris terris vel ipse morbus, vel certe vehementior eius gradus, rarius occurrit, in regionibus calidioribus frequentior omnino est.

§. 863.

Ita vero se exserit morbus noster, ut post praegressam summam anxietatem et constrictioneim praecordiorum, immo ipsius abdominis, vomitus et deiectiones aluinæ cum torminibus et ventris inflatione accedant, et continuo augeantur. Si etiam malum porro increscit, post cruda reiecta bilis et saepius nigra corrupta materia effertur. Sub his motibus, qui subito et intra paucas horas saepius ingranescunt,

grauescunt, aeger maxime debilitatur, syncope corripitur et sudore frigido perfunditur. In fortioribus et morbo resistentibus aegris saepius febris accedit, quae haud raro in ardenter biliosam mutatur. Singultus quoque et conuulsio, si accedunt, pessima symptomata sunt.

§. 864.

Distinguunt cholera in siccam, quae ructus et flatus emittit, et humidam, quae varios illos morbosos humores §. 862. eiicit. Ea cholerae species, quae alimenta et potulenta, eaque saepius corrupta, expellit, spuria dicitur, vera autem tunc appellatur, si corrupta bilis et putrida materia, ex toto corpore ad intestina deducta, vel ibidem nata, vehementi impetu propellitur.

§. 865.

Caussa proxima est materia acris, intestina stimulans et in duodeno potissimum haerens; in hac enim intestinorum parte, et ob nexum et situm eius prorsus singularem, materia non rite digesta et acris obicem inuenit, morbum inchoat, tumultus inde sursum deorsumque continuat, constrictiones et quasi conuulsiuos motus ventriculi, intestinorum et abdominalium muscularum, concitat. Inter caussas itaque praedisponentes acris materia, in primis viis collecta, vel aliunde ex cacoehymica totius corporis dispositione, peruerso motu excitato, ad has partes delata, praecipue attendi meretur.

§. 866.

In occasionalibus vero caussis ad victum crudum, rancidum, in corruptionem proclivem, et potum

fermentatum, faculentum, nec non ad alia acria irritantia alimenta et medicamenta, respiciendum est, quae vomitus et diarrhoeae caussae esse possent. In censum hic quoque veniunt refrigerium, incalescenti corpori in calidis potissimum regionibus admissum, motus impetuosior bilis cysticae, v. c. in ira vehementer post crapulam, medicamenta purgantia drastica, intempestiue exhibita, et tandem venena.

§. 867.

Pessimus et saepius acutissimus morbus est, qui interdum intra viginti quatuor horas, vel certe intra paucos dies morte finitur, raro ad septimum durat; si alimenta tantum corrupta et mota in valido et iu niore corpore eiiciuntur, morbus saepe sanationem admittit, et sudor criticus et urina cum ardore redita bonum signum exhibent; si vero acris, biliofa, cæcochymica et corrupta materia mota cum impetu eiicitur, et partes membranaceas sensiles inflammat gangraenaque afficit, nulla spes salutis superest. In priore quoque casu illi, qui debilitata viscera habent, vel in quibus ea per morbum debilitantur, ad lienteriam, febres lentes et alias morbos disponuntur; metuenda quoque saepius est recidiua.

§. 868.

Difficilioris curationis ideo morbus noster iudicandus est, cum ab una parte materia acris euacuanda sit, ex altera tamen euacuationes ob defectum vi rum adeo noceant. In valido corpore, et si caussa in nimia cibi potusque quantitate posita sit, puluis ipecacuanhae ad scrupulum unum ab initio adhiberi potest, iniicienda tamen simul sunt clysmata, vel ex decoctis emollientibus cum oleo preso, vel cum terebin-

terebinthini addito vitello ouorum parata F. 63. Dari etiam potest oxymel squilliticum cum copioso vehiculo. Haec tamen in morbo ab ira commoto vix conueniant, sed potius oleosa et farinacea vel oxymel simplex eligenda sunt, quibus nimirum vomitus facilior redditur; hoc in casu quoque iniicienda sunt clysmata ex iuscule tenui addito nitro. Si vomitus post ea cessat, morbus rhabarbarinis curandus est, ut in diarrhoea dicturi sumus; validiora enim purgantia omnino nocent.

§. 869.

Si vero morbus his ipsis in primo impetu non supprimitur, diluentia continuanda sunt. Iuscula tenuia, decoctum auenae excorticatae, ptifana ex radice scorzonerae et similibus cum acetosae herba, aceto vel succo citri acidulata, et serum lactis diluunt, temperant et inflammationi resistunt. His diu infistendum est, donec materiam euacuatam sentiamus. Si vero motus non cessant, sed spasmi potissimum urgent, ad opiatā confugiendum est. Diascordium FRACASTORII F. 46. 107. vel theriaca coelestis F. 192. et, si etiam motus febriles accedant, optime adhibentur; si vero febris non urget, laudanum liquidum SYDENHAMI F. 122. conuenit. Si materia nondum euacuata esse videtur, rhabarbarum cum massa pilularum de cynoglossa F. 193. coniungatur. Nec intermittenda sunt scuta et balsama stomachica F. 185. 186. tandemque si morbus fere superatus est, carminatiua et roborantia saepius laudata suadentur.

§. 870.

Si sicca cholera incipit, quam spasmi et materiae mouendae vis ac resistentia indicant, tunc omnino

balnea aquae dulcis, quibus viae relaxantur, conueniunt, post ea laxantia mitiora exhibeantur; quibus carminatiua, in primis castoreata et scuta et balsama stomachica, tandemque opiata antea commendata, addi possunt. Diaeta post morbum hunc superatum sit exquisitissima, quo vires apto vietu reficiantur; minime vero iusculis et mollioribus cibis tantum nutritiatur aeger, ne ventriculus et intestina relaxentur, sed solidiores cibi, qui praevia masticatione ad digestionem disponuntur, non nunquam interponantur, quo vires ventriculi iterum exerceantur.

CAPVT X.

LIENTERIA ET COELIACA PASSIO.

§. 871.

Si alimenta indigesta et vix mutata per canalem alimentorum transeunt, morbus linteria sive laetitas intestinalium dicitur. (§. 1139.) Hoc malum organa digestio, quoad solidorum robur relaxata, quoad fluidorum digerentium indolem depravata, praesupponit. Si illa vero bona sunt, chylus tamen inde elaboratus una cum faecibus excernitur, tunc affectio coeliaca appellatur (§. 1140.) et laesas chyli vias indicat.

§. 872.

Rariores hi morbi sunt in adultis; in infantibus enim et senibus ut plurimum occurunt; in utroque etiam casu borborygmi et inflationes abdominis, saepe dolor ventriculi praecipue ab assumtis auctus, obseruantur, et morbus porro ex inspectione faecum cognoscitur. Faeces enim aluinae, non confitentes,

tes, nec figuratae, bile non satis tinctae et crebris reiectae, laevitatem ac debilitatem intestinorum indicant; si etiam his caussis non subito occurritur, morbus lientericus saepe pertinacior redditur. In infantibus etiam tenellis deiectiones aluinae cum lacte remixtae, (*die Milch-Stühle*), quae a victus ratione pendent, non raro ut morbosae attendendae sunt; si enim illi simul atrophia laborant, defectum nutritionis et affectionem coeliacam simul concurrere coniicimus.

§. 873.

Caussae hunc morbum efficientes variae et saepius contrariae sunt: In lienteria relaxatio fibrarum motricium canalis alimentorum et inertia humorum digerentium obseruatur, quae a calido et aquoso potu, nec non pinguibus alimentis, saepius inducuntur; in aliis tamen callositas quasi et rigiditas organorum digestionis obseruatur, v. c. in iis, qui aquam glacialem ingurgitant, vel spiritu vini abutuntur. Scirrus quoque glandularum ventriculi simile malum producit. Et duodenum nimis relaxatum et distentum celere interdum alimentorum non digestorum progressum efficit, in primis si validus dia phragmatis et muscularum abdominalium motus accedit. In coeliaca vero affectione vel ostiola vasorum lacteorum obstructa, vel pituita obsessa, vel glandulae mesenterii obstructae, deprehenduntur; hinc in infantibus rhachiticis ea saepius obseruatur.

§. 874.

Morbi nunc descripti lenti quidem sunt, sed tamen periculosi, cum laudabile ex cibis nutrimentum subducant. Si pituita viscida primas vias obfidet,

illa resoluta et euacuata, res melius cedit; si vero post apoplexiā, colicam spasmodicā vel dysenteriam remanent, pessimae et incurabiles affectiones inducuntur, quae interdum in hydropem, saepius in tabem, mutantur, non raro quoque in diarrhoeam degenerant. In infantibus ut plurimum circa tempus dentitionis accedunt, et conuulsiorum prodromi sunt; crebriores deiectiones et febricula pessima signa existunt.

§. 875.

In curatione praefanda, si pituita adest, copiosa digestiua et euacuantia requiruntur, sed his caudendum est, ita, ut rhabarbarina fere sola concedenda sint; therinarum tamen et acidularum usus interdum salutaris inuentus fuit. Si vero pituita non adest, vel iam euacuata fuit, solis roborantibus insistendum est, quo in casu trageae stomachiae F. 194. et condita aromatica non ultimi usus sunt, in primis si externe medicamenta alibi laudata, nec non roborantia martialia et cortex peruvianus F. 101. addantur. Resolutio obstructionis, in glandulis mesaraicis natae, gummi saponaceis, immo mercurialibus medicamentis tentetur. In omni casu diaeta sit curiosior, panis bis coctus cum seminibus carminatiuis foeniculi, anisi, cet. et caro assata bene masticata, fructusque horaei acido-dulces et austeri sculi exsecati et cocti, aptum nutrimentum praebent. Iuscumorum parcius sit usus, nisi forte in rigiditate ventriculi et intestinorum haec et serum lactis dulce commendare velis.



CAPVT XI.

D I A R R H O E A.

§. 876.

Varios morbos, qui cum ventris fluxu sunt, hactenus considerauimus, in quibus tamen ad materiae reiectae indolem magis, quam ad eius copiam respeximus; in diarrhoea vero et dysenteria, de quibus nunc dicendum est, ad materiam excretam quidem, sed magis ad copiam huius et crebros desideri conatus attendimus. Deiectiones aluinæ frequentes, copiosae et liquidae, diarrhoeæ nomine veniunt: in hac non tantum faeces aluinæ, sed et copiosiores humores, in statu fano ad primas vias deriuati, vel tandem humores morbos per metastasis hic ducti, eliminantur.

§. 877.

Quo autem morbus noster adeo varius in strictiori suo significatu definiatur, illud ventris profluuium quod sine insignibus terminibus et tenesmo occurrit, nec materiam nimis acrem et putridam euacuat, ut plurimum diarrhoeæ nomine venire solet. Hinc ratione materiae excretae in ferosam et biliosam potissimum distinguunt eam medici, et porro spontaneam dicunt, quae faburram in primis viis contentam mouet et expellit; criticam vero, quae humores ex corpore ad intestina ductos cum leuamine euacuat; symptomaticam tandem, quae materiam non satis mobilem redditam cum corporis detrimento mouet et subducit.

§. 878.

§. 878.

Causa proxima diarrhoeae est stimulus acriis materiae, in intestinis contentae, vel eo delatae, qui, licet saepius exiguis sit, tamen vel ob copiam materiae, vel ob laxitatem intestinorum, deiectiones aluinas cebriores reddit, ex qua idea causas praedisponentes et occasioales facilius dijudicamus. Ingesta copiosa et per tempus retenta, saepius spontanea diarrhoea reiiciuntur, in primis si vel acria sint, vel stasi acriora facta fuerint; huc quoque spectat diarrhoea a vermis; imbecillitas totius corporis et speciatim intestinorum saepius causa diarrhoeae existit; hinc imbecillis frequentior est aluus liquida, ideoque in iisdem lactescencia, mellita et alia dulcia saepius diarrhoeam inducunt; perspirabilis materia suppressa, nec non alii humores per mercurialia, sapponacea, immo vires vitae ipsas resoluti, critico motu ad intestina deducti, cebrius hunc morbum efficiunt.

§. 879.

Diarrhoea itaque a dysenteria et aliis morbis iam recensitis forte solo gradu differt; prognosis autem diuersa est. Critica semper bona iudicatur, quoniam cum leuamine accedit, et multi sunt, qui vere et autumno deiectionibus aluinis subleuantur. De morbis, qui diarrhoea critica vel accessoria soluntur, passim diximus, v. c. in morbillis §. 173. in variolis §. 196. Symptomatica cum terminibus, et quae vires cito deiicit, non raro in dysenteriam et alios morbos serofos transit, soluitur tamen saepe sudore et urinae profluvio. Cum etiam ingens humorum et morbosorum et laudabilium euacuatio fiat, facile perspicimus, cur inueterata et colliquatiua diarrhoea

diarrhoea adeo mala sit; diuturna enim saepius in hydropem et leucophlegmatiam mutatur. Spontanea ex leuamine diiudicatur; saepe enim salubris est, si materia mobilis deprehenditur, si vero acres humores mouet, non raro pessima symptomata inducit.

§. 880.

Curatio pro caussarum differentia instituenda est. Si a copiosa et acri materia in intestinis contenta et mota oritur, laxantia rhabarbarina passim commenda, et cum salinis et terreis medicamentis iuncta exigit F. 36. 50. 114. quibus quidem carminativa et roborantia iungi vel interponi possunt. Si vero caussa magis in crassis, quam tenuibus, intestinis haeret, clysmata vel sola vel praecedentibus iuncta conueniunt.

§. 881.

Si acrimonia nimium urget et spasmos concitat, lubricantia et oleosa, v. c. oleum amygdalarum dulcium, et iuscula tenuia propinanda sunt; haec tam in rancida et biliosa acrimonia vix tuto dari possunt, quoniam facile similem acrimoniā contrahunt, adeoque magis laedunt. Hoc in casu potius farinacea vegetabilia, decocta panis, auenae excorticatae et similia, quae etiam acido citri, praesertim si febricula adsit, grata redduntur, exhiberi possunt. Ad spasmos compescendos et flatu simul pellendos carminativa medicamenta, in primis decoctum chamomillae vel seminum carui cum cereuisia praestat. Scuta et balsama stomachica F. 185. 186. egregii quoque usus sunt, in primis si frictio abdominis simul instituatur.

§. 882.

§. 882.

Licet vero haec euacuatio ut plurimum salutaris sit, affluxus tamen acrum humorum ad intestina, si nimius sit, studiose auertatur. In diarrhoea a suppressa perspiratione orta, blanda infusa diaphoretica et regimen aptum conueniunt; si vero in magna imbecillitate humores quasi ex toto corpore huc deruantur, vel spasini nimium urgent, ad roborantia et anodyna, in antecedentibus passim commendata, vel rhabarbarina anodynais iuncta F. 193. recurrendum est. Victus ratio et omnis diaeta viribus aegri accommodanda est.

CAPVT XII. DYSENTERIA.

§. 883.

Dyserteria multa cum diarrhoea communia habet; ventris tamen profluvium non libere, sed cum magna difficultate procedit: peiora nimirum symptomata et peior materiae excretae indoles differentiam constituunt. Deiectiones igitur aluinias frequentes, ichorofas, cruentas, ulcerofas, cum torminibus insignibus et tenesmo, dysenteriam appellare solemus; grauiora itaque incoenimoda et non raro inflammationis praesentia efficiunt, ut saepissime cum febre et non nunquam satis valida sit. Interim hac sola a diarrhoea non distinguitur, sed omnes notae simul colligendae sunt.

§. 884.

Sentiunt vero aegri in principio nauseam vel conatus vomendi, flatus, borborygmos et crebrioses desidendi

desidendi conatus, parum tamen eiicitur; illi interea summe inquieti, somno turbato, non reficiuntur. Excernuntur primum liquida serosa cum excrementis, cadauerosum saepe foetorem spirantibus, sequuntur paullo post deiectiones cruentae, biliosae et ichorosae, his saepius etiam carunculae succedunt. In aliis mucus albus, plus minus spissus et acris per anum eiicitur, quae mucosam et albam sic dictam sifit dysenteriam, insigni tenesmo molestam: cum dysenteria vix non semper sitis ingens et reliqua febrilia symptomata, in primis cibi fastidium, accidunt.

§. 885.

Dysenteria vero est vel spontanea et sporadica, quae per ingesta depravatae indolis saepius excitatur, et a diarrhoea propior abest, ideoque non numquam diarrhoea dysenterodes appellatur; vel contagiosa, quae epidemica et saepius cum febre est. Haec quidem non nunquam ex caussis universibus, in primis aeris mutationibus, pendet, et ideo etiam per commercium cum aegrotis acquiritur. Priorem benignam dicunt, alteram malignam, licet et prior insigniter exacerbari possit. Attendenda quoque est differentia loci, cum et tenuia et crassa intestina occupet; prior peior est et dolores circa umbilicum sifit, in posteriore casu dolores in zona coli et recto obseruantur; in hac deiectiones mox post termina sequuntur, in illa tardius accidunt.

§. 886.

In caussarum disquisitione ea, quae de diarrhoea §. 878. proposuimus, attendenda sunt. Præ reliquis tamen ad acrimoniam materiac morboæ, qua intestina

intestina irritantur, inflammantur, exulcerantur et quasi destruuntur, respiciendum est, quae vel in corpore mota hoc deducitur, ut cacockymia quaelibet corpori inhaerens, in intestina conuersa, vel bils acris, corrupta, vel materia ichorosa, ex scirrhofis vel cancerosis visceribus deriuata, vel acrimonia acida et rancida, cet. cum cibis et potu ingesta.

§. 887.

Quo haec melius cognoscantur, ad remotas semper causas recurrendum erit. Refrigeria nocturna in calidioribus regionibus post aestum diurnum hoc malum frequentius inducunt: hinc in nostro quoque climate post aestum insignem, corpora exsiccantem et humores acres reddentem, mense Augusto saepius epidemice grassatur dysenteria. Aer pacludosus et tempestatum vicissitudines hunc morbum saepius quoque castrensem reddunt. Abusus frumentorum horaeorum, in primis immaturorum et maxime refrigerantium, nec non cerealis et vina non rite fermentata morbi nostri causae occasioales existunt, tandem et venena, et, quae his similia sunt, draistica vomitoria et purgantia, in leuiori saepius diarrhoea exhibita, difficilem ventris fluxum inducunt. Contagium per latrinas aliasque vias saepius obseruatum fuit, sed aliqua ad morbum suscipiendum dispositio requiritur.

§. 888.

Licet omnis dysenteria periculo non careat, illa tamen, quae cum magna febre est, quoniam magnam inflammationem ostendit et magis contagiosa est, peior indicatur ea, quae vel sine febre est, vel illam exiguum coniunctam habet. Si stercore formata

cum

cum colluie dysenterica excernuntur, vel fatus se-
paratim emituntur, bonum signum exhibit. Dy-
senteria, quae ex corruptis humoribus in intestina
conuersis oritur, peior est ea, quae ab ingestis pro-
ducitur. Contagiosa infantes, senes, imbecillos et
alio morbo laborantes grauius afficit. Dolores subito
conquiescentes cum profluvio alui spontaneo, nigro,
foetido, prostratione virium, pulsu debili et aliis
pessimis symptomatibus, gangraenam letalem adesse
indicant. Dysenteria critica rarer esse solet, nec
semper bona, cum vires simul deiiciat.

§. 889.

In huius morbi curatione ad primarias duas indi-
cationes animus conuertendus est, scilicet, ut mate-
ria acris inuoluatur et euacuetur, et laesa relaxataque
vasa roborentur et blande constringantur; diaeta ta-
men et cauiss et acrimoniae accommodanda, et praec-
ter ea symptomatibus urgentibus palliativa curatione
occurrendum est.

§. 890.

Cum dejectiones ut plurimum cruentae sint, et
ob acrimoniam lacdentem haud raro inflammationis
metus terreat, in plethoricis, et quorum vires suffi-
cient, venae sectio omni euacuationi praemittenda
esse videtur. Si vero mox in principio virium pro-
stratio ex pulsu debili et reliquis functionibus cogno-
scitur, venae sectio instituenda non est.

§. 891.

Si acris et putrida faburra in primis viis haeret,
vomitorium ex ipecacuanha tanquam specificum
commendatur, quod non tantum materialem peccan-

tem ex ventriculo eiicit, sed etiam per aluum blande subducit, et intestinis debilitatis robur reddit; hoc eo magis necessarium esse videtur, cum saliuia fae-
pius contagiosa sit et vomitum et nauseam inducat. Si vomitorium non indicatur, rhabarbarum cum terris pinguibus F. 36. 50. 114. vel idem in aqua solutum, siue anima rhabarbari, maxime commen-
danda erunt; nitri etiam aliquot grana ad inflamma-
tionem auertendam addi poterunt. Conueniunt quoque, in primis si causa morbi in crassis haereat intestinis, clysteres emollientes cum oleo amygdalarum dulcium vel alio simili, cum vel sine stimulo ni-
tri; terebinthina quoque cum vitello ouorum soluta F. 63. crassa intestina blande abstergit.

§. 892.

Ad inuoluendam acrimoniam optime commen-
dantur decocta cornu cerui, hordei, radicum scorzo-
nerae, graminis, althaeae F. 104. 109. quibus etiam symphyti radix addi potest. Alii gelatinam cornu cerui vel eboris, oleum amygdalarum dulci-
um et iusecula pinguia ex carne veruecina laudant,
quae tamen in acrimonia rancida vix concedenda erunt. In hac potius acidiuscula vel acescentia, lac caprillum, serum lactis, et emulsiones conueniunt. In muriatica acrimonia forte aqua calcis viuae com-
mendari posset, quod roborandi vim simul obtinet. Bolus armena et terra lemnia optima haud contem-
nendi sunt usus, si sat magna copia ingeruntur.

§. 893.

Post impetum morbi primum superatum, et ma-
teriam acrem imminutam vel expulsam, roborantia addantur. Cum terris pinguibus ideo aliquot grana
nitri

ntri et corticis cascarillae vel Winterani veri propinquentur F. 195. vel si febris non urget, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI cum essentia cascarillae in moderata et sensim aucta dosi exhibeat F. 122. Recentiores medici extollunt corticem simarroubae in infuso aquoso, eiusque drachmas duas vel tres cum libra aquae coquere, et per partes sumere iubent; cum his etiam aqua calcis viuae iungi, vel semina carminativa addi possunt. Sed haec cuncta, multo magis tamen fortiora adstringentia, nocent, si materia nondum euacuata est; si itaque tormina augentur, remouenda sunt roborantia.

§. 894.

Hacc medendi methodus forte et tunc locum habet, ubi ex perspiratione suppressa et refrigerio, §. 887. dysenteria orta fuit. Licet enim videri posset, ac si eodem modo, ut in diarrhoea a refrigerio orta §. 882. diaphoreticis medicamentis F. 44. 45. 65. 66. nimius humorum affluxus ab intestinis reuocandus sit, tamen, cum humores, in nostro casu longe acriores sint, hi ad sanguinis massam reducti, febribus malignis occasionem praebere possunt; hinc quidem regimen diaphoreticum urgeamus, medicamenta calidiora autem omnino dissuademus, quae saepius ob febris quoque praesentiam exhiberi nequeunt.

§. 895.

Et diaetae ratio omnino habenda est. Iuscula tenuia et ouum sorbile conueniunt, nisi in febre auctiore haec respuant aegri. Panis bis coctus cum pauxillo vini, in primis rubri, concedatur, nisi febris contradicat: si vero febris urget, serum lactis,

decoctum panis vel auenae excorticatae, maxime autem iuscula tenuia cum medulla palmae fariniferae, quam Sagou dicunt, commendantur. Omnia dulcia in hoc morbo aliena sunt. Calor et conclavium et stragulorum temperatus sit, nisi forte magis intensum regimen diaphoreticum exigatur. §. 894.

§. 896.

Si dolores in abdome urgent, cataplasmata ex auena excorticata, vel emollientibus herbis parata, illi admouenda sunt. Si vero tenesmi molesti sunt, praeter clystnata emollientia, vel serum lactis inieatum, etiam fatus ex herbis emollientibus et discutientibus, sellae perforatae immittendi, adhibeantur. Hoc etiam in casu, in primis si febris non nimium urgeat, ad opiate recurrentum est. Rhabarbaro iungatur massa pilularum de cynoglossa F. 192. vel diacordium FRACASTORII cum aqua melissae exhibetur, F. 46. quae cuncta quoque tenesmo, ex aliis caussis oriundo, conuenire videntur.

CAPVT XIII.

C O L I C A.

§. 897.

Sympoma in morbis abdominalibus frequens est colica, ut tanquam morbus peculiaris considerari mereatur, praesertim cum haud raro symptoma urgens sit, quod nos ad ipsos morbos praegressos tanquam caussas ducit. Licet vero vi vocis dolorem, in intestino colo oriundum, tantum indicit, ut plurimum tamen in latiore sumitur significatu, et omnem dolorem denotat, qui a vehementiori spasmo fibram

rum muscularium, intestinorum canalem cingentium, inducitur.

§. 898.

Differentiae huius morbi ex caussis desumantur, quae varias species earumque varietates constituunt. Si materia acris, foeces, flatus, vel peregrina corpora alia, in intestino haerentia, spasmodum inducunt, ftercoraria, flatulenta, serosa, biliosa, bituitosa appellatur. Alia sunt nomina, si a materia maligna huc delata excitatur, ut podagrifica, rheumatica, scorbutica, saturnina, haemorrhoidalis, sanguinea, inflammatoria. Licet vero omnis colica sit spasmodica, ea tamen, quae nervos intestinorum praecepit laedit et vehementius irritat, spasmodica, et in maiori gradu conuulsua appellatur. Tandem subneta est grauissima, colica pictonum dicta, quae a nimis tenui vel prorsus abrafo intestinorum muco originem dicit.

§. 899.

Cum itaque diuersissimae hae caussae nos ad varios morbos ducant, ex quibus colicae indoles cognosci, eaque curari possit, nos tantum generalia quaedam de prognosi praemittere, et obseruationes non nullas de primariis sciebus subnectere possumus, quo medendi methodus inde intelligatur. Medicus vero, cui colica curanda datur, attente disquirat, quid in cauo intestinorum, in ipsis tunicis dicti canalis, vel in vicinia haereat morbum producens, et haec caute ex caussarum occasionalium scrutinio cognoscat.

§. 900.

Licet colici dolores saepius transitorii videantur, et non raro fotu calido abdomini applicato, vel leni purgante et clysmate exhibito, cedant, nunquam tamen obiter, sed semper attente considerandi sunt; membranacea enim et sensibilis intestinorum structura, nec non consensus neruorum huc ductorum, cum toto systemate neruoso, saepius periculofum et non raro subito funestum reddunt morbum, in quo debellando principiis caute resistendum est. Si dolor interdum remittit et vagus est, leuior morbi gradus assumitur; si autem repente inuadit, et continuus et fixus est, in primis si vomitus et singultus accedunt, pessimum morbi statum indicat. Si colica vehementer subito et sine excretione remittit, et cum viuum prostratione pondus in abdomine remainet, letalis est.

§. 901.

In colica flatulenta tensio abdominalis eiusque duities animaduertitur: clysmata igitur primum iniicienda sunt, vel emollientia vel leniter carminativa F. 71. vel si opus est, fortiora cum herba nicotiana et aliis stimulantibus parata, F. 82. 174. quo intestina crassa a faecum aluinorum mole liberentur; paullo post leniora purgantia, mannata et rhabarbarina F. 6. 51. vel solutio massae pilularum BECHERI, vel similium cum stimulo nitri F. 196. exhibeantur, quibus quoque mellita et saponacea addi possunt. His exhibitis, carminativa amara et aromatica F. 12. 22. 127. 142. propinanda et externe olea similia inungenda sunt. Varia deinde medicamenta, ex cortice peruviano et marte parata, passim commenda, intestinis robur addunt. Nec negligendae sunt

sunt frictiones et constrictiones abdominis per fascias, et cucurbitulae magnae, cum multa flamma abdomini applicatae, in primis in eo casu, ubi ex nimia intestinorum distensione summa eorum laxitas oborta fuit, quae ex nimia abdominis inflatione et alio pertinaciter obstructa cognoscitur.

§. 902.

Colica sanguinea, quae potissimum post haemorrhoides et menstrua suppressa oritur, et cui laepe motus febriles cum moliminibus naturae ad restituendas has excretiones accedunt, omnium optime his sanguinis euacuationibus iterum rite procedentibus soluitur; interim et hoc in casu emollientia clysmata et lenia purgantia, magis tamen lubricantia, quam stimulantia, propinanda sunt. Si vero dolor urget, et inter ea nulla spontanea sanguinis excretio succedit, venae sectio in pede commendanda est. Liberiori tandem circulo sanguinis reddito, caussaque morbi remota, carminativa vel aquosa vel vinosa suadenda sunt, v. c. flores chamomillae romanae cum cereuisia cocti; vinosa in principio morbi saepius noxia inueniuntur.

§. 903.

Grauior morbus, qui tamen ex praecedentibus saepius oritur, est colica spasmatica, qua a neruis male affectis non tantum intestina, sed et abdomen ita constringitur, ut tactu durum et inaequale apparet. In hoc potissimum morbi gradu purgantia fortiora, carminativa aceriora, et interdum, si acrimonia stimulans fixa haeret, opiate pestifera sunt. Lubricantia oleosa et farinacea, nec non salia, quae aluum simul mouent, interne propinentur,

externe vero olea cocta carminatiua inungantur, v. c. oleum chamomillae et anethi coctum vel similia F. 106. 171. 190. vel citaplasmata ex auena excorticata et similibus abdomini applicentur F. 87. Balnei quoque, ex emollientibus herbis parata, saepius egregium effectum praestant. Si morbus urget et metum inflammationis intestinorum mouet, in plethoricis venae sectio non aliena est. In infantibus, in quibus per aetatem imbecillitas systematis neruosi est, ex acri meconio et lacte coacto saepius oritur, in quibus, clysmate dato, lubricantia propinanda sunt F. 61. 197. non neglectis tamen medicamentis rhabarbarinis.

§. 904.

In grauiori colica pectorum dieta, §. 898. in qua mucus intestinalis abstergitur, dolores quidem vehementes, saepissime fixos et quasi terebrantes, opiatis infringere non incongruum est, eo tamen respi ciendum erit, ut lubricantia oleosa, mucilaginosa et farinacea simul exhibeantur, quo viae illae a qualibet acrimonia laedente defendantur. F. 34. 35. 55. 67. 104. 107. Rhabarbarina quoque ut blande roborantia non negligenda sunt, in primis si opiate iisdem iungantur F. 193. Cum etiam alius simul ob stipata sit, clysmatibus lubricantibus sine insigni stimulo succurrentum est. Laudant non nulli aluminis usum, quod praeter vim roborandi alumum etiam apertam conseruat. Euacuantia fortiora, vomitoria et purgantia, nec non carminatiua calidiora prorsus aliena sunt; epithemata vero et anguenta externa §. 903. maxime quoque necessaria iudicantur.

§. 905.

§. 905.

Singulare et spasticum morbi genus est colica saturnina, quae in iis, qui plumbum fundunt, vel alio modo solutum tractant, follennis est. Si enim maligni et venenati vapores neruos ita afficiunt, ut hosce dolores in intestinis excitent, tunc aliud obstruta est, et dolor fixus et grauatus in medio abdomen obseruatur, morbus autem hic non subsistit, sed pñaces et paralysies superueniunt, et hominem sub multis cruciatibus e vita tollunt. Non tantum vero plumbi, sed et arsenicales vapores idem malum inducunt, ut in iis, qui metallia coquunt, cognoscimus. In curatione huius morbi fere similia tentanda sunt, quae in colica spasmodica §. 903. laudauimus. Sapo venetus cum lacte, vel succi plantarum saponacei cum iusculis et sero lactis copiosius exhibantur: pilulae quoque ex sapone, guinmi ammoniaco et extractis amaris commendari possunt. Cum vero morbus pertinacius saepe neruis inhaereat, auxilia colicae etiam conuenientia raro eundem totum dissipant, sed paralysies saepius funesta remanet.

§. 906.

Vti vero carminatiis calidioribus, sic etiam opiatis medicamentis, in colicae curatione non temere, sed magna cum circumspectione, utendum est; haec tamen medicamenta, si euacuatio ex voto successit, et dolor spasticus nimium urget, non prorsus improbanda, sed caute, uti passim monimus, adhibenda sunt. Diaeta in omni colica accuratior sit et abstinentia a cibis acrioribus optimum auxilium praefstat, et, si aeger alimenta ferre potest, ea, quae facilitatis digestionis sunt, tantum ingerantur: iusculis tamen et similibus fluidis nutrientibus

non semper inhaerendum est, quoniam robur ventriculi et intestinorum restitui debet, quod alimentis paullo durioribus, sollicita vero masticatione praeparandis, in primis pane bis cocto, immo non nullis medicamentis tonicis, saepius laudatis, efficitur.

CAPVT XIV.

ALVI OBSTRVCTIO ET ILEVS
MORBVS.

§. 907.

Obstructio alui est niinis longa remora faecum in intestinis, praecipue colo et recto, ex caussis variis inducta; sic enim stimulus bilis in ictero deficiens faeces argillaceas, tenaces et immobiles sistit §. 844. porro neglectus stimulus naturalis, ad evacuationem aluinam disponentis, vita sedentaria, alimenta viscida et sicca, defectus potus, abusus medicamentorum aloeticorum vel drafticorum purgantium, et alia plura, in primis ea, quae spasmodum excitant, attendi merentur. De his vero, cum paucim in antecedentibus dictum fuerit, noua tractatio non proponenda est, exercitatio enim corporis cum motu abdominis coniuncta, victus lubricans, potus sufficiens, praecipue ex aqua mellis, medicamenta falina et mannata, nec non clysimata saepius laudata, ut praestantissima remedia, cognita sunt.

§. 908.

In hoc vero capite potissimum de pessima et pertinacissima illa alui obstructione dicendum est, qua contenta in canali alimentorum, ob impedimentum aliquod in via oblatum, retrogrediuntur, et per vomitum

mitum eiiciuntur, quem morbum iliacum sive passionem iliacam appellant. Cum hoc vero morbo non tantum tensio abdominalis, dolores colici a spasmis oriundi, sed et summa anxietas, valida saepius febris, et non raro inflammatio intestinalium coniuncta est.

§. 909.

Causa morbi proxima est omne impedimentum, quod facilis alimentorum et faecum versus inferiora progressui se obicit, et ideo motum peristalticum, qui non modo ex fibrarum muscularium, intestinalium cingentium, sed diaphragmatis et muscularum abdominalium actione, in statu sano versus inferiora dirigitur, (§. 405. 406.) ita inuertit, ut, spasmus oborto, contrarius et antiperistalticus euadat. Ad insignem causarum praedisponentium numerum itaque ducimur, quippe quae sunt: inflammatio, scirrhosus, spasmodus, angustia intestinalium, faeces durae et alia corpora peregrina in intestinalibus haerentia, intus inuaginatio et intorsio intestinalium, hernia incarcera-ta, vermes, venena, a quibus ad occasio[n]ales plures recurrendum est, v. c. ad refrigerium, abusum spirituorum, bilem ab ira vehementer metam, cet.

§. 910.

Morbus noster, si vel causam species, vel vehementiam symptomatum, pessimus omnino et acutissimus iudicandus est, qui raro vel nunquam curatur. Ischuria saepius cum morbo hoc coniuncta, urinae vias per distenta intestinalia compresas, vel spasmus affectas esse docet. Si, morbo non prorsus soluto, spasmodus intenditur, vomitus excitatur, qui tandem faeces aliinas, immo ipsa clysmata interdum ad

ad fauces reducit; tandem gangraena et sphacelus tristem morbi finem faciunt.

§. 911.

Praeter remedia, quae omni obstructioni alui opponenda sunt, clysmata et, si fieri potest, purgantia apta mox in principio morbi exhibenda sunt. Laudant non nulli aurum fulminans, cuius tamen incerta, a praeparatione cognoscenda, dosis est; sa-lia media, in primis sal anglicum catharticum copio-
fius ingestum, si obex superari potest, egregie conueniant. Clysmata acriora cum sapone veneto et stinuulo herbae nicotianae F. 174. immo clystina sic-
cum ex fumo dictae herbae in anum immisso, prae-
cipue tentanda et reiteranda sunt. Balnea emollien-
tia ex olio, lacte et sapone, in abdomen emolliend-
do plus praefstant, quam epithemata et unguenta si-
milia, cum crebra frictione applicata. Tentandum
omnino est, an caufa obicem ponens superari pos-
fit; si faex dura vel aliud corpus peregrinum opposi-
tum sit, mercurius currens depuratus ad unciam
unam vel alteram deglutiatur, intestina tamen, si
laela iam sunt, ab eo facile dilacerantur. Si hernia
incarcerata est, repositio protinus tentatur, qua non
succedente, ad herniotomiam properandum erit.

CAPVT XV.

TYMPANITIS.

§. 912.

Tympanitis, quae interdum hydrops siccus appelle-
latur, est tumor abdominis cum insigni duritie,
ab aere, cauum hoc distendente, ortus. Sentit ita-
que

que manus abdomini admota non fluctuationem, ut in hydrope ascite, sed sonum et quasi tympani tensi resistentiam §. 475. nullaque fouea in tumore digitis presso remanet; ex tumore hoc insigniter quoque aucto pondus corporis non augetur. Ut plurimum quidem aer tantum in canali alimentorum haeret, et, eo distento, abdomen quoque distendit; illum tamen, ut aquas, interdum sese in abdomen effundere, non nulli afferunt, quae autem morbi species rarius certe, nec, nisi post labem aliquam in viscere quodam praegressam, occurrere videtur.

§. 913.

Principium morbi non adeo molestum est, quoniam ruetus et flatus, qui saepius emittuntur, morbum leuant. In hoc certe morbi principio curatio suscipienda est, quae interdum ex voto succedit; si autem flatus non amplius exeunt, sed spasmis retinentur, anxietas valde augetur, et pulsus, accedente febre, vehementior fit et celerior; alii interim euacuatio vel nulla est, vel duriora scybalia cum insigni molestia secedunt, facies appetitiva lurida cacheatica, accedit oedema, anasarca et non nunquam ascites, et aeger misere perit; in hoc enim morbi gradu curatio nullum habet locum.

§. 914.

Caussa proxima est distensio nimia vel atonia intestinorum, qua fibrae intestinales adeo debilitantur, ut se contrahere et motum peristalticum perficere nequeant; debilitas enim corporis et viscerum in primis abdominalium, et colica flatulenta ac spasmatica ad hunc morbum disponunt. Victus crudus, flatulentus, potus frigidus glacialis, fermentescens

et

et spirituofus concentratus, mucus copiosus siue pittuita frigida intestina obsidens, et inertia biliis, praे reliquis huic malo occasionem praebeant; porro medicamentorum purgantium, in priinis salium, canalem intestinorum relaxantium, abusus, tandem opata medicamenta, in morbis spasticis intestinorum ante euacuationem faburrae copiosius exhibita, inter caussas referri merentur.

§. 915.

Diagnosis et prognosis huius morbi ex praemissis patent. Curatio vero exigit, ut apta temper laxantia, non nihil roborantia, cum carminatiuis iungantur. Commendantur itaque pilulae Becherianae, rhabarbarum in infuso vinoſo cum flavedine corticum aurantiorum, cortice cascarillae et chiae, feſinibus anisi, foeniculi et ſimilibus. His iungenda fūnt frequentius clyſmata carminativa ex ruta, chamomilla, meliloto, cet. Frictio abdominis cum balsamis ſtomachicis non ultimi uſus eſt. Commendant etiam fomentum ex ſulphure, cum urina ſani hominis cocto, abdomini applicatum, cuius tamen odor maxime ingratus eſt: facculi ſicci ex furfure, ſale communi et ſpeciebus carminatiuis, haud contemnendi fūnt. Si curatio ex voto ſuccedit, carminativa et roborantia ſaepius laudata iungantur; si vero febris urget, vel alijs morbus ad noſtrum accedit, curatio iis accommodetur.



CAPVT XVI.
VERMES.

§. 916.

Non tantum in corporis superficie, sed et in internis eius sedibus, praecipue vero in canali alimentorum, vermes generantur, qui ex seminio quodam verminoso applicato vel illato oriuntur, et, licet insignis eorundem sit varietas, tamen, si intestina in primis consideramus, frequentiores sunt teretes illi, qui cum lumbricis terrestribus conuenire videntur, ascarides seu parui vermiculi, in intestino recto potissimum haerentes, et lati, cucurbitini quoque dicti, qui sub taeniae specie vix non semper apparent *.

* Cum nos omnes de vermium intestinalium origine et differentiis motas controuerbias repetere nequeamus, prouocamus ad succinctam tractationem **G V A L T H E R I V A N D O E V E R E N** in dissertatione de vermibus intestinalibus hominum. Lugd. Bat. 1753. 4 mai.

§. 917.

Caussa proxima vermium in primis viis, de quibus praecipue agimus, est euolutio ouulorum, cum alimentis deglutitorum. Huic vero fauent laxa intestina, multa pituita obseissa; hinc in iuniore aetate et in iis, qui vitae sedentariae dediti sunt, crebrius generantur. In occasionalibus vero caussis vel ea attendimus, quae vermes ingerunt, ut sunt vegetabilia cruda vel alia alimenta, quibus ouula inherent, vel ea, quae laxitatem intestinalorum et copiam pituitae inducunt. Hinc lacticinia et dulcia crebrius assumta, vermibus generandis occasionem praebent.

§. 918.

§. 918.

Ea vero symptomata, quae nos de praesentia vermium certos reddere debent, maxime ambigua sunt, cum non tantum ex hac caussa, sed et ex putida viscida et acri aliisque dispositionibus morbosis oriuntur. Praecipua tamen signa sunt sequentia, quae, licet sigillatim non semper valeant, conuentum tamen assumta, de ipsorum caussa nos certiores faciunt. In leuiore casu et ab initio attendimus tumorem abdominis, dolores eius varios, mox vagos, mox fixos, in somno pauores, appetitum modo augmentum, modo prostratum, aluum mox laxam, mox constipatam, pallorem faciei, pruritum narium, ieiuno ventriculo nauseam, foetorem oris et affluxum salivae copiosorem. Symptomata haec post pastum conquiescentia, digestione peracta, iterum recurunt. Ex alcaridibus saepius pruritus in ano.

§. 919.

In auctiore malo peiora succedunt symptomata; vomitus, per quem interdum etiam vermes reiiciuntur, singultus frequens, diarrhoeae vagae, animi deliquia, motus conuulsui et epileptici, tumidus et foetus corporis habitus, liuor in palpebris et ad labia, emaciatio et virium prostratio, tusses siccae, febres, quae interdum lentes aemulantur, interdum cum continuis conueniunt, et vix non semper anomiae sunt; quae cuncta et plurima alia saepius singularia morborum symptomata, sedulo inter se et cum aliis morbis comparata, de praesentia vermium nos certos redundit, ita, ut in morbis, in quibus caussa obscura est, saepius hariolando ad caussam verium ducamus, eamque non raro ex effectu certain cognoscamus.

§. 920.

Licet vermes multa incommoda et singularia saepe symptomata inducant, tamen, inuenta caussa et remedio specifico iis contrario, facile expelluntur; saepius autem obscurum, dirissimum et rebelle est malum, saepius quoque symptomata nos in diagnosi confundunt, et in curatione contra indicantia occurunt, quae eandem vel impediunt vel retardant. Hinc indicatio verminosa saepius et iterato attendenda, remedia apta in grauissimis morbis eo dirigenda, et patientia summa continuanda sunt, si speratum aliquem effectum attingere velimus.

§. 921.

In curatione vero et caussam vermium, viscidam nimirum pituitam eosdem fouentem, et vermes ipsos mouere et per purgantia apta omnia eliminare conuenit, quibus praefitis, relaxata nimis intestina per roborantia iterum confirmanda sunt. Laudantur quidem ad vermes mouendos lacticinia et dulcia, sed haec saepius sine effectu adhibentur, et continuato usu, intestina relaxando, nocent. Quae nauseofa tantum sunt, medicamenta, v. c. allium et cepa, quoniam ingrata sunt, diurno usu ad speratum effectum vix ducunt; haec tamen cum lacte cocta, quando purgantia data sunt, in fellam perforatam immittuntur, quo vermes vapore calido vel specifico odore allicantur. Hoc auxilium in ascariibus certum est.

§. 922.

Certiora et magis proficia medicamenta nobis videntur amara, in primis nauseofa, v. c. absinthium, vel quae prae reliquis nominanda sunt, semina cinae

et tanaceti, si vel in decocto, vel quod ob naufragium saporem in continuato usu melius est, in forma boli vel electuarii cum melle et similibus propiniantur. F. 198. 199. His vel addantur vel interponantur laxantia, constitutioni corporis et aetati aegrotorum conuenientia, vel rhabarbarina mitiora saepius laudata, vel alia potius stimulo diagrydii efficaciora redditia F. 200.

§. 923.

Si diuturnum medicamentorum horum usum speratus effectus non sequitur, mercurialia medicamenta iis iungantur et substituantur. Decoctum mercurii cum aqua simplici interdum et, ut perhibent, cum optimo successu exhibitum fuit. Praestantior est medendi via, si vel aethiops mineralis, vel mercurius dulcis cum terreo medicamento F. 201. per aliquot dies propinatur, et interposito laxante saburra mota ex primis viis eliminatur. Gummi saponacea, amaricantia et naufragia hoc in casu quoque conueniunt, si mercurius dulcis in pilulis iis iungitur. F. 202. Dosis et continuationem aegri constitutio et symptomata concomitantia definiunt. Mercurius crudus depuratus ad drachmam semis vel ultra, apta rhabarbari dosi subiuncta, vermes mouere dicitur.

§. 924.

Taenia quidem remediis hactenus commendatis non nunquam cedit, ea tamen pertinacius interdum, quam reliqui vermes, haeret, et pessima varia producit symptomata; laudant ideo rasuram stanni tanquam specificum medicamentum, quod saepius proficuum inuentum fuit. Alii vehementiora purgantia,

tia, v. c. gummi guttae, commendant, in his tamen exhibendis summa cautela opus est, ne aegri, per morbum diuturnum debilitati, laedantur.

§. 925.

Cum his vero apta semper diaeta obseruanda est, ne primas vias nimirum replendo vermes foueantur et nutriantur, et effectus medicamentorum impediatur. Interdum quoque simul cum medicamentis expositis clysmata, ex oleis pressis vel ex anthelminticis medicamentis parata, iniici possunt F. 203. quippe quae praecipue in ascariibus educendis valent. In aliis quoque vermibus, externe cuti inhaerentibus, mercuriale unguentum illiniri potest, dummodo simul munditiae ratio habeatur, quo in casu quoque decoctum nicotianae, vel solutio aeris in aqua forti, cum aqua simplici diluta, laudari merebuntur.

CAPVT XVII.

DYSVRIA, ISCHVRIA ET CALCVLVS.

§. 926.

Coniunctos hic tradimus non nullos morbos, qui et in causis et symptomatibus saepius conueniunt, et haud raro se inuicem excipiunt, ac gradu quasi inter se differunt. Dysuria itaque est difficilis et dolorosa urinae excretio, cuius species grauior dicitur stranguria, si nimirum paucae guttulae urinae tantum et cum sensu ardoris excrebuntur; excretio vero urinae prorsus impedita ischuria appellatur (§. 1154). His morbis accurate examinatis, non

nulla de causa eorundem satis frequenti, calculo scilicet, separatim adducturi sumus.

§. 927.

Si de uno vel altero morbo conqueritur aeger, tunc omnes vias urinarias attente disquirat medicus: sanguinis itaque motum, quatenus urinae secretio nem in renibus efficit, vitia renum in obstructione pituitosa, inflammatoria et spastica, corpora peregrina in pelui renum et ureteribus haerentia, compressionem vel spasmum ureterum, similesque affectiones vesicae et urethrae, accurate perpendat, quae cuncta vel idiopathicos vel symptomaticos morbos inducunt, quatenus nimirum vel ab ipsis organis urinam se- et excernentibus, vel a laesione partium vicinarum, pendent.

§. 928.

Praeter varia itaque symptomata, aliis quoque morbis competentia, obseruabit medicus potissimum dolores et tensionem in lumbis et via ureterum, quo in casu malum altius haerere percipiet, vel similia incommoda, aut in hypogastrio, aut ad collum vesicae et in perinaeo, aut in urethra ipsa deprehendet, ex quibus impedimentum circa inferiora ponit ostenditur. Inflammatorium morbum ex pulsu et symptomatibus febrilibus cognoscet, pituitosam, purulentam et calculosam materiam ex urinae excretæ indole perspiciet.

§. 929.

Iuuabit omnino haec generalius proposita, ad ductis quibusdam specialioribus exemplis, illustrare; id, quod per causarum scrutinium optime fieri poterit,

poterit, cum quibus quoque consueta phaenomena morboſa enarrabimus, quo diagnostis morborum ſpecialiorum appareat. Caufa proxima enim eſt conſtrictio ſpasticā, paſſim in diuersis viarum urinariarum locis deprehendenda. Praedisponeunt vero ad hos morbos fuſcipiendoſ praeceſtū calculus et morbi venerei, in collo veficae et glandulis urethrae ſedem figenteſ.

§. 930.

Ischuria cauſa ſaepius in renibus et ureteribus haeret, et ſpuria tunc dici folet; vera autem ea appellatur, quae in vefica vicinisque partibus ſedem figit: in priore caſu dolor lumborum, ſtupor extremitatum inferiorum et retraictio testiculorum, obſeruantur, quae phaenomena ex neruorum nexu patent, ex quo etiam vomitus vifcidi et bilioſi non nunquam accedentes declarantur: in altero caſu dolor et tumor in regione pubis et continuus mingendi conatus, cum tenefmo et dolore ad perinaeum duto, percipitur.

§. 931.

In priore caſu ſpasmos renum vel per conſenſum, ut in hyſtero malo, vel a plethora et inflammatione, vel a pituita acri, calculo et alia materia oriundus, vel compressio ureterum a flatibus colon diſtentibus obſeruantur §. 910. In posteriore caſu ſpasmi in vefica ex ſimilibus fere cauſis orti, vafa varicofa cum haemorrhoidalibus communicantia, ulcera veficae et ani in primis fistulosa, cicatrices, carunculae et alii tumores praeter naturales, circa collum veficae potiſſimum vel in urethra occurrentes, vel quoque muci, qui viis urinariis naturaliter

obductus esse solet, nimia tenuitas vel quoque absentia, attenduntur. Rarior casus videtur paralysis vel nimia laxitas fibrarum vesicae, quae vel a hæsis neruis, vel a nimia distensione huius caui, inducitur, quod tamen vitium saepius aliud, idque contrarium, excipere solet, nimirum incontinentia urinae.

§. 932.

Nec negligenda est a medico, caussas morbi inuestigante, urinae indoles morbosa; lotium eam interdum variis acrimoniosis scatet, v. c. a potu fermentato non satis defaecato, acido et vappido, a fructibus horaeis austерis et refrigerantibus, ab acribus diureticis medicamentis, cantharidum abusu: urina quoque critica, materiam acrem excernens, difficulter quandoque emittitur. In censem etiam venit refrigerium extermorum, relaxatio musculorum accelerorum in senibus aut aliis, qui venere in primis praematura abusi fuerunt, quae cuncta interdum ischuriā, interdum tantum stranguriā et dysfuriā efficiunt. Symptomata concomitantia sunt vomituritio, somnus inquietus, lassitudo et alia, quae cum febre sunt; quibus etiam in augmento mali peiora succedunt, languor, anxietas, conuulsio.

§. 933.

Prognoseos differentia ex caussis facilius vel difficilius remouendis patescit. Ischuria spuria grauissimum malum est, in primis ob renes spasmis, ad alias partes transferendis, affectos; inde saepius conuulsi moriuntur aegri, immo ipsa phrenitis ab ischuria non nunquam oritur. Sudor urinam redolens in diuturna ischuria pessimum signum iudicatur. A venereis morbis male curatis relictæ cicatrices, et reliqua

reliqua incommoda circa collum vesicae, raro tolluntur, in primis si morbus inueteratus sit. Pertinacior urinae retentio non raro hydrope terminatur. Stranguria senilis rebelle malum est.

§. 934.

In curatione horum morborum suscipienda, ante omnia ad primas vias, et praecipue ad intestina crassa, respiciendum est, cum haec urinae viis et cauitatibus vicina deprehendantur: hinc clysma vel emolliens, vel carminatiuum, iniciendum, immo reiterandum est, quo et euacuatio fiat et spasmi in his partibus sopiantur; interdum etiam lene et aptum purgans simul propinandum erit, praesertim si malum ab acri cibo et potu ortum sumferit; draistica autem purgantia omnino aliena sunt. In plethorica, in primis inflammatione vicinae alicuius partis imminentie vel praesente, venae sectio, viribus vitae et morbi proportionata, immo repetita suadeatur.

§. 935.

In acrimonia urinae blanda diluentia et demulcentia, scilicet decoctum hordei, auenae excorticatae, radicis scorzonerae, graminis et similiūm F. 25. 67. 102. 109. nec non serum lactis, danda sunt. Hoc in casu quoque emulsiones amygdalinae, vel ex aliis seminibus paratae, conueniunt F. 60. 105. 144. quae omnia paullo copiosiusingerenda sunt. Nec negligendum est oleum amygdalarum dulcium, cum vel sine succo citri exhibendum. In ischuria, ex renum obstrukione oriunda, resoluentia optima, gummi saponacea et oxymel cum diluentibus propinanda sunt; balsamica calidiora, ex

terebinthina vel similibus parata, medicamenta no-
cent; febrim enim vel concitant, vel augent.

§. 936.

Stranguria senilis, si a rigiditate dependet, ca-
taplasmata emollientia exigit; si vero simul ad debi-
litate respiciendum est, epithemata ex roboranti-
bus, herba millefolii, serpilli, saluiae et similibus
cum vino rubro coctis, perinaeo applicanda postu-
lat, et interdum blanda perinæi pressione post urin-
am emissam leuantur; similia roborantia in relaxa-
tione vesicae post nimiam extensionem, ad regionem
pubis apponenda sunt. In stranguria a refrigerio, si
prima viae liberae sunt, infusa calida scordii, oreo-
selini, cet. et medicamenta aromatica cum essentia
castorei et liquore anodyno minerali HOFFMANNI,
et carminatiua et anodyna alibi commendata, F. 122.
propinentur. In spafmis partialibus olea carminati-
ua abdomini illiniantur: interdum etiam balnea ex
aqua fluuiatili cum lacte, vel cataplasmata emollien-
tia et anodyna §. 903. 911. immo cum ficubus et
cepis cocta, applicentur.

§. 937.

Vitia haec a cicatrice, caruncula vel alio tumo-
re, circa collum vesicae vel in urethra oriunda, ca-
thetere applicato, saepius leuantur et urina educi-
tur; si vero hoc instrumentum propter ista impedi-
menta non commode adigi potest, cereis minimis aut
bacillis tenuibus, ex carbafo cum cera confectis,
vel oleo amygdalarum dulcium illinitis, vel aliis me-
dicamentis, pro vario medentis fine variis, vel ca-
thaereticis, vel digestiuis, immo mercurialibus in-
cruftatis, via quaeritur et sensim paullatimque dilatatur,

tatur, vel noua suppuratio excitatur, de quibus omnibus aliisque auxiliis manu applicandis chirurgici scriptores conferantur. Haemorrhoides, abscessus et ulceræ perinæi, ascarides in intestino recto retenti, quae urinam non nunquam cohibent, ex alibi dictis cognoscuntur et curantur. Cum etiam hæ urinae suppressiones partes sensiles membranaceas afficiant, in auxiliis praestandis properandum est, ne spasmodis acerbioribus inflammations succedant.

§. 938.

Cum vero haec urinae excernendæ vitia saepius a calculo oriантur, de eius genesi et curatione non nulla adhuc proponenda restant. Partes, calculum componentes, in omnibus quidem corporis humoribus haerent; nullibi tamen facilius compinguntur, quam in bilis et urinae viis, et in his præcipue. Terrestres enim vel calcareae partes muco tenaci, vel glutine plus minus pingui et inflammabili, adunantur, et, uti crustas in matula, sic etiam in viis urinariis concrecentes arentulas formant, quae nō uarum particularum accessione nouas crustas constituant, ex quibus calculus augetur.

§. 939.

Victus itaque crudus, aescens, tenacem mucum exhibens, urinam quoque viscido muco inquinat, quo subtilissimæ terrestres moleculæ conglutinantur. Hæ vero caussæ solae non sufficiunt, sed urina interrupta et stagnans præcipue coagulationi molecularum ansam præbet, in primis si cruentæ, purulentæ et aliae particulae adsint, quæ basin calculo generando suppeditant. Praedisponit præter ea ad calculi genesin laxitas solidorum (hinc

puerili aetati frequentior calculus, hinc obesi non raro calculosi) spastica porro contractio viarum urinariarum lotii liberum transitum cohibens, dispositio insuper humorum atrabilaria; ex quibus consilia calculi prophylactica formari possunt.

§. 940.

Calculus in renibus, ureteribus et vesica haemorrhagia, varia in his producit symptomata. Priorem indicat dolor in regione lumbari fixus, sine inflammatione et febre saepius occurrentis, nausea, vomitus, excretiones urinae arenosae, mucosae, sanguineae; alterum praeter iam commemorata signa ex tractu ureterum cognoscimus, in quibus loca, ubi calculus haeret, indicantur. Signa vero calculi, in vesicam deuoluti ibique haerentis, urinae frequens suppressio vel excretio cum tenesmo et insigni saepe, lotio emissa, remanente dolore facta, nec non urinae indoles mutata (§. 1277.) exhibent. In pueris penis contrectatio frequens et glandis pruritus observatur.

§. 941.

Cum haec et alia, quae adducuntur, signa dispositionem calculosam calculique genesin, non vero ipsius magnitudinem, figuram et reliquas proprietates indicent, cathetere opus est, qui in dubio saepius examine aliquoties et attente ingeratur, quo superficiem calculi asperam vel politam, figuram eius angulosam, vel ad rotunditatem accendentem, aliasque conditiones indicet: Sed et hac disquisitione studiose instituta, indicatas conditiones non semper apparuisse experientia docuit. Digitus in anum immisus in sexu potiore, praecipue in pueris, calculos optime detegit.

§. 942.

§. 942.

Morbus noster lente crescens, in vario statu varia symptomata, indole et gradu diuersa, producit. Calculus maior in renibus quiescens, in regione lumbarum ponderis sensum inducit; urina tunc temporis saepius alba, aquosa, non nunquam citrina cum sedimento mucoso excernitur; horror et frigus, sine euidenti caloris mutatione et incertis temporibus simul accendentia, idem declarant. Calculum in rene motum dolor et spasmus cum nausea vel ipso vomitu, summaque corporis inquietudine ostendunt; idem euenit, si per ureteres minus expedite transit; si vero haec via facilis, nec calculus magnus vel asper est, in vesica quoque interdum per breue tempus haeret, sed commode ulterius mouetur et expelliatur; si tandem in urethra subsistit, suo modo educendus eit. Si calculus in vesicam deuolutus mole augetur, tunc ponderis sensus, dolor in urinæ excretione vehementissimus, hac vero denegata, vesicae facilis inflammatio, vel tandem tabes et febris lenta, tardius saepe, mortem tunc temporis exoptatissimam inducit.

§. 943.

Prognosis ex nunc dictis satis patet: nam minores calculi saepe sine insigni incommodo transeunt, calculus vero subsistens mox grauiora inducit symptomata, quae etiam cum eius augmento semper increscent. Hinc medico circa hos aegros versanti incumbit, ut calculi genesin praecaueat, transitum eius per vias varias urinarias adiuuet, et, si fieri potest, haerentem soluat.

§. 944.

Ad priorem indicationem quod attinet, diaeta accurata praescribenda est; in victu nimis et potu ea carentur, quae stagnationes et retentiones urinae efficiunt: haec partim ex §. 931. seq. patent, partim ex aegri cuiuslibet vitae genere et idiosyncrasia cognoscuntur. Succi plantarum diureticarum v. c. radicis dauci, apii dulcis, petroselini, graminis, alii et simili, crebrius et cum iusculis vel quoque fero lactis exhibeantur; * in laxitate corrigenda forte austriuscula et adstringentia, v. c. fructus cynosbati et pruneoli quoque conuenire possunt. Medicamenta enim, quae urinam blande mouent, commendanda sunt; acriora autem diuretica omnino disuadeantur. Motus corporis moderatus, in primis deambulatio ante excretionem urinae, quae et diutius supprimenda non est, et aliae diaetae regulae hoc pertinentes, egregie a calculo praeseruant.

* vid. THEOPHILI LOBB Tract. de dissoluentibus calculos, ac curatione calculi et podagrae ope alimentorum ex anglico versus. Basil. 1742. 8.

§. 945.

Minoris calculi transitus similibus ferme datoque oleo amygdalarum adiuuatur: si vomitus inde oritur, protinus elysina emolliens iniiciatur, et cataplasmate et fotu emolliente, lumbis, pubi et perineo applicatis, vel quoque balneis adhibitis, viae quodam modo expediantur, et spasmi coerceantur. Acrioribus diureticis, immo adstringentibus, medicamentis uti, tunc temporis periculosum videtur; licet non nulla exempla exoptatos effectus ostendant. Et in hoc casu emulsiones papauerinas et blanda opiate

opiata in auxilium vocare, nihil vetat; spasmodus potius frequentior talia medicamenta exigit. Inquietudo et inde pendens agitatio corporis, nec non vomitus, symptomata adeo quidem molesta, calculum tamen haerentem saepe optime promouent.

§. 946.

Alia consilia in calculo haerente chirurgia exhibet, de quibus tamen hic loci non fusus dicendum erit; in genere tantum monemus: nephrotomiam siue sectionem calculi ex renibus locum non habere, nisi abscessus iam formatus incisionem exigat, quo in casu tamen vera curatio vix exspectanda est: Sectionem calculi ex vesica variis in locis varioque apparatus perfici posse, eam ideo circumstantiis aegri accommodandam esse: hanc etiam non temere fuscipendam esse, sed probe perpendendum, an vesica in eo statu inueniatur, ut incisa apte iterum conglutinari queat. In urethra haerens calculus, nisi emollientibus applicatis cedat, vel specillis in exitu iuuari possit, sectione facta educendus erit.

§. 947.

Cum autem vel sectio calculi non semper administrari queat, vel a meticolosis aegris haec medendi via reiiciatur, de medicamentis calculum dissoluentibus cogitatum fuit. (§. 1610.) Qui ad alcalinam terram in calculo praesentem respexerunt, de exhibendis acidis mineralibus quaestione mouerunt; quae tamen non commode ad ea loca duci possunt. In Anglia vero celebre factum medicamentum alcalino-saponaceum, quod gluten, quo calculus compingitur, dissoluit, dubii effectus est: ab aliis enim laudatur, ab aliis reiicitur. Respuunt illud praeципue

cipue aegri, qui tantam copiam medicamenti nau-
seosi assumere recusant.

§. 948.

In calculis non nunquam excretis, vel densita-
tem vel porositatem maiorem conspicimus, per
quam ad remedia varia dissoluentia exhibenda duci-
mur. Primi viis igitur purgatis, et apta diaeta
praescripta, recentiores diuturnum aquae calcis vi-
uae usum suadent, eiusque effectum variis experien-
tiis commonstrant. Alii thermas carolinias pro hoc
scopo commendant. Nullum itaque est dubium,
his ipsis medicamentis faburram calculosam expelli,
et dispositionem ad calculos generandos corrigi pos-
se; an vero omnes calculi, in viis urinariis formati,
dissolui queant, merito dubitamus.

CAPVT XVIII.

D I A B E T E S.

§. 949.

Multae quidem sunt catissae, quae frequens et co-
piosum urinae proflutuum efficiunt, ut hy-
drops diuresi resolutus, perspiratio suppressa, potus
nimius aquosus, spasmi abdominales in hypochon-
driacis et hysterics; illud vero urinae profluum,
quod ab humoribus, vel non satis subactis, vel re-
olutis et ad renes ductis inducitur, diabetes appellat-
tur. (§. 1152.) Emittitur itaque primum urina al-
ba, tenuis, subturbida, insipida tamen et inodora,
paullo post chylosa et lymphatica. Observantur
simil in hoc morbo sitis, siccitas cutis et suppressio
reliquarum excretionum, v. c. saliuæ, perspirationis

et sudoris, et in continuato morbo tabes cum lenta febre hominem emaciatur.

§. 950.

In crux proxima primario quidem ad resolutionem sanguinis humorumque seroso-lymphaticorum respiciendum est; haec a variis, et, cum indolem et mixtionem humorum vix accurate definire queamus, occultis saepe causis penderet. Debilitas visceraum abdominalium, et in primis chylificatio laesa, ob humores in prima officina non satis elaboratos, hic multum confert. Inter caussas occasionales itaque potius aquosus, praesertim calidus, copiosus assumptus, defectus exercitationis corporis et abusus diureticorum prae reliquis attendi merentur. His omnibus renes et tubuli urinarii relaxantur, nec urinam elaboratam, sed crudam, aquosam, chylosam et resolutam sanguinis materiam excernunt.

§. 951.

Leuior huius morbi gradus post febres continuas, acutas, omnem humorum mixtionem in cunctione et crisi resoluentes sumunamque solidorum imbecillitatem induentes, nec non post chronicos morbos magna resoluentium, in primis mercurialium, medicamentorum vi curatos, haud raro relinquitur: in hoc tamen principio, apto victu et potu, nec non medicamentis roborantibus facile curari potest; si vero iam adoleuerit, curationem vix admittit, sed aegrum marcore conficit. Si in cachectico iam corpore accedit, quod tamen plerumque fieri solet, nullum fere auxilium expectandum est, in primis si febris lenta iam adseritur.

§. 952.

§. 952.

In curando hoc morbo primae viae liberae reddendae sunt, quod non melius, quam rhabararinis medicamentis perficitur; quo facto de roborando vicerum tono praecipue cogitandum est. Seligenda igitur sunt pro usu interno infusum millefolii cum carminatiuis et aliis leniter adstringentibus, vel decoctum meracius radicis chiae ponderosae, cui quoque rasura ligni santali rubri adiiciatur, quibus tandem cortex peruvianus et martilia medicamenta interponi possunt. Externe lumbis fæculi ex herbis adstringentibus cum vino rubro vel aceto maceratis, frigi imponuntur; aeger quoque, si febris non urget, in balneum frigidum immittendus et paullo post fricandus est.

§. 953.

Cum his tamen praecipue diaeta strictior obseruetur. Aeger corpus, quantum fieri potest, exerceat, alimenta assumat pauca, sicca, ex pane bis cocto, carne assata; potus omnis fermentatus, et diureticus, et calidus nocet, aqua fontana, paullulum frigidiuscula, cum vino gallico rubro, pontac dicto, optimum potus genus fistit, quod tamen parcius assumendum, et sitis, licet ingens sit, paullum toleranda est; quod si etiam morbus superatus fuerit, aeger in simili diaeta diutius perfistat, quo vires plenarie instaurentur.

CAPVT XIX.

INCONTINENTIA VRINAE.

§. 954.

Si urina in vesica colligi et contineri nequit, sed aegris vel inficiis vel nolentibus, effluit et exprimitur, morbus hic incontinentia urinae appellatur. (§. 1155.) Est haec vel idiopathica vel symptomatica. In priore casu vel relaxatio fibrarum, collum vesicae constringentium, vel violenta irritatio et constrictio fibrarum, cauum vesicae contrahentium, caussam fistit, in qua tamen excitanda acrimonia urinae simul in censum venit. In altero casu violenta partium vicinarum pressio, vel spasmus per consensum excitatus, attendi merentur.

§. 955.

Morbus hic frequentior est in puerili aetate, in primis sub somno profundo: sed et in sesibus relaxatio muscularum acceleratorum molestum urinae stillicidium inducit; in grauidis, ubi moles uteri partes vicinas premit; in puerperis, quibus in partu aliqua vis illata fuit, idem morbus non nunquam obseruatur. Symptomatica vero incontinentia cum variis morbis est, vel post eos superatos remanet, in apoplecticis, paralyticis, epilepticis, hystericis, haemorrhoidariis, tussi ferina aut vomitu laborantibus, calculo aut ulcere vesicae affectis.

§. 956.

Symptomatica incontinentia urinae saepius, morbo, a quo dependet, superato, tollitur, interdum tamen, et eodem superato, relinquitur. In morbis

Ff

acutis

acutis malum signum est, in primis si alui excretio inuoluntaria simul concurrat. In pueris, et ubi ex mala consuetudine oritur, facilius cedit; si vero cauſa remoueri nequit, v. c. in senibus, vel post difficile puerperium, chronicum et maxime moleſtum fit malum.

§. 957.

Si ex acri urina et spafmo inde excitato producitur, blanda diuretica, decocta radicis scorzonerae, graminis, bardanae, cet. vel emulfiones demulcentes, vel oleum amygdalarum dulcium propincentur. Si potissimum nocturno tempore moleſta est incontinentia urinae, parcior potus versus vesperam concedendus est. A laxitate partium oriunda, roborantia et ſtimulantia exigit; decocta igitur plantarum adstringentium et aromaticarum cum spongia, vel paninis duplicatis, pubi et perinaeo applicentur, vel in feminis intra labia pudendi admoueantur. Iniectiones in veficam circumſpecte adhibendae sunt. Aliis balnea, ex ſimilibus plantis parata, conueniunt. Suffumigia ex ſtyraco, ladano, guimmi animae, fucino et ſimilibus, nec non ex anthophyllis et aliis aromatibus composita, idem praefstant. De ligaturis, globulis et lagenulis, tanquam remediis palliatuis, apponendis chirurgia agit.

CAPVT XX.

SATYRIASIS ET PRIAPISMVS.

§. 958.

Qui facile excitanda penis erek̄tione eiusque tentigine afficiuntur, aut satyriasi aut priapismo laborant: in priore caſu falacitas et ſtimuli venere;

in altero potius dolor tensius et molestus; in utroque vero casu sanguis et fluidum nerueum impetu insigni ad organa genitalia feruntur, et spasmus muscularum ad erectionem concurrentium obseruatur.

§. 959.

Satyriasis quidem in libidinosis ex laesa imaginatione oriri videtur; in eum tamen gradum intendi potest, ut ad melancholiam et maniam ducat. Priapismus vero varias caussas agnoscit, v. c. veneris abusum in iuniore aetate, insultus graues spasticos et inflammatorios in morbis venereis, v. c. in vehementiore gonorrhoea, oboriundos; imbecillitatem systematis neruosi, spasmos ex leui saepius stimulo inducentem; morbos spasticos praegressos, v. c. arthritidem et nephritidem, immo ipsum vesicae calculus. Priapismus saepius cum morbis conuulsu, v. c. epilepsia est, non raro etiam in eandem transit.

§. 960.

In satyriasi itaque valentes vitae vires quodam modo compescendi sunt. Si plethorici sunt aegri, vena crebrius secanda et aliis valentioribus, minime vero draisticis et spasmos excitantibus, medicamentis subducenda est; vitanda sunt omnia obiecta, quae veneris stimulos excitant; alia vero, quaephantasmam corruptam corrigunt, in studiis et aliis laboribus elegantur. Lauta, mollis et vinoſa diaeta, quae saepius malum induxit, mutetur. Exercitatio corporis, somnus moderatus cum vieti parco, digestionis organa exerceente, et potu aquoso, optime hunc morbum tollunt, qui solis medicamentis aegre cedit.

§. 961.

In priapisino eurando ad causas respiciendum est, quae ex aliis praxeos clinicae capitibus cognoscuntur et tolluntur. Ad partem affectam applicandi sunt fatus emollientes cum lacte parati, et balnea similia suadeantur. Ipsum vero corpus inter ea, quantum fieri potest, vietu, frictione et exercitatione roboretur, praesertim si imbecillitas systematis neruosi primaria causa existat.

CAPVT XXI: GONORRHOE A.

§. 962.

Gonorrhoea vi vocis geniturae siue feminis profluuum indicat. Vocabulum vero ut plurimum in latiore sensu sumitur, et omne profluuum matrariae albae, blandae, viscidæ, vel acris quoque fannoſae, vario modo tinctæ, exprimit. Hinc alia gonorrhœa benigna aut simplex dicitur, quae vel sperma vel humorem mucosum et lentescentem glandularum urethrae sine insigni doloris et voluptatis sensu emittit; alia maligna appellatur, quae materiam a contagio venereo corruptam, ex his locis productam, cum dolore excernit, et spasmo et inflammatione saepius stipata est. De simili feminarum morbo in capite sequenti ſigillatim dicturi sumus.

§. 963.

Benigna igitur gonorrhœa, quae saepius verum semen, non nunquam tantum mucum tenacem glandularum prostratae et urethrae, emittit, materiam blandam, viscidam, minime acrem, eamque vel

vel copiosus vel parcus fistit, hinc interdum tantum sub motu fortiore, v. c. equitatione, materia effluit, interdum ex presso pene quaedam guttulae materiae viscidae excernuntur. Haec gonorrhoeae species pollutionem quoque nocturnam sic dictam sub se comprehendit, qua nimis sub leui irritatione in decubentibus magna saepius spermatis copia reicitur, et hoc malo affecti valde debilitantur.

§. 964.

Causa proxima huius morbi in insigni relaxatione partium ponitur, licet et tenuis, et minus elaborata, vel acris quoque humorum indoles saepius simul in censem veniat. Occasionalem causam dat veneris abusus, in primis in iunioribus, quorsum et manustuprations pertinent. Praedisponunt ad eandem debilitas nimia, per morbos chronicos varios inducta. Augent malum potus calidus nihius, diuretica fortiora, inconsiderate exhibita. Frequenter vero post gonorrhœam malignam diu toleratam laxitas partium et ideo gonorrhœa benigna remanet.

§. 965.

Licet benigna appelletur gonorrhœa, difficilius tamen non raro tollitur, quam maligna. Si mox in principio apta medicamenta et accurata diaeta prescribuntur, tunc facile cedit; si vero haec negliguntur, molestum et chronicum fit malum, quod diuturnitate grauius redditur, et si tenera et senilia corpora afficit, morbos pessimos chronicos inducit, scilicet impotentiam virilem, maciem, tabem, quae dorsalis dicitur, sensuum et totius systematis neuosci imbecillitatem, epilepsiam et interdum hydropem.

§. 966.

In curatione huius morbi fuscipienda et tunc, quando tantum signa gonorrhoeae benignae adesse videntur, sedulo attendendum est, ne aliquid venerei a morbo praecedente grauiore remanserit. In principio igitur apta laxantia, rhabarbarina potissimum, vel noduli purgantes adhibendi sunt. Aliis forte pilulae becherianae cum mercurio dulci conueniunt. His praemissis, decocta, eo obseruato delectu, quem in luis venereae curatione §. 536. proposuimus, propinentur, quibus et venerea labes, quae forte restat, vel cacochymia serosa corrigitur; qua de cauffa aliis quoque pilulae saponatae cum roborantibus F. 24. vel diuretica balsamica F. 113. et similia medicamenta non nunquam cum fructu exhibentur. Si vero aegri iusto debiliores sunt, serum lactis, vel lac asinimum, vel caprillum, cum aquis felteranis suadeatur, strictiore de reliquo diaeta obseruata.

§. 967.

Tandem ad roborantia deueniendum est. Ex internis pauca tantum certa et tuta sunt, ossis sepiac puluerem, sanguinem draconis, haematiten et similia commendant quidem non nulli medici, quae tamen parum efficere videntur, et non raro aluum obtipatam reddunt. Tutius forte et certius adhibentur aquae pyrmontanae, rasura ligni santali rubri decoctis addita, infusum millefolii, confectio strobilorum pini et similia F. 204. Crocus martis cum extractis amaris, et alia medicamenta martialia, praecipue tamen cortex peruvianus, optimo effectu sese commendarunt.

§. 968.

§. 968.

In urethram quoque iniiciunt alii aquam calcis viuae cum aloe coctam, cui pauca grana sacchari saturni vel mercurii sublimati addunt, vel cereos cum unguento de tutia illinitos ingerunt. Haec vero et similia, si in urethra tantum leue profluvium sentitur, suadenda erunt; adstringentia enim sub vehe-menti affluxu humorum impurorum et erosione par- tium applicata, excrescentes carnes et callosas emi- nentias relinquunt. Pro externo quoque usu epithemata et cataplasmata roborantia ex radice bistortae, herba alchemillae et similibus adstringentibus, nec non ex herba menthae, saluiae, ruta et aliis aro- maticis, cum vino rubro coctis, porro quoque em- plastrum neruina et linimenta ex oleis destillatis peri- naeo applicanda sunt.

§. 969.

Cum omnibus his diaeta quoque strictior et per annos omnino feruanda est. In cibo et potu omnia, acria, quae venereo stimulos excitare valent, sollicite euitentur; coitus quoque vel prorsus interdicen- dus, vel maxima cum moderatione concedendus est. Exercitatio corporis, viribus tamen aegri propor- tionalata, conuenit. Cibi sicciores et potus aquofus, vel ptisana ex radice chiae, victu iurulento et potu fer- mentato praefstat; assuetis tamen moderatus vini usus denegandus non est, praecipue tamen vinum rubrum pro scopo roborandi concedatur.

§. 970.

Gonorrhoea maligna non nisi post impurum coi- tum oritur: uno enim vel altero die post suscep- tum contagium, interdum paullo tardius, consueta phae-

nomena sese exserunt, scilicet pruritus urethrae et glandis, effluxus materiae viscidæ et albicanter, quae paullo post acrior sit et rodens, coloreque flavo vel viridi tingitur; frequens et dolorosa penis erectio, urina cum difficultate et ardore reddita, spasmodus et inflammatio partium, in vario morbi gradu variantes. Cum his saepius et alia accedant incommoda, phimosis, paraphimosis, bubones inguinales, ulceracula cancerosa glandis et praeputii, tertium tumor et alia, de quorum interna curatione in tractatione de lue venerea §. 526. seqq. diximus; de externis vero remediis chirurgia consulenda est.

§. 971.

Cum autem a contagio venereo saepius gonorrhœa tantum oriatur, eius diiudicationem et curationem brevibus subiungamus verbis. Sedes huius mali est in glandulis urethrae, et in leuiori quidem morbi gradu in illis tantum, quae in urethra disseminantur; in graviore vero malo prostrata et glandulae vicinae ita afficiuntur, ut ulcera ad ipsa cauernosa corpora penetrent. Coniuncta saepius est relaxatio viarum seminalium, ut in gonorrhœa benigna; an vero humor seminalis ipse corrumpatur, dubium omnino videtur. Non nunquam spasmodus nimium urget et dolorem sine effluxu materiae morbosae efficit. Rarius ex laesis corporibus cauernosis sanguis effluit.

§. 972.

Gonorrhœa a coitu impuro, in corpore de reliquo valente et sano orta, facile tollitur: Si vero corpora ipsa impura sunt; si gonorrhœae benignae diutius toleratae maligna accedit; si peruersa curatione

tione dolor et inflammatio fistitur; et materia maligna in excretione sua cohibetur, diuturnum et chronicum fit malum, quod non modo in partibus generationi inferuentibus et vicinis materiam contagiatam fouet et euoluit, lentasque erosiones, inflammations et congestiones saniosas relinquit, sed omnem etiam humorum seroforum massam inficit, et luem venereum inducit.

§. 973.

Morbus itaque, post contagium suscepitum se euoluens, et vehementiore dolore stipatus, in plethoricis ab initio omnino venae sectionem exigit, et quidem eo magis, si inflammationis manifesta signa in pulsu, calore, siti et aliis symptomatibus febrilibus occurunt. Non minus quoque de aluo purganda et libera reddenda cogitandum est, quae quidem euacuatio vel clysmate apto ex emollientibus parato, vel infuso laxante ex tamarindis et manna cum rhabarbaro et cremore tartari F. 51. 72. cum vel sine stimulo fennae optime perficitur.

§. 974.

His peractis, si dolor cum spasimis urget, et materia parcus effluit, epithemata et cataplasmata, ex plantis emollientibus cum lacte coctis applicata, liberum effluxum materiae promouent. Si vero materia tenuis et acris effluit, tunc emulsiones amygdalinae et in dolore intensiore cum semine papaveris albi paratae, F. 60. 81. conueniunt, quibus nimia acrimonia urinae temperatur. Si materia non adeo copiosa excernitur, nec inflammatio vehementior urget, emulsio cum oleo amygdalarum dulcium et pauxillo terebinthinae F. 205. non incongrua est.

His et nitrum addi potest et proportionata dosis camphorae, et ptisana diluens ex leorzonerae, graminis et bardanae radicibus, sufficiente copia simul hauriatur.

§. 975.

Postquam inflammatio et dolor remiserunt, materia autem tincta plus minus copiose effluit, tunc omnino disquirendum est, an primae viae satis liberae sint, quae tunc temporis valentioribus quoque medicamentis, v. c. pilulis mercurialibus F. 206. semel iterumque purgandae sunt; paullo post diureticas variis et balsamicis quoque, quae in principio morbi saepius noxia sunt, insistendum est. Tincturae pimpinellae albae, succini, myrrhae, tartari acris, antimonii tartarisata, spiritus nitri dulcis et similes, ad sexaginta vel plures guttas ter de die exhibeantur, vel balsamus copaibae cum vitello oui solutus in emulsione F. 207. propinentur, et his omnibus apta, aut valentiora aut mitiora, decocta iungantur. Ex his enim omnibus urina balsamicam vim recipit et ulcera abstergit.

§. 976.

Si cum his apta diaeta obseruatur, materia excreta non tantum purior et magis alba, sed et spissior euadit, ideoque morbus, hoc modo ad gonorrhoeae benignae indolem accedens, ea roborantia exigit, quae §. 967. et 968. laudauimus, ne post curatam malignam benigna et chronica remaneat. Quodsi vero morbus proposita medendi via non superetur, et symptomata varia relinquuntur, quae venereum contagium in corpore dissipatum ostendunt, tunc sine mora illa remedia adhibenda sunt,

funt, quae in luis venereæ consideratione exli-
buimus.

§. 977.

In gonorrhœa retropulsa, in primis adstringen-
tibus fortioribus et opiatis medicamentis, sine ma-
teriae morbosæ excretione, cohibita, si fauciū sic-
citas et albedo cum excrescentiis fungosis, testiculi
tumor vel alia symptomata morbosa occurruunt, ma-
teriae effluxus omni modo reuocandus est. Prae-
stant hoc purgantia, aegroti viribus conuenientia, et
potissimum diuretica blanda balsamica, in primis
emulsiones F. 205. 207. quo ~~in~~ exal quoque epi-
themata et cataplasmata emollientia, perinaeo et
membro virili applicata, haud contemnendi usus sunt.
Quod si vero hoc ex voto non succeedat, curatio uni-
uersalis, quam in diuersis luis venereæ gradibus
fusimus, §. 536. seqq. protinus suscipienda est.

CAPVT XXII.
FLVOR ALBV S.

§. 978.

De fluore albo feminarum fusius differere, vix
opus esse arbitror, cum ea, quae in praeceden-
ti capite proposita fuerunt, ad hunc morbum quo-
que applicari queant: Quoniam vero circa caußas et
symptomata, ipsasque medendi vias quaedam oc-
currunt, quae sexum sequiorem tantum concernunt,
in hoc capite quaedam de chlorosi fine cachexia vir-
ginum praemittere, alia de fluore albo in fe confide-
rato addere, et tandem furoris uterini aliquam men-
tionem iniicere placuit.

§. 979.

§. 979.

Cachexia ista a mensuum vitiis non nunquam oritur, in primis autem virgines, in quibus hoc negotium non ex voto succedit, ea afficiuntur. Facies in his est pallida, flava, lurida, in primis circa loca tenerioris cuticulae, v. c. palpebras et labia; oculorum tamen albuginea icteritum colorem non prodit; languor porro corporis et lassitudo insignis, appetitus prostratus et peruersus, respiratio difficilis et anxietas praecordiorum ingens, sed clandestinum saepius desiderium veneris, pulsus debilis, vagi infultus febres, urina cruda, pallida, quae cuncta quidem et alia forte occurrentia symptomata, partim ex iis, quae de menstruorum vitiis passim monuimus, §. 404. seqq. partim ex tractatione de cachexia et cachexia §. 451. seqq. patent.

§. 980.

Feminae a natuitate vel educatione debiles, vitae sedentariae deditae, huic morbo prae reliquis obnoxiae sunt. Humor enim suo tempore per uterus excernendus stagnat, corruipitur, et corruptus reforbetur, sanguinem et lympham inquinat, et solidorum robar magis adhuc irminuit: hinc sanguinis rubicundi defectus. Occasionem praebent victus crudus, digestioni resistens, potus calidi, in primis potus coffee, abusus. Morbum saepius rebellem reddunt veneris desiderium et corrupta inde phantasia, venae sectiones intempestiuæ, sanguinis copiam praeter necessitatem imminuentes, abusus emmenagogorum medicamentorum calidiorum.

§. 981.

§. 981.

In curatione huius morbi prae reliquis primae viae valentioribus quidem, non tamen drafticis, medicamentis purgandae sunt. Decocta et infusa, quae sanguinis crasis corrigunt, his iungantur, et ventriculi robur, si forte ab his laeditur, victu apto et medicamentis carminatiuis ante prandium exhibendis, sustinetur. Exercitatio corporis omni modo suadeatur, quae, uti pediluuia cum frictione crebra artuum inferiorum, circulum sanguinis per eosdem adiuuant. Potus fermentatus et vinum, in primis rubrum, interdum in prandio concedatur. Animi pathemata, quantum fieri potest, et ipso matrimonio, corrigantrur.

§. 982.

Cum his vero apto tempore et continuato usu aquae felteranae, schwalbacenles, spadanae et aliae propinandae sunt, et si corpus alias exsuccum, nunc fatis humectatum et robore praeditum esse sentimus, infusa calidarum et amararum radicum, angelicae, leuisticci, aristolochiae, gentianae rubrae, cum aqua vel vino parata, nec non pilulae becherianae et similes ex gummi saponaceis cum extractis amaris, quibus galbanum, affa foetida, myrrha et castoreum, tanquam potentiora iungantur, F. 208. praescribi debent. Haec autem potissimum circa tempus, quo menstrua imminent, exhibenda sunt, alio vero tempore martialia et alia roborantia adhibentur.

§. 983.

Vti cacochymia uniuersalis in variis secretionibus se exferit, sic humores ad genitalia ducti peruersam indolem

indolem non nunquam eo deriuant, et fluorem album sic dictum benignum ex aliis quidem caussis accessoriis saepe oriundum inducunt. Hoc vitium, vel in utero ipso relaxato, vel in vagina et glandulis va-riis folliculosis, quibus partes genitales ubique ob-cessae sunt, sedem suam figit. In hoc benigno fluore ut plurimum albus et flauescens humor, sed satis copiosus excernitur, qui tamen interdum spis-fior, interdum acrior fit, parcus fluit, et magis ro-dit, praesertim si acrimonia humorum uniuersalis vel aliud vitium, v. c. prolapsus uteri et vaginae, accedat.

§. 984.

Oritur ut plurimum in iis, in quibus menstrua non rite succedunt: in his enim vel continuus obser-uatur materiae descriptae fluor, vel paullo ante et post catamenia tantum talis excretio morbosā se ex-serit; in grauidis quoque non nunquam accedit, peior tamen est ille, qui post puerperium oritur, in pri-mis si aliquid peregrini in utero relictum fuerit. Fe-minis cachecticis tunc temporis, quando menstrua cessant, id, quod in his iusto citius euenire solet, fluor albus superuenit, qui, cum atoniam partium simul coniunctam habeat, difficilius curatur.

§. 985.

Praedisponit vero ad hunc morbum cacochymia humorum et debilitas solidorum generalis, nec non specialis partium genitalium laxitas; hinc in femi-nis, quae vel a natuitate, vel a caussis accessoriis in-firmae sunt, v. c. quae magnam uteri haemorrhagiam passae sunt, frequentius occurrit. Occasiona-les caussae plurimae quidem sunt; sufficiat itaque ex-iis

iis praecipuas indicare: Feminae, quae catameniis fluentibus victu minus conueniente, sed crudo et in primis glutinoso, utuntur, munditiem negligunt, aliasque diaetae regulas, hoc tempore praecriptas, §. 411. haud obseruant, quae lasciuiores sunt et desiderio veneris vexantur, quae frequentius partu vel abortu debilitanter, vel purgantibus validioribus laeduntur, quae virae molli et otiosae deditae sunt, quae in aere humido et paludoso vivunt, et potu calido abutuntur, ut plurimum huic morbo obnoxiae sunt.

§. 986.

Morbus in iunioribus facilius tollitur, dummodo cum apta medendi ratione diaetae accurasieris subsidia coniungantur; si autem inueteratus et cum insigni atonia partium coniunctus est, raro tollitur. Non nunquam feminae quaedam sine alio incommodo hoc fluxu laborant, et salutares huius excretionis effectus experiri videntur; in continuato autem malo maxime falluntur; in macilentis enim tibes, in obesis cachexia inde producitur. Si fluxus adstringentibus intempestive reprimitur, saepius hysterici affectus, purpura scorbutica et alia, uteri in primis, mala chronica subito inducuntur.

§. 987.

In curatione praestanda ante omnia primarum viarum euacuatio suscipienda est; noduli laxantes, infusa similia rhabarbarina, vel alia medicamenta aluum mouentia §. 407. pro virium et materiae mouendae ratione feligantur, et si humorum dispositio eacochymica est, ea aptis remediis corrigatur, quo in casu decocta ballamica §. 974. 975. et pilulae ex gummi

gummi saponaceis et amaris resoluentibus F. 23. 24. propincentur. Thermae carolinae et acidulae egranae, vel similes aquae medicatae, quae et aluum mouent et roborant, cum fructu saepius exhibentur; quae tamen pro differentia subiectorum seligendae, et praeter ea cum roborantibus ex cortice peruviano et martialibus medicamentis passim commen-datis combinandae sunt.

§. 988.

Praeter roborantia vero interna, externe quoque balnea et fatus conueniunt. Haec ex herbis millefolii, abrotani, artemisiae, chamomillae, matricariae, menthae, et ex radicibus valeriana, leuisticus et similibus vario modo praeparantur. Vterinae i-niectiones, ex decoctis similibus paratae, interdum tentandae sunt, caue tamen, ne adstringentibus sensibilem uteri fabricam laedas. Suffumigia ex anthophyllis, tacamahaca, succino, mastiche, baccis lauri et iuniperi, nec non ex affa foetida, negligenda non sunt, quae infundibulo inuerso, partibus arietis applicantur.

§. 989.

Fluor albus malignus ex impuro coitu praecipue oritur, quo in casu, post praegressa inflammationis, ab illato contagio venereo ortae, symptomata, humor parcior, sed viridescens, acris et rodens, ex genitalibus profluit: attamen et ille malignus dici meretur, qui ex carcinomatico uteri et partium vicinarum ulcere proficiscitur, et materiam maxime foetentem, saepius acerrimam, summosque dolores excitantem, excernit. In priore casu ea, quae in gonorrhoeae malignae curatione proposuimus,

§. 970.

§. 970. seqq. et alibi de lue venerea diximus,
 §. 536. seqq. seligenda et applicanda erunt. In altero casu decocta varia demulcentia aliaque medicamenta interna, sanguinis et humorum massam corrigentia, exhibeantur, et fatus lenientes et putredini resistentes applicentur; licet, ut vera fateamur, in tam graui morbo nulla auxilia certa sint, et parum solatii a specificis, ab opiatibus autem breue dolorum lenimen, exspectetur.

§. 990.

In feminis de reliquo sanis, vel leuiori cacochymia imbutis, acris interdum humor ad genitalia ducitur, qui insignem lasciuiam excitat, quae saepius per laesam phantasiam in aliquam melancholiae speciem abit, et furor uterinus siue nymphomania appellatur; quo in casu ex hac tenus propositis egregia curationis praefidia eligi possunt, eo tamen respi ciendum est, ut phantasia corrupta quoquis modo corrigatur. Plethora non raro morbum fouet, quae ideo proportionatam venae sectionem exigit. Lasciuoribus vietus laetus et potus spirituosus maximam partem subtrahendus est, quo pane bis cocto et aqua leuiter tantum nutriantur. Hoc in casu saepius flagris, tanquam valentiori medicinae, locus datur.

CAPVT XXIII.

M A L V M H Y S T E R I C V M.

§. 991.

Licet multa, quae in consideratione mali hypochondriaci §. 548. seqq. fusius exposita fuerunt, in mali hysterici tractatione quoque applicari queant:

non nulla tamen et in hoc, quos nunc tractamus, morborum nexu attendenda erunt. Feminae interdum hypochondriacae fiunt, si viscera chylificationis laeduntur, si depravata, in primis atrabilaria, humorum mixtio et inde spasimi generantur. Hi ipsis vero vel certe similes spasimi in feminis saepius ex iis caussis oriuntur, quae uterum primario afficiunt, et quibus excitatis, reliquum corpus male se habet; quae quidem in genere ad euacuationem uterinam, in menstruis et lochiis impeditam, reduci poterunt.

§. 992.

Morbus vero noster vel extra paroxysmum, vel in eodem, considerari meretur. Extra paroxysmum feminae conqueruntur de languore totius corporis, animi moerore et tristitia, imbecillitate sensuum externorum, et internorum, motusque muscularis, ita, ut crura corpus non diu sustineant, sed genua vacillent, noctes praeter ea inquiete transigunt, crebrior vertigo et scintillae ante oculos obuersantes, anxietas praecordiorum et respiratio saepius anxia deprehenduntur, pulsus parvus et non nunquam inordinatus, urina pallida, copiosa, appetitus prostratus, digestio laesa, aliud vix semper respondens, quae quidem symptomata, in imminentे infulti hysterico, crebrius attenduntur.

§. 993.

In ipso autem paroxysmo haec symptomata augmentur: cor palpitat, respiratio quasi paecluditur, et insignis stricatura versus fauces obseruatur, quasi globulus per abdomen errare visus, deinde ex thorace versus laryngem ascendens, viam paecluderet; vox perit, oculi agitantur, pulsus debilis, inaequalis,

lis, saepius deficit, abdomen tumet, borborygmi audiuntur et flatus spasmo coercentur; aer ructu emissus spasmum mitigatum ostendit, vomitus et deiectiones spontaneae non nunquam superueniunt et morbum leuant, urina tunc turbida fit, ex qua crassa subsident. In grauiore insultu motus conuulsi vel syncope accedunt, post paroxysmum autem superatum languor et debilitas summa, non nunquam cephalaea, remanet.

§. 994.

Causa proxima in irritatione systematis neruosi consistit, quae forte a summa mobilitate fluidi nervi non satis definienda pendet; hinc spasmori oriuntur, qui eo vehementiores sunt, quo minus partes, in debilitate corporis agitatae, caussae spasmorum resistere valent. Praesupponit vero caussam valide irritantem, in ouariis et uteri fabrica haerentem, v. c. si humor ibi stagnans et corruptus neruos vellit, indeque spasmum excitat, per consensum ad alias partes corporis ducendum.

§. 995.

Insignis itaque caussarum occasionalium numerus occurrit. Rarius morbo afficiuntur feminae, quae corpus sufficienter exercent; quae vero laute viuunt, et vitae sedentariae deditae sunt, ad eundem magis disponuntur: concurrunt igitur omnes caussae, quae fluorem album et chlorosin inducunt. Licet catameniorum defectus hysterics motibus saepe ansam praebat, tamen et plethora, et fluxus mensium nimius, eos frequentius excitat; hae enim occasioales caussae tunc demum effectum edunt, si in subtilioribus partibus neruosis dispositio ad facilem irritationem

deprehenditur. Cum itaque haec in summa mobilitate systematis neruosi vix digne satis definienda haereat, ea, quae animum et corpus commouent, v. c. animi affectus, amor clandestinus, veneris desiderium, suaveolentia et dulcia naribus et ore hausta, hystericas maxime molesta sunt. Tumores praeter naturales, circa ouaria et alia organa genitalia orti, interdum caussam fistunt.

§. 996.

Cum paroxysmus hystericus saepius in syncopen, et interdum in veram epilepsiam transeat, non nunquam cum his morbis, a quibus tamen natura sua differt, confunditur. Syncope repente inuidit, respirationem pulsumque ferme suppressit, et pallorem et sudorem frigidum inducit. In morbo hysterico sensim paullatimque symptomata accedunt, difficultas spirandi et imminens suffocationis periculum cum rubore faciei differentiam ostendit. Hystericae sensu non prorsus priuantur, licet aliqua obnubilatio accedit; epilepticae et sensu externo et interno destituuntur, et spumam oris emittunt. Praecipuum etiam mali hysterici signum, motus globuli ad fauces in his et aliis similibus morbis deest.

§. 997.

Malum hystericum clanculum, et saepius ex haereditaria dispositione, vel ex imbecillitate a natuitate inducta irrepens, totum sistema neruosum mire afficit, interdum quidem palliatue curatur, saepius tamen chronicum fit et veram curationem respuit; eius vero insultus, licet periculum magnum indicare videatur, interdum aptis antispasmodicis datis facile dissipatur. Cum multae eaeque contrariae saepius caussae

caussae morbum inducant, et dispositio corporum uniuersalis immutanda sit, auxilium certum vix semper promitti potest. Grauiditatis tempore interdum cessat, sed post partum redit, in iunioribus matrimonium celebratum insultus cohibet, raro prorsus tollit, in vetulis interdum ex defectu stimuli desinit, vel mitius afficit. Si vehementius et crebrius urget malum, in morbos chronicos, furorem uterinum, cachexiam, cet. mutatur. Quae in paroxysmo grauissimo saepius in vehementissimam syncopen cadunt feminae, eo modo considerandae sunt, ut §. 680. diximus.

§. 998.

In curatione huius morbi primarum viarum potissimum ratio habenda est; purgantia sola tamen vix sufficiunt, nisi cum amaris resoluentibus et carminatiuis in nodulis praecipue laxantibus iungantur. Conueniunt etiam interpositae pilulae polychrestae BECHERI, STAHLII, vel saponatae cum gummatibus, galbano in primis et assa foetida F. 119. 208. paullo post analeptica in vietu et medicamentis, quatenus imbecillitati systematis neruosi medentur, applicanda sunt. Aquae medicatae, thermae carolinae et acidulae sic dictae omnino proficuae sunt, et aliis medicamentis facile palmam praeripiunt, in debilioribus vero aquae felteranae cum lacte praemitenda erunt. Haec et alia medicamenta, aetati, caussis et constitutioni aegrarum accommodanda sunt, eoque potissimum respiciendum est, ut vitae genus, quod huic malo occasionem dedit, mutetur, vita varia eligatur, et exercitatio corporis praecipue instituatur.

In paroxysmo imminente clyisma carminatiuum, cui uterina medicamenta, in primis castoreum, immixta sunt, F. 209. applicandum erit: paullo post spasmis occurrentum est, quod itidem castoreatis medicamentis optime perficitur, vel in puluere, vel in mixturiis concentratis, cum liquore anodynō minerali HOFFMANNI exhibitis. F. 73. 122. 142. Naribus admoueantur plumbulae accensae et castoreum; spiritus enim salis ammoniaci et alia volatilia caput nimis grauant. Tensio abdominis frictione cum unguento neruino et similibus, ex galbano et oleis destillatis carminatiuis paratis, tollitur. Frictiones quoque crurum negligendac non sunt, in primis post pedilunua non adeo calida. Auxilia hoc in casu tentata et longo usu in singulari idiosyncrasia confirmata, optima sunt.



APPENDIX.

§. 1000.

Varia quidem, circa grauidarum, parturientium, puerperarum et infantum morbos, obseruanda, in praecedentibus tractationibus passim proposuimus: quoniam tamen continua fere medici, circa amicos suos versantis, attentio singularia in nexus horum morborum consilia requirit, operae pretium esse duximus, primaria cognitionis et curationis eorum fundamenta breui sermone exponere, et medici officium in mutationibus his per se quidem naturalibus, facile tamen ad morbosas dispositiones ducentibus, delineare.

CAPVT I. MORBI GRAVIDARVM.

§. 1001.

Steriles interdum sunt feminae et ideo consilium medici exigunt; quo in casu vel in corporis dispositione morbosa causa evidens, quae tolli potest, deprehenditur, vel in mala conformatione partium consistit, quam apta medendi methodus corrigit et mutat. Nemia obesitas, quae in abdomine potissimum aucta conceptionem impedit, victum parciorum, potum sufficientem et exercitationem corporis proportionatam exigit. Pituita vifida, in genitalibus haerens, vel fluor albus a laxitate dependens, medicamenta resoluentia et roborantia, in primis aquarum medicatarum usum, requirit, de quibus alibi, praetipue in fluoris albi curatione diximus, Quo modo mala conformatio leuari possit, ex par-

tium cognitione anatomica, et chirurgicis auxiliis, patet.

§. 1002.

Si grauida omnem sanguinem, quem alias menstrua excernunt, in foetum deriuat, nulla plethora oritur; si vero contrarium euenit, plethora a grauiditate inducitur, quae quidem inconsuetas haemorrhagias, dyspnœam, palpitationes cordis, dolores capitis, vertiginem, phlogofes, lassitudinem, somnum minus quietum, haud raro haemorrhoides, vel coecas vel fluentes, et alia incommoda producit, quibus femina ante conceptionem non obnoxia erat. Vt i vero interdum non nullorum morborum iam ante praesentium symptomata, v. c. cephalaea, durante grauiditate, cessant; sic etiam varia, alias leuiora visa, nunc grauiora euadunt.

§. 1003.

His quidem omnibus medicus primum aptam diaetam opponat, exercitationem corporis, quantum vires et constitutio feminarum permittit, suadeat, victum parciores ventriculi viribus accomodatum, nec ex iurulentis nimium nutrientibus, sed ex valentioribus, robur viscerum digestioni inferuentium exercentibus, potumque aquosum, vel solum, vel fermentato interpositum, exhibeat. Prandium largius sit et nutritioni sufficiens, coena autem moderata somnum tranquillum et aequabili humorum distributioni aptum reddat, quibus bene obseruatis, plethora saepius grauidis molesta non est.

§. 1004.

Si aestus, ex plethora oriundus, leuior accedit, pulueres nitroſi cum aqua frigidiuscula praecipue verſus

versus vesperam sumti leuamen afferunt, ita, ut venae sectione opus non sit, quae in debilioribus vires saepius infringit; si vero incommoda grauiora fiunt, tunc venae sectione plethora imminuatur, cuius tamen quantitas ex dispositione grauidarum et indole symptomatum determinanda est. Inter nos tres consuetudo inualuit, circa medium grauiditatis tempus et circa finem eius sanguinem subtrahere, prima vice in brachio, altera in talo: sed symptomata magis, quam consuetudines attendendae sunt. Est certe naturae grauiditatis et incremento foetus conuenientius, tertio potius vel quarto grauiditatis mense, quam tardius, venam secare.

§. 1005.

Nimia sanguinis missio, saepe praeter necessitatem administrata, nocet, vires in nutriendo foetu summe necessarias multum infringit, et in debilioribus praecipue, in quibus tamen phlogoses frequenteres sunt, imbecillitatem auget: Si tamen ex veris indicationibus necessaria iudicatur venae sectio, repetita, nec nimium copiosa, praestat. Abortus in plethoricis venae sectione tempestiu[m] praecauetur; si vero ille iam imminet, raro eundem haec impedit, sed potius accelerat; id, quod praesertim in imbecillis frequens experientia docuit. Praestat itaque quietem imperare et temperantibus uti, nisi alia symptomata urgeant, et venae sectionem coincident.

§. 1006.

Nausea et vomitus, mox post conceptionem, et praecipue matutino tempore, accedentes, remediis, quae primas vias leniter purgant, praesertim rhabarbarinis, coercentur et supprimuntur. Si vero haec

purgatio morbum non tollat, ea alimenta et potu-lenta, quae forte ex idiosyncrasia p[re]re reliquis nau-seam commouent, evitanda et accuratior diaeta im-perandi est. Vomitus, a cruditatibus ventriculi col-lectis, quo[rum]cunque grauiditatis tempore, oriundus, i[ps]e n[on] rhabarbarinis leuari debet, nisi forte in val-diis fatis subiectis, et ubi vomitus spontaneus nimis molestus est, ille adiuuandus videatur. Ab humo-ribus malignis, in ventriculum redundantibus, in-terdum vomitus moleftissimus oritur, qui saepe ab-ortum inducit, ideoque ante, quam rhabarbarinis corrigatur, in plethoricis praecipue venae sectionem exigit.

§. 1007.

Diarrhoea, a refrigerio vel alia cauſa in grauidis orta, rhabarbarum et paullo poit castoreum, vel in puluere, vel in mixturis concentratis, F. 73. 122. 142. postulat, quibus etiam, exigente ita necessita-te, pauca grana massae pilularum de cynoglossa, vel paucae guttae effentiae theriacalis anodynæ, addun-tur. Si aliuus in grauidis paullo segnior est, mode-rata laxantia negligenda non sunt; quae praecipue indicantur, si illae paulum voraciores sunt, et fa-e-pius varia minus conuenientia alimenta assumunt. Si stimulo opus est, interdum foliorum fennae scrupulus unus, vel drachma semis, in infusis addatur; eo tamen respiciendum est, ut victu apto et potu sufficiente aliuus semper aperta seruetur, et sine ve-hementi stimulo succedat. Si foeces durae et copio-fae in crassis haerent, clysma emolliens, nec nimis calidum, nec stimulo acre redditum, iniiciatur.

§. 1008.

§. 1008.

Foetus interdum ultimis mensibus per unum alterumque diem quiescit; si in eo statu grauida de reliquo bene valet, et nulla alia abortus signa adfunt, nihil propinandum est, in primis vero excitantia calidiora medicamenta interna evitanda sunt. Foetus inquietus magis attendi meretur; attamen praeter terrea cum nitro et castoreo, et clysinata forte pro circumstantiarum ratione adhibenda, vix alia commendari possunt remedia. In vera autem matris et foetus imbecillitate, in primis si aestus non urgeat, haustus vini generosi vel aquae analepticae, v. c. aqua cinnamomi cydoniata cum confectione alkermes fine ambra et moscho, propinari possunt. Externe abdomini illiniatur balsamus embryonum, vel aquae reginae hungariae.

§. 1009.

Vrinae incontinentia, a foetu vesicam premita, vix auxilium admittit, et non nisi circa finem grauiditatis accedit, quo tempore patienter ferri potest: dysuria et urinae suppressio eodem tempore orta, vel situ supino, coxis elationibus, ipsoque ab domine manibus paullulum eleuato, corrigitur, vel si urina acrior est, potum diluentem exigit, non nunquam pudendis fatus emollientes admoueri possunt, quod tamen caute praestandum est, cum emollientia partes nimium relaxent. Interdum forte fatus emollientes feminis adultioribus et prima vice grauidis, ad rigiditatem partium corrigendam, applicari, vel balnea similia commendari poterunt.

CAPVT II.
MORBI PVERPERARVM.

§. 1010.

Ad partum accedens grauida motus quosdam in abdomen sentit, qui dolores ad partum *die Wehen* dicuntur. Sunt illi vel veri vel spurii; illi a constrictione uteri, immo muscularum abdominalium, oriuntur, ex lumbis per inguina ad crura ducuntur, et, quum aperturam orificii uteri moliantur, melius ab obstetricie, quam a puerpera, percipiuntur et distinguuntur: hi vero sunt dolores vagi, qui vel a peruerso situ foetus, vel a variis partium abdominalium spasmis, v. c. colicis tensionibus, oriuntur, et a veris potissimum in eo differunt, quod orificio uteri non aperiant.

§. 1011.

Dolores spurii vel medicamentum lene rhabarbarinum, vel potius clyisma carminatiuum, exigunt. Pilulae polychrestae becherianae, vel similes, in aquis carminatiuis solutae, cum paucō nitro, non nisi in phlegmaticis concedi possunt; licet partum his promoueri posse non nulli contendant. Alio eo modo soluta, intestinum rectum liberum redditur, ne nimia eius distensio partum impedit. Hanc ob caussam etiam urina in vesica non retinenda, sed emittenda est. Castoreata et, si febris non urget, calidiora quoque aromatica medicamenta exhiberi possunt, caute tamen, ne aestus excitetur; et opii proportionata dosis commendanda est, in primis si aliud respondet, vel medicamento euacuata fuit. In hunc quoque finem balsamus embryonum et olea

olea carminatiua cocta et destillata abdomini leniter illiniantur.

§. 1012.

Dolores ad partum veri, cum a constitutione uteri grauidi dependeant, patienter potius exspectandi, quain vi medicamentorum excitandi sunt. Si plethora urget, vel necessaria venae sectio intermissa fuit, tunc mox ante partum instituta saepius eundem iuuat et inflammationis metum tollit. Feminae adstantes, medicis saepe sapientiores fibi visac, aquam verbena, pulegii et alia plura suadent et exhibent remedia domestica, quae tamen saepius magis noxia, quam salubria, sunt. Medicus artis peritus, praeter medicamenta analeptica, quae vires vitae sustinent, vel alia, quae spasmos nimis feroce compescunt, propinata, nihil facile molitur, noxia dissuadet, innoxia permittit; notandum tamen est, hoc in casu mitissima etiam medicamenta non raro vomitum excitare.

§. 1013.

Cum itaque in ipso partu adiuuando medicus clinicus ex fonte pharmaceutico parum conferat, ea certe polleat cognitione, qua in situ naturali et præternaturali foetus, de constitutione partium genitalium et foetus iudicare, situm puerperae in partu definire, et hanc adhortatione, obstetricem autem consilio adiuuare possit. Ea vero, quae difficultem partum iuuant, situmque foetus prodeunti corrigit, consilia et enchiriales, ab artis obstetriciae scriptoribus proposita, a medico obstetricio curiosius disquirenda et exercitatione perficienda sunt.

§. 1014.

§. 1014.

Si medicus parturienti adstitit, partu finito et foetu excluso, huius corpus cum obstetricie perlustrat, paulo post secundinas, in primis placentam uterinam, inspiciat, quo videat, an aliquid relictum sit, ex utero nondum clauso eximendum. Puerpera ab aeris frigidioris accessu ad uterum defendatur, et cruribus coniunctis et abdomen moderate ligato, in lectum reponatur. Ea vero tunc temporis vel haustu vini generosi, vel analeptico, non nimis calefaciente, medicamento reficiatur. Primis quidem horis debilis quoque puerpera, ne in somnum incidat, impedienda est, quo humorum circulus turbatus sensim paullatimque aequabilior reddatur; si tamen paulo post in placidum somnum incidit, eodem optime reficitur.

§. 1015.

Et circa partum et post eum quoque, primis potissimum diebus, puerperis accuratior diaeta praescribenda est. Conclave temperato calore placeat, et paullo obscurius sit, ne luce viuida afficiantur debilitatae feminae; cae quoque in sudores proclives stragulis copiosioribus ne onerentur; munditiae praeter ea, quantum fieri potest, ratio habeatur. Omnia obiecta, quae animi affectus vehementiores excitare possunt, remoueantur. Iusculis tenuioribus cum farinaceis coctis reficiatur puerpera, iurulentus vero et nimis nutriendis victus interdicatur. Potus frigidus ne adsumatur, euitetur quoque fermentatus, sed tenuis, diluens, aquosus, in primis si femina infantem lactare nolit, exhibeat.

§. 1016.

§. 1016.

Dolores post partum, *die Nachwehen*, quibus puerperae haud raro excruciantur, partim a relictis in utero partibus secundinae et grumis sanguinis, partim a laeso et nimis irritato utero, et a constrictione spastica inde pendente, partim a flatibus, euacuato abdomine intestina expandentibus, oriuntur. Ea, quae in utero reicta fuerunt, vel, si fieri potest, manu obstetricia remoueantur, vel vi naturae excernantur; laesio uteri et contractio spastica violentior inflammationem uteri vix non semper inducit, de qua paullo post dicturi sumus; flatus blanda abdominalis constrictione et carminatiuis, v. c. decocto cereuifiae cum floribus chamoillae, seminibus cartui et similibus coercentur et expellantur, intestinorumque robur restituatur.

§. 1017.

Dolores a spastica contractione uteri tantum oriundi, nec cum inflammatione coniuncti, in primis paris leuiores sunt; in iis vero, quae faepe peperrunt, acerbiores sunt, cum a rigiditate et aliquali callositate fibrarum uteri inducantur. Hi itaque partim patienter tolerandi, partim carminatiuis et antispasmodicis, in primis pulueribus cum castoreo et nitro datis, mitigandi sunt F. 73. 120. quibus etiam, si nimis feroce fiant dolores, lenia anodynæ adiici possunt F. 210. Si corpus peregrinum, in utero reictum, hos spasmos excitare cognoscimus, quod manu remoueri non potest, nihil temere molliendum, nec calidiora emmenagogæ tentanda sunt, sed, exhibitis, quae nunc exposuimus, medicamentis aliisque carminatiuis, negotium naturae molinibus committendum est.

§. 1018.

§. 1018.

Lochiorum fluxus, siue post partum emittendi copia, vix determinari potest; si is vel parcus vel copiosius fluit, et femina de reliquo bene se habet, nihil temere moliendum est. Si spasmus retenta lochia parcus fluunt, castoreata et similia medicamenta antispasmodica optimie propinantur; si largius ea fluunt et debilitant, praeter remedia temperantia nitrofa et leniora analeptica, vix aliquid tentandum. Lipothymici insultus ex hac caufa oriundi saepe id efficiunt, ut sanguis fistatur. Venae sectio reuulso-ria in brachio instituta, hoc in casu a non nullis proposita, dubii omnino euentus, et ex individuali constitutione puerperae diiudicanda est. Parciora lochia interdum diarrhoea oborta compensat; hoc in casu vero constitutio aegrae et symptomata concur-rentia medicum instruunt, an aliquid, et quid demun, tentare debeat?

§. 1019.

Inflammatio uteri post partum accedens' graui-
mus et periculosissimus morbus est. Dignoscitur
iste, praeter communia febris inflammatoriae sym-
ptomata, ex acuto dolore, infimum ventrem ab
umbilico ad pubem usque et coxarum regiones oc-
cupante, ita, ut dorso tantum incumbe possit ae-
gra; abdomen tumet, valde tensum est; urina et fae-
ces non nisi cum dolore excernuntur; orificium
uteri, si tactu exploratur, durum, contractum et
saepe dolorosum deprehenditur; et interdum quo-
que ad partes pudendorum externas transit inflam-
matio. Hunc morbum inducunt aer frigidus, geni-
talibus admissus, uterus in partu laesus et valde ir-
ritatus, foetus vel secundinae partes in hoc cau-
relicta

relictæ et corruptæ, animi affectus vehementiores, medicamenta calefacentia, potus frigidus, vel alius grauior error in diaeta commissus. Oritur inde fœsta lochiorum suppressio, quae eo magis metuenda est, si in cacochymicis vel alio morbo laborantibus depravatio sanguinis et humorum obseruatur, quae nimurum febre tunc temporis vehementiore reddita euoluitur, et grauissima symptomata producit.

§. 1020.

Solutur interdum inflammatio, si superficialis est, purulenta et foetida materia ex utero excreta; interdum sudore et alia excretione critica; interdum, metastasi facta, purpuram inducit. Haec, si sub sufficiente lochiorum fluxu accedit, et rubra vel alba benigna est, morbum soluit; alba vero maligna, pessimis symptomatibus stipata, vix non semper letalis euadit. §. 224. seqq. Violentior autem inflammatio, quae cum dolore insigni coniuncta est, interdum intra paucos dies puerperam e viuis eripit, cum spongiosa uteri substantia facile sphacelo afficiatur. Interdum ex superficiali inflammatione non apte resoluta, uterus scirrhosus fit, et tandem carcinomaticis ulceribus occasionem suppeditat.

§. 1021.

Dubius hic saepius est medicus circa venae sectiōnem instituendam. Si summus sanguinis impetus obseruatur, pulsus fortis vires vitae sufficienes, vel durus spasticus arteriarum contractions indicat, et spasmus vehementissimus in aliis et vicinis partibus concurrit, vix ea carere possumus. Si vero impetus mitior est, ideoque lochiorum fluxus exspectari

poteſt, venae ſectio ſaepius ſufficientem fanguinis motum impedit, et feminam nimium debilitat. Si aeftus non adeo urget, a primo initio pilulae poly-chreſtae Becherianaæ vel ſimiles lochia reſtituunt, et ita inflammationem ſoluunt vel potius arcent. Si vero aeftus urget, clysma emolliens primo aluum euacuet, quo factō, temperantia cum caſtoreo dan-dā ſunt, et cereuifiae cum floribus chamomillæ coctæ cochleare unum vdl alterum olei amygdala-rum dulcium recentis addendum eſt.

§. 1022.

Sed ad ea deueniendum eſt, quae mammas con-cernunt. Si puerpera ex diſquiftione corporis et mammae praeter naturali (§. 1165.) laetare nequit, eidem, viginti quatuor horis poſt partum elapsis, vel paullo citius, mammae ligatura apta ita diſpo-nantur, ut ſurfum directæ affluxum laetis copioſum haud permittant; victus concedatur parcus, non iu-rulentus, potus tenuis aquosus, et conuenienti quo-uis laxante aliis ſubducatur. Rhabarbarina vel manna in debilioribus optime conducunt, in for-tioribus et phlegmaticis ſtimulus fennae ad ſcrupu-lum unum vel drachmam unam addatur. Duriores et tumentes mammas emplaſtrum filii Zachariae et butyrum non ſalitum demulcent; reſoluendi vi ma-gis pollet ſapo venetus, emplaſtrum diaphoreticum M Y N S I C U T I cum malactico vel cum ſpermate ceti malaxatum. Reliqua mammarum incommoda mor-bosa ex theoria inflammationis diuidicanda ſunt, et medicus potiſſimum eo respiciat, ne varietate medi-camentorum contrariorum inflammationis diſcuffio, vel non auertenda ſuppuratio, turbetur.

§. 1023.

§. 1023.

Secundo vel tertio circiter die post partum in puerperis lac copiosius in mammae fertur, idque saepius cum febre, ideoque dicta lactea, *der Milchschauer*. Accedit nimis leuis horror, qui aestu plus minus insigni excipitur, concurrentibus aliis quoque symptomatibus febribus. Hoc in casu praeter strictiorem diaetam vix alia requiruntur auxilia; si tamen aestus forte nimium urget, potiones et pulueres temperantes, iulapiaque acidulata F. 16. 17. 40. 41. 42. 120. non deneganda sunt. Si faburaria in primis viis praesens cognoscitur, rhabarbarium laxans F. 51. 114. vel pilulae polychrestae Becherianae, praesertim ante febris accessum datae, eius impetum vel imminuunt vel cohibent, quae cuncta et paullo fortiora etiam, si femina lactare nolit, exhibenda erunt.

§. 1024.

Affluxus lactis vel suetione infantis, vel hominis adulti, vel instrumentis aptis, promouetur. Laudant in primis non nulli decoctum panis cum cereuisia et alia farinacea, quibus semen nigellae tanquam specificum medicamentum addunt. Si puerpera obesa est, suetio repetita et potus diluens conueniunt; si vero mammae flaccescunt, vel ductus lactiferi coaliti sunt, vel femina debilis animi deliquia patitur, a lactatione abstinentur. Copiosior quoque lactis affluxus in debilioribus maiorem imbecillitatem inducit et puerperas saepe cogit, ut lactationem intermittent. Quod si vero lac copiosius affluat et ab imbecilli infante fugi nequeat, vel instrumento fugente vel alia ratione educendum est, ne in mammis corrumpatur, vel tenello infanti

ōneri sit; nutrix aufem inter ea parciora alimenta assūmat.

§. 1025.

In nutrice eligenda corporis ipsius constitutiōnem sanam et, si fieri potest, robustam attendat medicus, in primis vero ad humorum bonitatem respiciat. Teneroribus infantibus vix conuenit lac spissum ex nutrice, quae diu iam lactauit. Lac bonum sit album cum paucō creme; flauescens autem, nimis tenue, vel quod maltum cremeoris habet, minus conuenit. Cum vero in his non semper selectum instituere queamus, medicus nutricis curam fuscipiat, primas vias, si opus est, leni laxante medicamento purget, et victum aptum praescribat. Copiosa medicamenta nutricibus non exhibenda sunt. Si catamenia nutrici fluunt, haec eo tempore diaetam obseruet accuratiorem, et medicus ad mutationes in infante inde forte obuias probe attendat. Exercitatio corporis nutricibus omnino impe-randa est, in primis si robustiores sint; animi quoque affectus in iis, quantum possibile est, coerceantur.

§. 1026.

Si lactatio finienda est, nutrici exhibeatur laxans validū quidem, corpori tamen proportionatum; mammae ligatura supra descripta sursum dirigantur, victus sit parciōr, non nutriens, potus tenuis et corpus inter ea sufficienter exerceatur. Refrigerantia applicata, v. c. herba petroselini et similia, vel repellentia v. c. spiritus vini et alia caute exhibeantur. Ea praeter ea in mammarum cura obseruentur, quae §. 1022. exposuimus.

CAPVT III.
MORBI INFANTVM

§. 1027.

Tenera, laxa et sensibilia infantum corpora multis morbis obnoxia sunt: interdum enim ex corruptis parentum humoribus hereditariam labem acquirunt, interdum fabricam solidorum vario modo laesam et inde connatos morbos (§. 934.) ex utero secum afferunt; de quibus omnibus partim, quod multa incerta in iis cognoscendis occurunt, partim quod curatio in hoc vitae principio vel difficilis vel nulla est, fusius agendum non erit: his igitur missis, eos tantum morbos consideramus, qui infanti sano nato paullo post accidentunt. Multi quidem illis accidere solent morbi; sed pauciores certe essent, si ubique in nutritione et educatione vera diaetae ratio obseruaretur: praeiudiciis vero occaecatae feminae, quibus tamen solis cura infantis relinquitur, varias et peruersas saepe consuetudines inducunt, quibus infantes laeduntur, et quae a medico clinico non semper corrigi possunt.

§. 1028.

Infans neonatus, funiculo deligato, balneo tepido a fordibus depuratur: Si debilis est, spongia, vino aqua diluto madida facta, abstergatur; halitu vero magis volatili et spirituoso non excitetur, ne nerui male afficiantur; post ea in cunas reponatur, nec linteis nimis inuoluatur et adstringatur; nec nimia stragulorum copia cooperiatur, quo tenellum corpus ad placidam perspirationem, minime vero ad sudores, disponatur, atque ita in temperato aere vi-

uens, sensim mutationibus eiusdem fuscipendi par sit. Cunae vero eo modo disponantur, ut moderatus lucis accessus ex opposito, minime autem a latere admittatur.

§. 1029.

Purgat infantes colostrum siue primum lac tenui, serosum et quodam modo acre, quod grauiditatis tempore in mammis maternis sensim collectum fuit; si vero mater infanti mammas non praebet, syrupo de cichorio cum rhabarbaro alius aliquoties subducatur. Id quidem eo magis necessarium videtur, si tormina tenellum excruciant, si icteritus color in toto corpore obseruatur, si deiectiones aluinæ virides et nigricantes ex meconio diutius retento apparent, quo in casu aliquot grana rhabarbari admiscendi sunt. Si pituita viscida fauces obstrictet, modica portio oxymellis vel simplicis vel squillitici ad vomitum adiuuandum propinetur.

§. 1030.

Ipsò partus die infantì nulla alimenta exhibenda sunt; sufficit omnino is, si post viginti quatuor horas lac ex mammis recipiat, quod etiam nutrimentum debilioribus per plures septimanas sufficit. Suctio infantis ex arctiore linguae adhaefione impedita, saepe incisione membranulae ad frenulum nimis longae facilior redditur. Fortioribus infantibus pulicula ex pane albo cum aqua cocto, una vel altera vice de die danda est; spissæ et farinosæ puliculae aegrius digeruntur. Lac coctum, butyrum et oua, vel prorsus non, id, quod optimum erit, vel certe parcious, admisceantur, ne ventriculus glutinoſo et rancido vietu nimis grauetur.

§. 1031.

§. 1031.

Cum infantili aetati, vel ob laxam solidorum constitutionem, vel ob viatum lentescentem, viscidum quam maxime infensum sit, quod ut plurimum rhonchos, tusles et catarrhos suffocatiuos inducit, opus omnino est, ut primae viae semper liberae seruentur, id, quod rhabarbarinis praestatur; praeter ea vero oxymel squilliticum, cum aqua melissae dilutum, et interdum ad vomitum usque datum, vel pulueres absorbentes cum paucis granis saponis veneti F. 181. optimo cum successu exhibentur. Cautamen, ne teneris infantibus nimio medicamentorum usu molestus sis: melius enim est, si ea, quae assument, digerunt, quam si continuis pargationibus faburra collecta expellitur.

§. 1032.

Alius vero interdum in infantibus, sanis quoque ceteroquin visis, cum fructu mouetur, et huic aetati rhabarbarum in puluore et solutione aquosa quam maxime conuenit, quippe quod interdum quoque in ipso alui profluvio, ab acrimonia et laxitate oriundo, cum successu propinatur. In acido peccante corallia rubra praeparata et magnesia alba addantur: alius iusto siccior non nunquam mannat exigit. Si stimulo in prouectiore quodam modo aetate vel propter faburram copiosam opus est, infusum foliorum sennae cum passulis minoribus praestat, alia vero stimulantia ex ialappa et diagrydio in hac aetate nunquam vel rarissime exhibeantur.

§. 1033.

Mundities quidem, ut in omni aetate, sic in hac potissimum, maxime salutaris est; perspirationem enim

enim iuuat et ita circulum humorum liberum reddit. Si generalia haec sanitatis praesidia attenduntur, erosiones cutaneae, purpura scorbutica et comedones, siue deprauatio humoris cutem inungentis et circa radicem pilorum haerentis, vix obseruantur. Balnea ex aqua fluuiatili vel decocto furfurum variarumque herbarum, v. c. linariae, adianthi albi, cet. optime conueniunt; excorticata et fero madida loca, spongia aqua frigida humectata, abstergantur et post ea puluere lycopodii tutius, quam cerussa, conspergantur et exsiccentur. Medicamenta copiosa, sanguinem depurantia, cet. exhibere non solum superfluum, sed etiam in his teneris corporibus saepe noxiun est; in variis potius hactenus propositis monitis, circa diaetam et in infante et in nutrice obseruandis, acquiescendum erit.

§. 1034.

Dentitio, quae interdum difficulter succedit, ante omnia exigit, ut alius vel purgantibus supra laudatis, vel clysmate, libera seruetur. Alius laxior et saliuae profluuium paullo copiosius leuiora redund symptomata. Febris moderata cum dentitione accedens, non infringenda est; eo enim durante, rarius conuulsui motus molesti sunt, qui tamen febri nimis vehementi superuenientes facile letales fiunt. Frictio nimia gingiuarum non nunquam suscepta, has saepe callosas reddit, licet negandum non sit, dentis eminentioris eruptionem inde iuuari. Incisio gingiuarum non, nisi necessitate urgente, et in dente eruptioni proximo suscipienda est; si enim dens profundius in gingiuis lateat, coalitio noua cicatricem gingiuae callosam, et difficiliorum inde dentis eruptionem efficit.

§. 1035.

§. 1035.

Infantes, quibus mali succi sunt, altero in primis aetatis anno, rachitide corripiuntur, quo in morbo praecipue ossa, in cartilaginibus nata, intumescunt; accedit tumor abdominis, glandulae mesenterii induratae vel scirrhosae fiunt, et totius corporis flacciditas, tandemque atrophia vera inde oritur. Caussae huius morbi non raro quidem in parentibus imbecillis et nutrice minus sana positae sunt; saepissime tamen neglectus in vietu et aliis diaetae capitibus morbum incipit et grauiorem reddit: hinc etiam imminens malum, diaeta accurata, purgantibus selectis atque balneis frequentius adhibitis, curatur, vel potius praecauetur. Morbus interdum ad quintum vel septimum aetatis annum infantes male habet, ita tamen, ut robustiores tantum graue hoc vitae periculum superent. Morbus inueteratus pessimam saepius ossium depravationem inducit.



FORMVLAE
MEDICAMENTORVM.

I.

- R. Lap. Cancr. pt. I. Nitr. depur. I. Tart. Vitriol. 3ij
 Tart. emet. gr. ij l. iiij
 M. D. S. *Brechpulver Früh zu nehmen.*

2.

- R. Pulv. Rad. Ipecacuanh. 3j l. 3fl
 D. S. ut supra.

3.

- R. Aqu. Flor. Acaciae 5j
 Tart. emet. gr. ij
 Syrup. Rub. Idaei emet. 3j
 M. D. S. *Brechtrank Früh zu nehmen.*

4.

- R. Pulv. Rhab. opt. 3ij
 Tart. tartarisat. 3j
 M. Div. in 2 part. D. S. *Eines Abends, das andere Früh.*

5.

- R. Tart. vitriol.
 Pulv. Rhab. opt. aa. 3fl
 Diapryd. sulphur. gr. ij l. iiij
 M. D. S. *Gelindes Laxierpulver Früh zu nehmen.*

6.

- R. Fol. Senn. f. stip.
 Rhab. opt. aa. 3j

Sal.

- Sal. amar. sedliz. 5ij
 M. coqu. leni igne in aqu. simpl. 5ij
 in colat. depurat. solue
 Mannac calabrin. 3*R.*
 M. D. S. *Gelindes Laxiertränkchen Früh zu nehmen.*

7.

- R. Extr. Fumar.
 Gumm. Ammon. ele^{ct}. aa. 3*B*
 Resin. Ialapp. gr. v. l. vj
 M. F. c. Elix. P. P. Pil. XX. confsp. pulv. Lyco-
 pod. D. S. *Laxierpille Früh oder Abends zu
 nehmen.*

8.

- R. Magnes. alb. l. Tart. vitriol.
 Pulv. Rad. Ialapp. aa. 3*B*
 Diagryd. gr. v. ad viij
 M. D. S. *Laxierpulver Früh zu nehmen.*

9.

- R. Tartar. vitriol.
 Conch. f. igne pt. aa. 3*iß*
 M. Div. in 6 part. D. S. *Täglich drey zu neh-
 men,*

10.

- R. Conch. f. igne pt. 3ij
 Sal. mirab. Glaub.
 Arcan. dupl. aa. 5j
 Pulv. Cort. Cascarill. 3*B.*
 M. D. ad Seatul. S. *Täglich dreymahl eine starke
 Messerspitze.*

II.

R. Tart. vitriol.

Corall. rubr. pt. aa. 3j

Pulv. Rhab. opt. 3ß

M. Div. in duas part. D. S. *Eines Abends, das andere Früh.*

I2.

R. Effent. Cent. min. 3ij

Cort. aurant.

Spirit. Nitr. dulc. aa. 3j

M. D. S. 70 Tropfen täglich dreymahl.

I3.

R. Liqu. Terr. fol. Tart. 3ß

Eff. Cent. min. 3ij

M. D. S. 80 Tropfen alle drey Stunden zu nehmen.

I4.

R. Herb. Trifol. fibr.

Cent. min. aa. Mj

Rad. Helen.

Gentian. rubr. aa. 3ß

Cort. Cascar. 3ij

Flav. Cort. aurant. 3vj

Sem. Anisi

Foenicul. aa. 3ij

Fol. Senn. f. stip. 3ß

Rhab. opt. 3j

Sal. cathart. angl. 3ß

Incis. Contus. M. D. in Sindone S. Kräuterpüschel *.

I5.

* In vase terreo, vitrea crusta obducto et canali laterali instructo, affundatur aquae feruidae libra una; orificio

orificio utroque bene obturato, stet in digestione per duodecim horas; omnibus refrigeratis adde per canalem, qui a latere est, vini rhenani optimi libras duas; seruetur in loco frigidore. Dosis, duarum cireiter unciarum, mane ieiuno ventriculo tepide hauriatur.

15.

- R. Rad. Sassafras. ʒβ
 Liquirit. ʒj
 Herb. Agrimon. aa.
 Beton. Mβ
 Flor. Papav. rhoead. p. j
 Incis. M. D. S. Species zum Thee.

16.

- R. Aqu. Flor. Tiliae
 Ceraf. nigr. aa. ʒij
 Lap. Cancer. pt.
 Matr. Perl. pt. aa. ʒβ
 Nitr. depur. ʒj
 Syrup. Acetosif. Citr. ʒj l. ʒij
 M. D. S. Alle zwey Stunden ein halbes Theeköpfchen.

17.

- R. Aqu. Meliss. f. vin.
 Scord. aa. ʒij
 Tinct. Fl. Bellid. ʒβ
 Spirit. Nitr. dulc. ʒβ l. ʒj
 Iulap. Rosar. ʒj l. ʒij
 M. D. S. ut supra.

18.

- R. Aqu. Card. Bened.
 Scord. aa. ʒij
 Tart. tartarif. ʒij l. ʒij
 Extr. Cent. min. ʒij l. ʒij
 M. D. S. *Alle drey oder vier Stunden, wohl auf-
 geschüttelt 2 Löffel voll.*

19.

- R. Extr. Card. Bened. ʒij
 Liqu. Terr. fol. Tart. ʒβ l. ʒj
 Aqu. Meliss. f. vin. ʒij
 M. Diger. leni calore. Colat. depurat. D. S. *Alle 2
 oder 3 Stunden einen Löffel voll.*

20.

- R. Pulv. Cort. Peruv. elect. ʒβ
 D. in octuplo. S. *Alle 3 Stunden Eines zu neh-
 men.*

21.

- R. Pulv. Cort. Peruv. elect. ʒj
 Conserv. Fumar.
 Rob. Sambuc. aa. ʒβ
 Syrup. Cort. aurant. q. f.
 M. F. Electuarium D. S. *Fieber - Latwerge zwi-
 schen zweyten Paroxysmis auf 5 oder 6 mahl zu
 nehmen.*

22.

- R. Herb. Beton.
 Cent. min. aa. Mβ,
 Cort. Winter. ver.
 Rad. Galang. aa. ʒij

Flav.

Flav. Cort. Aurant. 3ʒ

Sem. Foenicul. 3ʒ

Incis. Contuf. M. D. S. Species mit einer Kanne
Rh: in Wein zu infundiren, und vor der Mahlzeit
ein Spitzglas zu nehmen.

vel R. Suminit. Cent. min. Mj

Pulv. Cort. Peruv. opt.

Flav. Cort. Aurant. aa 3ʒ

Cort. Winter. ver.

Rad. Galang. aa. 3ij

Ari

Sem. Foenic. aa. 3ij

Incis. Cont. M. D. S. ut supra.

23.

R. Extr. Fumar. ex succis

Gumm. Ammon. elect.

Sapon. venet. pur. aa. 3j

M. F. c. Elix. P. P. Pil. ad pond. gr. ij.

Consp. pulv. Lycopod. D. S. Früh und Abends 10
bis 20 Stück.

24.

R. Puly. Gumm. Ammon. elect.

Galb. elect.

Myrrh. elect.

Extr. Cort. Aurant.

Card. Bened. aa. 3ʒ

M. F. c. Eff. Cort. Aurant. Pil. pro no. gr.

Obduc. fol. Auri D. S. Früh und Abends 20
Stück.

25.

Rx. Rad. Sassafrass.

Scorzoner. aa. ʒj

Cichor. ʒβ

Carlin.

Liquirit. aa. ʒiij

Sem. Foenicul. ʒij

Incis. Contus. M. D. S. Species zum Trank, ein
Loth auf eine Kanne.

26.

Rx. Herb. Fumar.

Agrimon. aa. Mj

Rad. Pimp. alb. ʒj

Ari ʒβ

Flav. Cort. aurant. recent. no. ij

Cort. Winter. ver. ʒiij

Sem. Anis. ʒij

Fol. Senn. f. stip.

Fibr. Helleb. nigr. aa. ʒβ

Rhab. opt. ʒj

Sal. amar. fedlitz. ʒvj

Incis. Contus. M. D. in Cilicio S. Kräuterpüschel
nach Verordnung.

27.

Rx. Limat. Mart. subtil. ʒj

Succi Citri ʒβ

M. Dig. et adde

Extr. Absinth.

Cort. aurant. aa. ʒiij l. ʒβ

Vini Rhenan. lib. ij

M. stent per 24 horas in loco temperato, Co-
lat. D. S. Ein Spitzglas Vor- und Nachmittags
zu nehmen.

28.

28.

R. Pulv. Cort. Peruv. $\frac{3}{2}$ j

Limat. Mart. $\frac{3}{2}$ l. $\frac{3}{2}$ j

Infund. c. vin. rheu. opt. lib. ij. D. S. Vor- und nachmittags ein gutes Spitzglas zu nehmen.

29.

R. Pulv. Cort. Peruv. $\frac{3}{2}$ j

Extr. Cent. min. 3ij

Fl. Sal. Ammon. martial. $\frac{3}{2}$ j

Rob. Junip. $\frac{3}{2}$ j

Syrup. de Canell. q. f.

M. F. Electuarium D. S. Täglich dreymahl ein Paar Coffeelöffel voll zu nehmen.

30.

R. Extr. Fumar.

Card. Bened. aa. $\frac{3}{2}$ j

Cort. aurant. recent. rafp.

Peruv. aa. $\frac{3}{2}$ β

Myrrhae

Caryophyll. aa. $\frac{3}{2}$ j

Croci $\frac{3}{2}$ j

Sal. Tartari $\frac{3}{2}$ β

M. adfund. vin. hung. l. hisp. gener. lib. j. Dig. leni calore per 24 horas. Decant. D. S. Einen Löf- fel voll vor der Mahlzeit mit Weine zu nehmen.

31.

R. Herb. Scord.

Oreofel. aa. Mj

Rad. Bardan. $\frac{3}{2}$ j.

Carlin.

Liquir. aa. $\frac{3}{2}$ j

Incis. M. D. S. Species zum Thee, täglich zwey- bis dreymahl zu brauchen.

32.

- R. Tinct. Corall. c. Spirit. Cor. Cerv. 5ij
 Spirit. Nitri dulc. 3j
 M. D. S. 50 bis 60 Tropfen alle drey Stunden.

33.

- R. Eff. Pimp. alb.
 Liquir. aa. 5ij
 Spir. Sal. Ammon. anisat. 5j
 M. D. S. 50 Tropfen Vormittags zweymahlt.

34.

- R. Olei Amygd. dulc. 3j
 Pulv. Croci opt. 3ß
 Ealf. Peruv. nigr. 3ß
 Oi. destill. Anis. gt. vj
 Syrup. de Alth. 3iß
 M. F. Linctus. D. S. Oeffters ein Theelöffelgen.

35..

- R. Ol. Amygd. dulc.
 Syrup. Capill. Vener. aa. 5j
 Sperm. Ceti 5ij
 M. D. S. vt supra.

36.

- R. Pulv. Rhab. opt. 3ij
 Corall. rubr. pt. 3j
 M. Div. in 2. part. D. S. Eines bald, das andere
 nach Verordnung.

37.

- R. Rad. Chin. pond. 3j
 Caſt. Lign. 3ß
 Incif. M. D. S. auf 2 bis 3 Kannen Waffer zu kochen.

38.

38.

R. Rad. Saffapär.

Bardan. aa. ʒij

Foenicul. ʒj

Incif. M. D. S. *Die Hälfte auf 3 bis 4 Kannen Wasser zu kochen.*

39.

R. Aqu. Ceraſ. nigr. ʒiiij l. ʒvj

Cinnam. f. vin. ʒj

Tinct. Fl. Bellid. ʒβ

Corall. c. Spirit. Cord. Cerui

Spirit. Nitri dulc. aa. ʒj

Syrup. Acetof. Citri ʒij l. ʒβ

M. D. S. *Alle 2 oder 3 Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

40.

R. Pulv. Bezoard. angl.

Matr. Perl. pt. aa. ʒβ

Nitr. depurat. ʒj

M. Div. in 4. part. aequal. D. S. *Alle 2 Stunden eines zu nehmen.*

41.

R. Antim. diaph.

Lap. Cancer. citr. aa. ʒβ

Nitr. depurat. gr. xv.

Cinnab. nativ. gr. v.

M. F. Pulv. Div. in 4. part. D. S. vt supra.

42.

R. Aqu. Fl. Tiliae

Scabios. aa. ʒiiij

Conch. f. igne pt.

Lap. Cancer. citr. aa. ʒij

I i 2

Nitr.

Nitr. depurat. ʒʒ

Specif. ceph. Mich. ʒʒ

Julap. Rosat. ʒij

M. D. S. *Alle 2 Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

43.

R. Pulv. Bezoard. Wedel. l. Sennert. ʒj

Nitr. depurat. ʒj

Camph. gr. iiij l. vj

M. Div. in 4. part. D. S. *Alle 2 oder 3 Stunden eines zu nehmen.*

44.

R. Eff. Alex. Stahl. ʒj

Liqu. anod. mineral. ʒij

M. D. S. 20 bis 30 Tropfen nach Verordnung.

45.

R. Mixt. Simpl. c. Camph. ʒij

D. S. vt supra.

46.

R. Aqu. Meliss. f. vin. ʒij

Diascord. Fracast. ʒij

M. D. S. *Alle Stunden oder alle 2 Stunden einen Löffel voll.*

47.

R. Corall. rubr. pt. ʒj

Maff. Pil. de Cynogl. gr. iiij l. vj l. vltra

M. Div. in 3. part. D. S. *Alle 2 Stunden eines zu nehmen.*

48.

R. Aqu. Fragar.

Ceraf. nigr. aa. ʒiiij

Amygd. dulc.

Sem.

Sem. Card. Mar.

Papau. alb. aa. 5ij

M. F. Emulsio, adde

Corn. Ceru. f. igne pt.

Vnicorn. marin. aa. 3ij

Nitr. depur. 5ß

Sacch. Canar. 3ij

M. D. S. *Beruhigende Milch alle 2 Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

49.

R. Lap. Cancr. citr.

Nitr. depur.

Specif. ceph. Mich. aa. 3ij

M. Div. in 4. part. D. S. *Alle 2 Stunden eines zu nehmen.*

50.

R. Pulv. Rhab. opt. 3ij

Corall. rubr.

Nitr. depur. aa. 3j

Cinnab. nat. 3ß

M. Div. in 4. part. D. S. *Alle 2 oder 3 Stunden eines zu nehmen.*

51.

R. Pulp. Tamarind. 3ß

Pulv. Rhab. opt.

Crem. Tart. aa. 3j

Ebulliant c. Aqu. simpl. 3ij. in Colat. solue

Mann. Calabr. 3ij l. 3ß

M. D. S. *Laxieriränkchen früh zu nehmen.*

52.

R. Aqu. Meliss. f. vin. 3vij

Cinnam. cydon. 3j

Ii 3

Confect.

502 FORMVLAE MEDICAMENTORVM.

Confect. Alkerm. incompl. ʒij

Tinct. Fl. Bellid. ʒvj

Syrup. Ceraf. acid. ʒβ

M. D. S. *Alle Stunden einen oder zwey Löffel voll.*

53.

R. Decoct. Hord. lib. j

Syrup. Acetof. Citr. ʒβ l. ʒj

Spirit. Salis ʒj l. ʒij

M. D. S. *Oeffters ein Theeköpfchen voll.*

54.

R. Hb. Orcosel. Mj

Rad. Scorzon. ʒj

Fl. Pap. rhoead. p. j.

Sem. Foenicul. ʒj

Incif. Contuf. M. D. S. *Species zum Thee.*

55.

R. Syrup. Diacod. Mont.

Capill. Vener. aa. ʒj

Sperm. Ceti ʒij

M. D. S. *Safft, davon öfters ein Löffelchen.*

56.

R. Conch. f. igne pt.

Tart. Vitriol. aa. ʒβ

Pulv. Rad. Ipecacuanh. ʒj

M. Div. in 4. part. D.S. *Alle Stunden, wo nöthig, eines zu nehmen.*

57.

R. Aqu. Fl. Tiliae ʒij

Lap. Cancer. citr. ʒβ

Nitr.

Nitr. depurat. 3ij
 Tart. emet. gr. ij l. iiiij
 M. D. S. *Alle Stunden zwey Löffel voll.*

58.

R. Magnef. alb.
 Sal. cathart. angl. aa. 5ij
 Aqu. Ceraf. nigr. 3iiij
 M. D. S. *Alle zwey Stunden den vierten Theil.*

59.

R. Aqu. Fragar. 3iiij
 Cinnam. cydon. 3j
 Confect. Alkerm. incompl.
 Julap. Rosat. aa. 5j
 Spir. Vitriol. gt. vj l. q. f. pro grato sapore.
 M. D. S. *Alle zwey Stunden einen Löffel voll.*

60.

R. Aqu. Fl. Tiliae
 Meliss. f. vin. aa. 5iiij
 Amygd. dulc.
 Sem. Pap. alb. aa. 3iiij
 M. F. Emulfio, adde
 Syrup. Pap. alb. 3ij
 M. D. S. *Lindernde Milch alle zwey Stunden ein Theeköpfchen.*

61.

R. Ol. Amygd. dulc. 3ß
 Syrup. de Althaea 3j
 M. et adde
 Sacch. Canar. 3ij

Croc. orient. gr. vj
 Ol. destill. Anis. gr. vj
 M.D.S. *Säftchen, davon zuweilen ein Löffelchen zu nehmen.*

62.

R. Pulv. Corall. rubr. pt.

Rhab. opt. aa. 3j

Nitri depur.

Mass. Pil. de Cynogl. aa. gr. vj

M. Div. in 2. part. D. S. *Eines abends, das andere früh.*

63.

R. Decoct. Auen. excoct. lib. β l. lib. j

Terebinth. Venet. 3j l. 3ij

Vitell. Ouor. no. j l. ij

Ol. Amygd. dulc. 3j l. 3ij

M. F. Clyisma.

64.

R. Pulv. Cort. Peruv. opt. 3j

Rad. Serpent. Virgin. 3ij

Aqu. Menth. f. vin. 3vij

M. Dig. leni igne Colat. depurat. D. S. *Ein halbes Theeköpfchen alle zwey Stunden.*

65.

R. Est. Scordii 3ij

Fumar.

Liqu. anod. mineral. aa. 3j

M.D.S. 30 bis 50 Tropfen nach Verordnung.

66.

R. Mixt. simpl. 3ij

Spirit. Nitr. dulc. 3ij

M. D. S. vt supra.

67.

67.

R. Hord. mund. Mj

Rad. Scorzon.

Saffpar. aa. ʒij

Foenicul. ʒβ

Incif. M. D. S. Species zu 3 bis 4 Kannen Trank.

68.

R. Pulv. Bezoard. Sennert.

Lap. Cancr. citr. aa. ʒij

Nitr. depurat. gr. xij l. ʒij

M. Div. in 6. part. D. S. Alle 2 oder 3 Stunden
eines zu nehmen.

69.

R. Aqu. Fl. Tiliae

Scordii aa. ʒij

Antim. diaph.

Matr. Perl. pt. aa. ʒij

Syrup. Cort. Aurant. ʒij l. ʒij

M. D. S. Alle 2 oder 3 Stunden ein halbes Theeköpfchen.

70.

R. Aqu. Cerāf. nigr.

Meliss. f. vin. aa. ʒij

Sem. Card. Bened.

Mar.

Amygd. dulc. aa. ʒij

M. F. Emulfio, adde

Lap. Cancr. pt.

Antim. diaph. aa. ʒij

Nitr. depur. ʒij

Julap. Rosat. ʒij

M. D. S. Alle 2 oder 3 Stunden ein Theeköpfchen.

71.

Rx. Fl. Chamom.

Hb. Pariet. aa. Mj

Coqu. in Aqu. simpl. lib. j

Colat. depurat. adde

Ol. Amygd. dulc. ʒij l. ʒij

D. c. Instrumento clysmatico.

72.

Rx. Pulp. Tamarind. ʒj

Passifl. min. ʒβ

Rhab. opt. ʒβ

M. Coqu. in Aqu. simpl. q. f.

in Colat. depurat. solue

Mann. Calabr. ʒβ

M. D. S. *Laxiertränkchen früh zu nehmen.*

73.

Rx. Lap. Cancer. citr. ʒj

Nitr. depurat. gr. xij

Pulv. Castor. gr. iiij l. vj

M. Div. in 3. part. D. S. *Alle zwey Stunden eines zu nehmen.*

74.

Rx. Hb. Meliss. Mj

Saluiae

Maioran. aa. Mβ

Incis. M. D. S. *Species zum Thee nach Verordnung.*

75.

Rx. Hord. excoct.

Tamarind. aa ʒj

Hb. Acetos. recent. Miijj

Coqu.

Coqu. c. Aqu. font. Mens. iiiij

Colat. lib. iiiij adde

Rob. Ribium ʒij

Nitr. depurat. ʒij

M. D. S. *Trank, davon öfters ein Theeschälchen zu nehmen.*

76.

R. Aqu. Ceras. nigr. ʒvij

Tinct. Fl. Bellid. ʒvj

Syrup. Rub. Idaei ʒij

Spirit. Nitr. gt. iiij. l. q. f. pro grato sapore.

M. D. S. *Alle Stunden ein halbes Theeköpfchen zu nehmen.*

77.

R. Pulp. Tamarind. ʒj

Hb. Mercurial. Mj

Fl. Verbasci p. j.

M. Coqu. in aqu. simpl. q. f.

Colat. lib. j. adde

Oxymel. simpl. ʒj

D. c. Instrumento clysmatico.

78.

R. Rad. Chin. pond. ʒij

Scorzon.

Saflapar. aa. ʒij

Foenic. ʒβ

Incis. M. D. S. *Species zu 4 bis 6 Kannen Wasser.*

79.

R. Corall. rubr. pt.

Lap. Cancer. pt. aa. ʒij

Nitr. depur. gr. xvj

M. F.

M. F. Pulv. Div. in 4. part. D. S. *Alle 3 oder 4
Stunden eines zu nehmen,*

80.

R. Aqu. Fragar. ʒvj
Antim. diaph.
Matr. Perl. pt. aa. ʒβ
Nitr. depurat. ʒj
Syrup. Ribium ʒij

M. D. S. *Alle zwey Stunden ein halbes Thee-
köpfchen.*

81.

R. Aqu. Fl. Tiliae
Nymph. aa. ʒiij
Ceraf. nigr. ʒij
Sem. 4. frigid. maj. aa. ʒj
Pap. alb. ʒvj
Nitr. depur. ʒij
Syrup. Pap. alb. ʒβ

M. F. Emulſio D. S. *Alle zwey Stunden ein Thee-
köpfchen.*

82.

R. Hb. Melilot.
Rut. aa. Mj
Nicotian. ʒiij
Coqu. in Aqu. simpl. lib. j
Colat. depurat. adde
Sapon. Venet. ʒij
Mell. despum.
Ol. Aneth. coct. aa. ʒj

M. D. c. instrumento clysmatico.

83.

R. Rad. Bardan.
Gramin. aa. ʒβ

Rad.

Rad. Althaeae

Foenic. aa. 5ij

Incif. M. Coqu. in Aqu. simpl. Menf. iiij

Colat. depur. adde

Syrup. Ribium 3ij l. 3ij

Spirit. Sulph. per Camp. q. f. pro grato fapore.

M. D. S. *Trank, davon öfters ein Theeköpfchen zu nehmen.*

84.

R. Hb. Hyssop.

Origan. aa. Mß

Fl. Sambuc. p. ij

Incif. M. Coqu. in Aqu. simpl. lib. 3

adde

Acet. opt. 3ij

M. D. S. *Bähung zum äußerlichen Gebrauche.*

85.

R. Hb. Agrimon.

Prunell.

Saluiae aa. Mß

Fl. Samb. p. ij

Incif. M. Coqu. in Aqu. simpl. lib. ij

Colat. depurat. adde

Mell. rosat. 3ij

Nitr. depur. 3ij

M. D. S. *Gurgel-Waffer.*

86.

R. Syrup. Violar.

Alth. aa. 3ij.

Spir. Vitriol. gt. xij l. xx

M. D. S. *Säftchen den Mund zu pinseln.*

87.

R. Pulv. Fl. Chamom.

Melilot. aa. ʒij

Farin. Sem. Lini ʒβ

M. F. c. f. q. lactis Cataplasma
adde

Ol. verbasc. ʒj

M. D. S. *Umschlag öfters mässig gewärmt auf-
zulegen.*

88.

R. Caric. pingu. no. viij

Fl. Sambuc.

Malu. aa. Mß

Incif. M. Coqu. in lactis mens. j

Colat. adde

Mellis ʒj

M. D. S. *Gurgel-Waffer.*

89.

R. Farin. Sem. Lini

Foenugraec.

Pulv. Fl. Sambuc. aa. ʒj

M. F. c. vitell. ouor. et f. q. lactis
Cataplasma, adde

Ol. Liliör, alb. ʒj

D. S. *Erweichender Umschlag.*

90.

R. Fol. Sen. f. stip. ʒj

Agaric. trochisc. gr. xv

Sal. cathart. angl. ʒij

M. Coqu. in aqu. simpł. ʒij

Colat. adde

Syrup. de Manna ʒij

M. D. S. *Laxiertränkchen auf einmahl.*

91.

91.

R. Resin. Jalap. gr. viij l. ʒʒ

Solu. in Spir. vin. ʒiʒ

adde

Syrup. Cort. Aurant. ʒʒ

M. D. S. Eröffnende Mixtur auf einmahl.

92.

R. Hb. Oreosel. Mj

Rad. Carlin. ʒj

Liquirit. ʒj

Incis. M. D. S. Species zum Kräuter. Thee.

93.

R. Rad. Bardan. ʒj

Pimpinell. alb. ʒʒ

Raf. Lign. Sassafr. ʒij

Incis. M. D. S. Species zu zwey Kannen Trank.

94.

R. Mixt. simpl. ʒij

Tinct. Tart. acris ʒij

M. D. S. 60 Tropfen alle drey Stunden.

95.

R. Eff. Alex. Stahl.

Pimp. alb. aa. ʒij

Spir. Nitr. dulc. ʒj

M. D. S. 60 Tropfen alle drey Stunden.

96.

R. Pulv. Mastich. elect.

Gumm. Laccæ

Rad. Pyrethr.

Ireos Flor. aa. ʒij

M. F.

M. F. addita mucilagine Gummi Tragacanthae,
c. Aqu. Rosar. parata, l. a. Trochisci no. 40.
D. S. Küchelchen in dem Munde zu halten.

97.

R. Empl. de Melilot.

Malact. aa. ʒij.

Malax. D. S. Pflaster nach Verordnung.

98.

R. Hb. Prunell.

Hyssop. aa. Mß

Rad. Bistort. ʒij

Fl. Salu.

Balaust. aa. p. j

Incif. M. Coqu. in Aqu. simpl. q. f.

Colat. adde

Mell. rosat. ʒj

Sal. Prunell. ʒj

M. D. S. Gurgel-Wässer nach Verordnung.

99.

R. Aqu. Chaeroph.

Ceraf. nigr. aa. ʒiiiij

Sem. Card. Mar.

Amygd. dulc. aa. ʒß.

Gumm. Ammon. elect. ʒj

Nitr. depurat. ʒß.

Syrup. Pap. alb. ʒij. l. ʒß.

M. F. Emulsio. D. S. Zertheilende Milch alle zwey
Stunden ein halbes Theeköpfchen.

100.

R. Ess. Helen. ʒij

Cascarill.

Spir.

Spir. Nitr. dulc. aa. ʒij
M. D. S. 40 Tropfen täglich dreymahl.

101.

R. Pulu. Cort. Peruv. ʒij
Confect. Alkerm. ʒij
Syrup. Cort. Aurant. q. f.
M. F. Electuarium D. S. Alle vier Stunden einen gehäufsten Coffeelöffel.

102.

R. Rad. Gramin.
Scorzon. aa. ʒij
Carlin. ʒij
Incif. M. Coqu. c. Aqu. simpl. mens. iij
Colat. adde
Syrup. de 5. Rad. aperient. ʒij
Nitr. depurat. ʒij
M. D. S. Trank, davon öfters ein Theeköpfchen.

103.

R. Hb. Rutae
Absinth.
Scordii
Fl. Chamom rom. aa. Mj
Incif. M. D. S. Species die Hälfte auf eine Kanine Waffer zu kochen zum Umschlage.

104.

R. Rad. Alth. ʒij
Fl. Verbasc.
Pap. rhoead. aa. p. iij
Incif. M. Coqu. in Aqu. simpl. lib. ij
Kk Colat.

Colat. adde

Syrup. de Alth. ʒij

M. D. S. *Oefters ein Theeschälgen voll zu nehmen.*

105.

R. Sem. 4. frigid. maj. aa. ʒj

Amygd. dulc.

Sem. Pap. alb. aa. ʒij

Aqu. Fl. Sambuc.

Nyinph. aa. ʒiiiij

M. F. Emulsio, adde

Sacch. Canar. ʒiiij

M. D. S. *Lindernde Milch alle halbe Stunden ein Theeköpfchen,*

106.

R. Ol. Verbasc.

Lini aa. ʒj

destill. Carui ʒj

M. F. Linimentum zum äußerlichen Gebrauch.

107.

R. Diacod. Mont.

Ol. Amygd. dulc. aa. ʒj

Diascord. Fracast. ʒij

M. F. Linctus D. S. *Saft, davon alle halbe Stunden, oder auch später, einen Coffeelöffel voll zu nehmen.*

108.

R. Aqu. Fl. Tiliae

Fragar. aa. ʒiiij

Sem. Card. Mar.

Pap. alb. aa. ʒβ

M. F.

M. F. Emulsio, adde

Nitr. depur. 3ij

Camphor. 3ß

Syrup. Pap. alb. 5ij l. 3iij

M. D. S. *Zertheilende Milch, alle zwey Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

109.

R. Rad. Scorzon.

Pareir. prav.

Gramin. aa. 3ij

Liquirit. 5ij

Incis. M. D. S. *den vierten Theil auf eine Kanne zu kochen.*

110.

R. Corall. rubr.

Antim. diaph. mart. aa. 3ß

Nitr. depur. 3j

M. Div. in 4. part. D. S. *Alle zwey oder drey Stunden eines zu nehmen.*

111.

R. Aqu. Plantag.

Ceraf. nigr. aa. 3iij

Acet. destill. 3ß

Corall. rubr.

Bol. Arimen. aa. 3j

Nitr. depur. 3ß

Syrup. de Ros. ficc. 5ij

M. D. S. *Alle zwey Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

112.

R. Aqu. Fl. Sambuc. 3vj
 Acet. Rosar. 3ij
 Sal. Ammon. 3ß
 M. D. S. zum äußerlichen Umschlage.

113.

R Bals. de Copai. l. Terebinth. venet. 3ß
 Solu. in vitell. ouor. q. s.
 F. c. Aqu. Hyssop.
 Scabios. aa. 3ij
 Emulsio, adde
 Iulap. Rosat. 3ij
 M. D. S. Lösende Milch alle 2 Stunden zwey Löf-
 fel voll.

114.

R. Pulu. Rhab. opt. 3ß
 Lap. Cancer. citr. 3j
 Nitr. depur. gr. vi
 Pulu. Caſtor. gr. iiiij
 M. Diu. in 2. part. D. S. Eines abends, das an-
 dere fröh.

115.

R. Liqu. Terr. fol. Tart. 3ß
 Tinct. Mart. Ludou. 3ij
 M. D. S. 60 Tropfen täglich dreymahl.

116.

R. Gumm. Ammon. elect. 3j
 Solu. c. Vitell. ouor. no. j
 adde

Aqu. Meliss. f. vin.

Fl. Tiliae aa. ʒij

Cinnam. cydon. ʒj

Oxymel. Squill. ʒij

M. D. S. Alle drey Stunden ein halbes Theeköpfchen.

117.

R. Aloes gummos.

Gumm. Ammon. elect. aa. gr. viij

Diagryd. fulph. gr. iiiij l. v.

M. F. Pil. xx. D. S. Laxierpillen früh zu nehmen.

118.

R. Liqu. anod. min. Hoffm.

Efl. Croci aa. ʒij

M. D. S. 50 Tropfen täglich dreymah.

119.

R. Extr. Millefol.

Saluiae

Gumm. Galb. elect. aa. ʒß

Myrrh. ʒj

Croci ʒß

M. F. Pil. pro no. gr. D. S. Fräh und abends 10 Stück.

120.

R. Pulu. Succin. pt.

Antim. diaph. mart. aa. ʒß

Nitr. depur. gr. v

Pulu. Castor. gr. ij l. iiiij

M. D. in 6plo. S. Pulver nach Verordnung.

121.

R. Hb. Marrub.

Artemisf.

Hyllop.

Matriar.

Betonic.

Fl. Chamom. aa. Mij.

Incif. M. D. S. Species mit 12. Kannen Waffer zu kochen, zum Bade zuzugießen.

122.

R. Liqu. anod. min. Hoffm. 3ij

Eff. Castor.

Laud. liquid. Sydenh. aa. 3j

M. D. S. Alle zwey oder drey Stunden 40 Tropfen.

123.

R. Tinct. Fl. Aquileg. 3vj

Liqu. anod. min. Hoff. 3ij

M. D. S. 100 Tropfen täglich dreymahl.

124.

R. Nitr. depur.

Tart. Vitriol. 2a. 3iB

Cinab. nat. gr. xij

M. F. Pulu. Drū. in 6. part. D. S. Zertheilende Pulver täglich drey zu nehmen.

125.

R. Hb. Millefol.

Betonic. aa. Mß

Rad. Torment. 3ß

Fl. Saluiae p. ij

Incif. M. D. S. Species mit einer Kanne Waffer zu kochen zur Bähung.

126.

126.

R. Hb. Malvae

Melilot.

Fl. Chianom. rom. aa. M³.

Incis. M. D. S. ut supra.

127.

R. Extr. Card. Bened. 5ij

Cascar. aquof.

Gumm. Ammon. elect.

Linnat. Mart. aa. 3j

M. F. c. Elix. P. P. Pil. 150. Obduc. fol. Auri.

D. S. 10 Stück früh und abends.

128.

R. Extr. Cent. min.

Gum. Ammon. elect. aa. 5j

Mercur. dulc. 3j

M. F. Pil. 20. Obduc. fol. Argent. D. S. 5 Stück
früh und abends.

129.

R. Succ. Ircos nostr.

Aqu. Foenic. aa. 3iiij

Syrup. de Spina Cerui 5ß

M. D. S. Alle drey Stunden, wo nöthig, ein halbes Theeköpfchen.

130.

R. Cort. med. Sambuc. 3ij

Coqu. c. Seri Laet. lib. j

Colat. D. S. den vierten Theil alle 3 bis 4 Stunden,
wo nöthig.

131.

- R. Pulu. Rhab. opt. ʒij
 Liqu. Terraefol. Tart. ʒj
 Aqu. Fl. Acac. ʒij
 M. Dig. leni igne, Colat. D. S. *Einen Löffel voll alle drey Stunden.*

132.

- R. Ciner. stipit. Fabar. ʒij
 Vin. Rhenan. opt. lib. j
 M. Stent per noctem, Colat. D. S. *Täglich ʒ oder 4 mahl ein Spitzglas.*

133.

- R. Conch. f. igne pt. ʒj
 Nitr. depurat. ʒj
 Pulu. Squill. gr. viij
 M. Div. in 4. part. D. S. *Früh und abends eines zu nehmen.*

134.

- R. Sal. Genist. ʒʒ
 Pulu. rad. Pimp. alb.
 Ari aa. gr. viij
 Squillae gr. iiij
 Syrup. de Spin. Ceru. q. f.
 M. F. Bolus, Div. in 2. part. D.S. *Einen abends, den andern früh zu nehmen.*

135.

- R. Extr. Cascar. aquos.
 - Gum. Ammon. elect.
 Pulu. Squill. l. Extr. Squill. aquos. aa. ʒʒ
 M. F. c. Elix. P. P. Pil. p. no. gr. Consp. Cinnab. nat.
 D. S. 5 bis 8 Stück fröh und abends.

136.

136.

R. Extr. Squill. aquos. ʒj
 Aqu. Cort. aurant. ʒj
 M. Dig. leni igne, Colat. D. S. 60 bis 80 Tropfen,
 alle 3 Stunden, wo nöthig.

137.

R. Aqu. Chaeroph. ʒvij
 Cinnam. f. vin. ʒj
 Acet. squill. ʒβ
 Oxymel. squill.
 Syrup. de Eryf. Lob. aa. ʒij l. ʒij
 M. D. S. Alle 2 oder 3 Stunden ein halbes Thee-
 köpfchen.

138.

R. Aqu. Veron.
 Acet. Squill. aa. ʒij
 Gum. Ammon. elekt. ʒij
 Oxymel. squill. ʒβ
 M. D. S. Einen Löffel voll alle 3 Stunden.

139.

R. Pulu. Fulig. recent. ʒij l. ʒij
 Ol. Tart. per deliq. ʒj
 M. Dig. leni igne, Colat. D. S. 40 Tropfen alle 3
 bis 4 Stunden.

140.

R. Hb. Fumar. Mj
 Rad. Apii
 Pimp. alb. aa. ʒβ
 Armor. recent. ʒj

Cort. Wint. ver. 5ij
 Pulu. Sem. Nasturt. 3ß
 Ppt. M. D. S. Species zu einer Kanne Wein, da-
 von ein Spitzglas täglich 2 oder 3 mahl.

141.

R. Hb. Serpill.
 Abinth. aa. Miij
 Rad. Bryon. 3iiiij
 F. omnium Pulu. gross. M. D. S. Pulver zum
 Kräutersäckchen.

142.

R. Corall. rubr.
 Tart. vitriol. aa. 3ij
 Pulu. Cort. Wint. ver.
 Castor. aa. gr. viij
 M. Div. ia 4. part. D. S. Pulver nach Verord-
 nung.

143.

R. Eff. Cort. aurant. 3ij
 Liqu. anod. min. 3ij
 M. D. S. 50 bis 60 Tropfen nach Verordnung.

144.

R. Amygd. dulc. 5ij
 Sem. Cannab. recent. 3ij
 Pap. alb. 5j
 Aqu. Petrosel.
 Scordii. aa. 3ij
 M. F. Emulfio, adde
 Nitr. depurat. 3j
 Sacch. Canar. 3ij
 M. D. S. Alle 2 oder 3 Stunden ein halbes Thee-
 köpfchen.

145.

145.

R. Oxymel. Squill.

Syrup. de Eryf. Lob.

Capill. Ven. aa. 5ʒ

M. D. S. Ein Theelöffelchen oft zu nehmen.

146.

R. Antim. diaph.

Lap. Caner. pt.

Antim. crud. aa. 3j

M. Div. in 6. part. D.S. Täglich drey zu nehmen.

147.

R. Conch. s. igne pt. 5j

Antim. crud. 3ij

Aethiop. miner. 3j

M. Div. in 4. part. D.S. Früh und abends eines zu nehmen.

148.

R. Aqu. Fl. Acac. 5j

Amygd. dulc. 5j

Resin. Ialap. gr. v. l. vj

M. F. Emulſio, adde

Sacch. Canar. 3j

M. D. S. Laxierende Milch früh zu nehmen.

149.

R. Pulu. Rhab. opt. gr. xv.

Diagryd. fulph. gr. iiij l. iiiij

M. D. S. Laxierpulver früh zu nehmen.

150.

150.

R. Rad. Bardan. ʒij

Carlin.

Helen.

Raf. Lign. Guaiac. aa. ʒj

Sassafr. ʒβ

Antim. crud. in pet. lig. ʒj

Incif. Contus. M. D. S. Species zu 6 bis 8 Kannen
Waffer.

151.

R. Pulu. Bezoard. angl. ʒj

Reg. Antim. medic. ʒj

M. Div. in 4. part. D. S. Früh und abends einer
zu nehmen.

152.

R. C. C. f. igne pt.

Matr. Perl. pt.

Aethiop. min. aa. ʒj

Cinnab. nat. gr. vj

M. Div. in 6. part. D. S. Früh und abends eines
zu nehmen.

153.

R. Aqu. Calc. viu. lib. j

Rad. Aristol. ver. ʒiij

Hb. Marrub. Mβ

Fl. Sulph. ʒj

M. Ebulliant, Colat. D. S. Waffer zum äußerlichen
Geirauche.

154.

154.

- R. Fl. Sulph. ʒij
 Cerull.
 Lap. med. Croll. aa. ʒj
 Ol. Ovor. ʒij
 Axung. porcin. ʒβ
 M. F. Linimentum D. S. *Salbe zum äußerlichen Gebrauche.*

155.

- R. Rad, Lapath. acut.
 Bryon. aa. ʒv
 Hb. Pariet.
 Saponar.
 Absinth.
 Marrub. aa. Mi j
 Calc. viu. lib. j
 Fl. Sulph. ʒij
 Ppt. M. D. S. *Species zum Bade.*

156.

- R. Mercur. viu. saliu. exstinct. ʒij
 Vnguent. ad scab. August. ʒj
 M. D. S. *Zum äußerlichen Gebrauche.*

157.

- R. Mercur. dulc. gr. ii j
 Conf. Fumar. ʒj
 M. F. Bolus. D. in 6plo. *Früh und abends einen zu nehmen.*

158.

- R. C. C. f. igne pt.
 Tart. vitriol. aa. ʒj

Aethiop.

526 FORMVLAE MEDICAMENTORVM.

Aethiop. miner.

Resin. Lign. Guaiac. aa. 3*β*

M. Diu. in 6. part. D. S. *Nachmittags und abends eines zu nehmen.*

159.

R. Raf. Lign. Guai. lib. *β*
Sassafr.

Strob. Pini

Rad. Pimp. alb. aa. 3*j*

Sal. Tart. 5*j*

Incif. M. Coqu. c. Aqu. simpl. mens. 6. Colat. D. S. *Starker Trank, ein halbes oder ganzes Nößel gewärmt pro dosi.*

160.

R. Gum. Guaiac. 3*ij*

Sulph. Antim. aurat. 3. praecip.

Mercur. dulc. aa. 3*j*

M. F. c. Eſſ. Succin. Pil. p. no. gr. confp. Cinnab.
nat. D. S. 8 bis 12 Stück nach *Verordnung.*

161.

R. Refid. decoct. Form. 159.

Rad. Scorzon.

Passul. min. aa. 3*ij*

Rad. Liquir. 3*β*

Incif. M. Coqu. c. Aqu. simpl. mens. 8. Colat. D. S. *Ordentlicher Trank,*

162.

R. Gum. Ammon. elect. 3*j*

Resin. Lign. Guaiac.

Ialap.

Mercur.

Mercur. dulc.

Bals. de Copai. aa. 3ß

M. F. Pil. 90. Confsp. Pulu. Lycopod. D. S. 10 bis
15 Stück nach Verordnung.

163.

R. Mercur. dulc gr. v. 3ß. gr. xv. 3j

Conf. Rosar. 3ß

M. F. Bolus. D. in 4plo S. Früh und abends
einen zu nehmen.

164.

R. Mercur. vin. puriss. 3ß

Terebinth. venet. 3ß

Mercurium sensim sensimque admisce, ut diuturna tritura in puluerem fulcum fatisfat, deinde continuata trituratione sensim admisce

Axung. porcin. recent. non liquefactae, sed a membranis repurgatae 3j

D. S. Mercurialsalbe zum äußerlichen Gebrauche.

165.

R. Gum. Galban.

Opopan.

Extr. Cort. aurant.

Cascar. aquos. aa. 3ß

Terebinth. venet. q. f.

M. F. Pil. p. no. gr. Obduc. fol. Argent. D. S. 10
Stück täglich dreymahl.

166.

R. Aqu. Fl. Til. 3iiij

Menth 3ij

Nitr. depur. 3s

Syrup,

Syrup. Cort. aurant. ʒij l. ʒß
 M. D. S. den vierten Theil iedesmahl nach den Pillen zu nehmen.

167.

R. Liqu. anod. min. Hoffm. ʒiij
 C. C. succin. ʒi l. ʒij
 M. D. S. 20 bis 30 Tropfen zuweilen zu nehmen.

168.

R. Conch. f. igne pt. ʒj
 Pulu. Rad. Ari
 Cort. Cascar. aa. gr. iiiij
 M. D. in 4plo S. Pulver nach Verordnung.

169.

R. Liqu. anod. min. ʒiij
 Bals. vitae Hoffm. gt. xxx
 M. D. S. 20 Tropfen alle 2 Stunden.

170.

R. Aqu. Meliss. vin. ʒij
 Liqu. C. C. succin. ʒiij
 Oxymel. squill. ʒß l. ʒvj
 M. D. S. Alle Stunden einen Löffel voll.

171.

R. Aqu. Cinnam. cydon.
 Cort. aurant.
 Menth. aa. ʒij
 Acet. destil. ʒj
 Liqu. C. C. succin. ʒiij
 Syrup. de Canell. ʒij l. ʒß
 M. D. S. Alle zwey Stunden ein halbes Theeköpfchen.

172.

172.

- R. Aqu. Fl. Acac. ʒij
 Oxymel. squill. ʒj
 Tart. emet. gr. iiiij l. vj
 M. D. S. *Oefters einen Löffel voll.*

173.

- R. Aqu. Ceraſ. nigr. ʒij
 Sulph. Antim. aurat. ʒ. praecep. ʒj
 Liqu. Terr. fol. Tart. ʒβ
 Oxymel. squill. ʒj
 M. D. S. *Oefters einen Löffel voll.*

174.

- R. Hb. Rutae Mj
 Fol. Peti ʒj l. ʒβ
 Agaric. ʒj
 M. Coqu. in Aqu. simpl. lib. j
 Colat. depurat. adde
 Sal. Gemm.
 Sapon. Venet. aa. ʒiiij
 Eleēt. de Hierapicra
 Ol. Aneth. coēt. aa. ʒj
 M. D. S. *Chyſtier nach Verordnung.*

175.

- R. Axung. Caſtor. ʒj
 Balf. Peruu. nigr. ʒij
 Ol. deſt. Meliss.
 Lauend.
 Menth. aa. gt. xv.
 M. F. Vnguentum. D. S. zum äußerlichen Ge-
 brauche.

LI

176.

176.

R. Hb. Hyssopi

Saluiae

Betonic.

Melilot.

Origan aa. Mij

Rad. Valerian. lib ʒ

Incis. M. D. S. zum äußerlichen Gebrauche.

177.

R. Hb. Betonic.

Maioran.

Origan. aa. Mj

Fl. Lauend.

Saluiae aa. p. ij

Sem. Foenic. ʒij

Incis. Contuf. M. D. S. Species zum Kräuter-
säckchen.

178.

R. Liqu. Terr. fol. Tart. ʒʒ

Elix. P. P. f. acido ʒij

M. D. S. ~~60~~ Tropfen täglich dreymahl,

179.

R. C. C. f. igne pt. ʒʒ

Succin. pt.

Nitr. depurat. aa. ʒj

MPil. de Styrace gr. xij l. ʒj

Pulu. Croci orient. gr. vj

M. Diu. in 4. part. D. S. Abends eines zu nehmen.

180.

180.

R. Gum. Benzoës

Styrac. in gran. aa. 3ʒ

Pulu. Castor.

Extr. Opii aa. gr. v.

M. F. Pil. ad pond. gr. iij. Obduc. fol. Auri D. S.

Abends eine zu nehmen.

181.

R. Corall. rubr. pt. 3j

Nitr. depur. 3ʒ

Sapon. Venet. gr. iij

Pulu. Croci orient. gr. j

M. D. S. *Früh und abends eine kleine Messerspitze,*

182.

R. Corall. rubr. pt. 3ʒ

Nitr. depur.

Pulu. rad. Ari aa. gr. v.

Squill. gr. ij

M. D. in 4plo. S. *Alle Stunden eines zu nehmen,*

183.

R. Aqu. Fl. Acac. 5ij

Nitr. depur. 3ʒ

Tart. emet. gr. vj

Oxymel. squill. 3ʒ

M. D. S. *Einen Löffel voll nach Verordnung.*

184.

R. Rhab. opt. 3ʒ

Crem. Tart. l. Tart. tartaris. 3j

M. Diu. in 2. part. D. S. *Eines abends, das andere früh.*

185.

- R. Empl. de crusta panis
 Sapon. Barbett. aa. ʒij
 Ol. Macis ʒij
 Caryoph. ʒβ
 Malax. induc. super Alut. scutiform. D. S. Ma-
 gen - *Pflaſter*.

186.

- R. Corp. pro Balf. ʒβ
 Balf. Peruu. nigr. ʒij
 Ol. Absinth.
 Rutae. aa. ʒij
 M. D. S. Magen - *Balsam*.

187.

- R. Boli Armen. ʒiβ
 Flau. Cort. aurant. ʒvj
 Rad. Ari
 Cort. Cinnam. acut.
 Rad. Calam. aromat. aa. ʒj
 Sacch. alb. in Aqu. solut. q. f.
 M. F. l. a. Morſuli D. S. Sod - *Morschellen*.

188.

- R. Terr. Lemn. opt. ʒij
 Tart. vitriol. ʒj
 Pulu. Cort. Cascar. gr. xij
 M. Diu. in 6. part. D. S. Täglich drey zu nehmen.

189.

- R. Empl. de Cumino
 de Cicuta aa. ʒj

Gum.

Gum. Ammon. ele^t.

Galb. ele^t. aa. ʒʒ

Ol. Menth. ʒij

Malax. induc. super Alut. oualem D. S. *Pflaster zum äußerlichen Gebrauche.*

190.

R. Vnguent. de Alth. ʒʒ

Ol. Foenic.

Cumin. aa. ʒj

M. F. Linimentum D. S. *Sälbchen zum äußerlichen Gebrauche.*

191.

R. Pulp. Tamarind. ʒj

Passul. min. ʒʒ

Crem. Tart. ʒij

M. Coqu. in Aqu. simpl. mens. iij

Colat. adde

Mel. opt.

Acet. dest. aa. ʒʒ

Nitr. depur. ʒj l. ʒij

M. D. S. *Alle zwey Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

192.

R. Terr. Lemn. opt. l. Boli Armen. ver. ʒj

Theriac. coelest. gr. ij

M. Diu. in 2. part. D. S. *Pulver nach Verordnung.*

193.

R. Pulu. Rhab. opt. ʒʒ

Corall. rubr. pt. ʒj

MPil. de Cynogl. gr. vj
 M. Diu. in 2. part. D. S. *Pulver nach Verordnung.*

194.

R. Pulu. rad. Pimp. alb.
 Zedoar. aa. 3ij
 Ari 3j
 Sacch. Canar. ad pond. omnium
 M. D. S. *Magenstärkendes Pulver öfters eine Messerspitze.*

195.

R. Boli Armen. 3ij
 Nitr. depur.
 Pulu. Cort. Cascar. aa. 3ß
 M. Diu. in 6 part. D. S. *Alle vier Stunden eines zu nehmen.*

196.

R. MPil. Becch. l. Stahl, 3ß
 Nitr. depur. 3ß
 Solue in
 Aqu. Meliss. f. vin. 3j
 M. D. S. *Die Hälfte nach Verordnung.*

197.

R. Ol. Amygd. dulc.
 Mann. Calabr. aa. 3ij
 Ol. dest. Rutae gt. vj
 M. D. S. *Alle Stunden ein kleines Theelöffelchen.*

198.

R. Pulu. Sem. Cinae 3j l. 3ß
 Conseru. Absinth. 3j l. q. f.

M. F.

M. F. Bolus. Consp. Pulu. Cinnam. D. in 6plo. S.
Früh und abends einen zu nehmen.

199.

R. Extr. Absinth.

Tanacet. aa. 3j

Sem. Santon. 3ij

Syrup. Cort. aurant.

de Fumar. aa. q. f.

M. F. Electuarium D. S. *Alle drey Stunden eine Messer spitze.*

200.

R. Sem. Santon. 3j

Mercur. dulc.

Diagryd. fulph. aa. 3ij l. 3j

Sacch. in Aqu. soluti q. f.

M. F. l. a. Morfuli D. S. *Wurm - Morschellen nach Verordnung.*

201.

R. Lap. Cancr. pt. 3iB

Aethiop. min. 3B l. Mercur. dulc. gr. xij

M. Diu. in 6. part. D. S. *Täglich drey zu nehmen.*

202.

R. Extr. Tanacet. 3j

Gum. Sagapen.

Opopan. aa. 3B

Mercur. dulc. 3j

M. F. Pil. ad pond. gr. ij. Consp. Cinnab. nat. D. S. 10 Stück fröh und abends.

203.

- R. Hb. Absinth. Mj l. Mij
 Sem. Santon. ʒβ
 Coqu. in Aqu. simpl. l. Lact. q. f.
 Colat. adde
 Mell. opt. ʒj l. ʒβ
 Elect. de Hierapicra ʒβ l. ʒij
 M. F. Clyfma.

204.

- R. Tinct. Terr. Catech.
 Eff. Succin. aa. ʒij
 Cinnam. acut. ʒj
 M. D. S. 60 *Tropfen täglich dreymahl.*

205.

- R. Vitell. Ouor. no. j.
 Ol. Amygd. dulc. ʒvj
 Terebinth. venet. ʒj
 Aqu. Fl. Tiliae
 Petrosel.
 Ceraf. nigr. aa. ʒuij
 Sacch. Canar. ʒij
 M. F. l. a. Emulsio D. S. *Alle z oder 3 Stunden
 ein halbes Theeköpfchen.*

206.

- R. Gum. Ammon. depur.
 Aloes Gummof.
 Resin. Ialap.
 Mercur. dulc. aa. ʒj
 M. F. c. Eff. Succin. Pil. 40. Consp. Pulu. Cinnam.
 D. S. 10 *Stück nach Verordnung.*

207.

207.

- R. Aqu. Petrosel.
 Chaeroph. aa. ʒij
 Balf. de Copaib. ʒj
 Vitell. Oui no. j.
 M. F. Emulsio, adde
 Syrup. Pap. alb. ʒij l. ʒß
 M. D. S. *Alle drey bis vier Stunden ein halbes Theeköpfchen.*

208.

- R. Myrrh. elekt.
 Aloes Gummof.
 Sapon. venet.
 Gum. Galb.
 Pulu. Castor. aa. ʒj
 Croci orient.
 Asae foetid. aa. ʒß
 M. F. c. Eff. Succin. Pil. ad pond. gr. ij Obduc.
 fol. Argent. D. S. 10 Stück früh und abends.

209.

- R. Hb. Rutaæ
 Matricar. aa. Mj
 Sem. Foenic. ʒij
 M. Coqu. in Aqu. ſimpl. q. f.
 sub finem adde
 Pulu. Castor. ʒij
 Colat. porro adde
 Nitr. depur. ʒij
 Ol. Chamom. coct. ʒij
 M. D. c. Inſtrumento clyſmatico.

- R. Conch. f. igne pt. 3j
 Succin. pt.
 Nitr. depur. aa. 3ß
 Pulu. Caſtor.
 MPil. de Cynogl. aa. gr. iiiij l. vj
 M. Diu. in 2. part. D. S. *Pulver nach Verordnung.*



I N D E X.

N U M E R V S §. I N D I C A T.

A.

- A**bdominis morbi 805
Adstringentium in tertiana febre nox 84
Alui obstructio 907. in gravidis 1007
Amaurosis 723
Anasarca hydropis species 463
Angina 302. eius differentiae ibid. inflammatoria 304 seqq. serosa 316 seqq. in variolis 196
Animalium exsanguium iuscula in lenta febre 268. in phthisi 790
Ani fistula ex haemorrhoidibus 428
Anorexia 806
Anthelmintica 922
Antimonium in scabie 523. in lue venerea 536
Anxietas febrilis 32
Aphthae 736
Apnoea 759
Apoplexia 628. sanguinea et serosa 629
Appetitus depravatio 806
Aqua frigida in arthritide 593. marina scorbuti cauifa dubia 501. calcis aquiae in calculo 948. in dysenteria 892. in gonorrhoea 968. aquae metus hydrophobiae symptoma primarium 690. in aquam immersio hydro-

- phobiae remedium 692. aquae minerales in chlorosi 982. in fluore albo 987. in malo hysterico 998. in quartana febre 94. in paralyfi 656. in arthritide 599. in malo hypochondriaco 562. in phthisi 789. earum stillicidia in paralyfi 653
Ardens febris 243
Ardor ventriculi 822
Arteriotome in angina 310. in apoplexia 637. in ophthalmia 718. in phrenitide 294
Arthritis 583. vaga et fixa 584. retropulsa 592. 600
Ascarides 916
Ascites 470
Asthma 758. eius differentiae 759
Atra bilis hypochondriaci mali cauifa 551. seqq.
Atrophia 567. seqq.
Auditus grauis 731. deletus 733. acutior 735
Aurium morbi 725

B.

- Balnea emollientia in arthritide 604
Bechica in haemoptoe 331. in asthmate 771. 773. in tulce 753
Biliofa febris 248
Bronchotomia in angina 312

C.

INDEX.

C.

Cachexia	451	1034. nutrientia in angina	312
Caeochymia	451	Coeliaca passio	871
Caducus morbus	663	Colica 897. eius differentia	898
Calcis viuae aqua in calculo		Collyria in ophthalmia	715.
948. in dysenteria	892.		717
in gonorrhoea	968	Colostrum	1029
Calculus 926. 938. eius signa	940	Contagium 147 seq. in exanthematibus	164.
Calor febrilis 28. eius causa et effectus	28. 29	in hydrophobia	691.
Camphora in phrenitide	295.	in lue venerea	527.
in lue venerea	542	in peste	155. seqq.
Capitis morbi	694	Continentes febres	234
Carcerum febris	150	Continuae remittentes febres	107
Cardialgia	822	Conuulsio	657. in variolis
Catamenia <i>vid. Menstrua.</i>			186
Catarrhalis benigna	110.	Cordis palpitatio	792.
et maligna febris	120	sgnum polypi	800
Catarrhus suffocatiuus	759	Coryza	707
Cauteria in arthritide retro-pulsa	604	Cucumerum succus in phthisi	789
Cephalaea	695	Cucurbitulae in colica flatulenta	901
Cephalalgia	695. eius differentiae	D.	
695. 696		Deglutitio laesa	809
Cerei in gonorrhoea	968	Delirium	681
Chinae cortex <i>vide Peruuianus cortex.</i>		Dentitio difficilis	1034
Chiragra	584	Dentium dolor	742
Chlorofis	978	Diabetes	949
Cholera	862. eius differentiae	Diaphoretica in hydrope	
862.	864	487. in catarrhalis benigna	
Clauus	695	117. in rheumatismo	
Clysmata in apoplexia	638.	nocent calidiora	579
641. in asthmate	771.	Diaria febris	237
cholera	868.	Diarrhoea	876.
in colica		eius differentiae	877.
901. in dysenteria	891.	in catarrhalis maligna	137.
in grauidis	1007. seq.	in grauidis	1007.
puerperis	1011.	in salivatione	
in inflammatione uteri	1021.		
in dentitione difficulti			541.

I N D E X.

	G.
541. in variolis spontanea 186. et critica 196.	Gallicus morbus 526
201	Genarum rubor signum vo-
micae 775	
Digestio laesa 811	Gonagra 584
Dolor febrilis 31. dolores ad partum 1010. spurii 1010. 1011. veri 1010.	Gonorrhoea 962. benigna 962. seqq. maligna 962.
1012. post partum 1016	970. seqq. suppressa iterum excitanda 977
Dysenteria 883. eius differentiae 885	Grauedo 707
Dyspnoea 759	Grauidarum morbi 1001
Dysuria 926. in grauidis 1009	Grauiditas caufia varicuum 444. spuria 471
	Gutta serena 723

E.

Electricitatis in paralyssi effacia 654
Elephantiasis 514
Empyema 774. ex pleuritide 334. eius operatio 782
Ephemera febris 237
Epilepsia 663
Epispaistica in arthritide retropulsa 604
Erysipelatodes febris 167
Exanthemata 144. 163. seq.

F.

Fames morbosaa 822
Fauicum morbi 736
Febris descriptio 21. clastes 58. symptomata primaria 25. caufiae 35. 37. euentus 38. letalis 56. curatio 41. praepostere infringenda non est 42. februm species <i>vide suo loco.</i>
Fluor albus 978. benignus 983. malignus 989
Fotus emollientes in arthritide 604
Furor uterinus 990

H.

Haemoptysis 383
Haemorrhagiae 369. narium in catarrhali maligna 139
Haemorrhoides 421. imminentes 426. suppressae 432. coecae 433. nimiae 435. mucosae 436. nunquam naturales sunt 421. soluunt malum hypochondriacum 556
Hemicrania 695
Hemiplegia 629
Hepaticus fluxus 855
Hepatis infarctus 833. inflammatio 336. scirrhus 843
Hepatitis 336
Hirudinum in haemorrhoidibus usus 434
Horripilatio signum purpureae 213
Horror febrilis 26. eius caufa et differentia 26. 27
Hungarica febris 150
Hydrocele 468. 471
Hydro-

I N D E X.

Hydrocephalus externus	468	L.
internus	469	Lactea febris 1023
Hydrophobia	690	Lactis in arthritide 597. in
Hydrops 466. faccatus	470	atrophia 572. in lenta fe-
Hypochondriacum malum	648	bre 265. in lue venerea
Hystericum malum	991	547. in phthisi usus 788.
		serum in malo hypochon-
		driaco 561. 564. saccha-
		rum in phthisi 791. nu-
		tricum bonitas 1025. ad
		mammas affluxum cohi-
		bendi 1022. et promo-
		uendi ratio 1024
		Languor febrilis 33. eius
		cauffae et differentia ibid.
I.		Lenta febris 249. 254
Iterus	844	Lentor humorum febris cau-
Ileus morbus	907	fa 35. 69
Impetigo	513	Lepra Graecorum 514
Inediae in febre tertiana		Leucophlegmatia 452
noxa	75	Lichen 513
Infantum morbi	1027. re-	Lienis infarctus 833. scir-
cens natorum cura	1028	rhus 843
Inflammatio	270. eius exi-	Lienteria 871
tus	276	Lipothymia 675
Injectiones in gonorrhoea		Lippitudo 719
968. uterinae in fluore		Lochiorum vitia 1018
albo	988	Lues venerea vide Venerea
Intermittentes febres	62.	lues.
earum diuisio	63. suppres-	Lumbrici 916
sae reuocandae	262. du-	M.
plicatae	103. harum in	Mammarum vitia 1022
implices mutatio optima		Mania 681
105. anomalae	106	Marafmodes febris 254
Intestinorum inflammatio	344. 354	Marasmus senilis 567
Ischiadicum malum	584.	Martialia in male hypo-
591. eius a nephritide		chondriaco 563
differentia	360	Masticatoria in odontalgia
Ischuria	926	745.
Iugularis venae sectio; in		Medicamentorum triplex
apoplexia	637. in angina	fons 7
310. in ophthalmia	718. in phrenitide	Medicinae
Iuscula animalium exfan-	294	
grium in lenta febre	268.	
in phthisi	790	

I N D E X.

Medicinae practicae diuisio	3	in variolis laesio et cura	
Melanchelia	681. e malo	203	
hypochondriaco	551. 556		
Menstruorum ortus	402.	Odontalgia	742
supressio	413. fluxus ir-	Oedema	467. pedum post
regularis	415. nimius	intermitentes febres	96
417. malus color	415.	Oliuarum cleum ad hydro-	
cessatio	416	phobiam specificum re-	
Mercurius in gonorrhoea		medium	692
966. 975. in hepatis in-		Ophthalmia	713
farctu	839. 843. in ileo	Opium in arthritide	594. in
morbo	911. in phthisi	catarrhali maligna febre	
910. in quartana febre	95.	130. in cephalalgia	706.
923. in variolis		in cholera	869. seq. in co-
190. 201. eius in lue ve-		llica	906. in dysenteria
nerea internus	537.	896. in hydrophobia	692.
externus usus	538. subli-	in otalgia	730. in phthisi
matus in lue venerea	537	791. in tufie	755. in fe-
Metaftasis febrilis	55	bribus	52. in quartana fe-
Mictus cruentus	437	bre	95. in doloribus ad
Miliaris febris <i>vide</i> Purpura.		parium spuriis	1011
Morbi systematis sanguinei		Oris morbi	736
19. lymphatico - ferosi		Orthopnoea	759
446. neruosi	606. uni-	Ossium vitia e scorbuto	496
uersales	17. particulares	Otalgia	725
693. morborum conspe-		Ouarii hydrops	470
ctus generalis	16	Ozaena	707. 712
Morbilli	172	P.	
Moschus ad hydrophobiam		Palpitatio cordis	792. signum
remedium specificum	692	polypi	800
N.		Paracenthesis	490
Narium haemorrhagia	374.	Paralyfis	644
in catarrhali maligna	139	Paraphrenitis	298
Nausea	826. in grauidis	Paraplegia	629
Nephritis	357	Paroxysmorum febrilium	
Neruei fluidi vitia	607. 609	causfa	70
Nutricis cura	1025	Pectoris morbi	747. hy-
Nymphomania	990	drops	479
O.		Peripneumonia	320. spuria
Oculorum morbi	713. illa-		335
cerumatio in morbillis	137.	Peruvianus cortex in tertiana	
		febre	

I N D E X.

febre 84. 85. in quartana	95. 98	patis 838. in i ^{ter} ero 850.
Pestis	155	in tertiana febre 78. seq.
Petechiae 145. retrocedentes	154	in variolis 201. in puerperis 1022. seq. in infantibus recens natis 1029.
Petechialis febris	142	1031. seq. in dentitione difficulti 1034
Petechizans febris	121	Purpura 209. rubra et alba 214. in puerperis 224.
Phrenitis	288	1020. scorbutica 230
Phthitis	783	
Pica	825	
Pictorum colica	904	
Pinguedines animalium in phthisi	790	
Plantarum amararum succi 94. et decocta in quartana 93. lactescentium in malo hypochondriaco usus	561	Q.
Plethora grauidarum	1002	Quartana febris 87. soluitur per alias morbos 97
Pleuritis 320. spuria	335	Quotidiana febris 99
Pleuropertipneumonia	320	
Podagra 584. soluit malum hypochondriacum	556	R.
Pollutio nocturna	963	Raucedo 748. 756
Polypus cordis 797. eius signa dubia	800	Rhachitis 1035
Praxeos clinicae idea generalis 5. 8. fundamenta 6. diuissio 3. conspectus generalis	13. seqq.	Rheumatismus 573. eius differentia 574
Priapismus	958	Roborantia in cacochymnia 461. 463. in phthisi 789. in gonorrhoea 967. 976. in fluore albo 987. 988
Psora	513	Roseolae 172
Puerperarum morbi 1010. purpura 224. 1020		S.
Pulsus intermittens signum polypi 800. mollis peripneumoniae signum 323		Salia in quartana 92
Purgantia in asthmate 766. in fluore albo 987. in malo hysterico 998. in hydrope 483. in infarctu he-		Saliua animalis rabidi et morsus 690. seq.
		Saliuatio in variolis 196. 201. mercurialis in paralyfi 656. in lue venerea 539. ad eam praeparatio 539. seq. cohibendi nimiam ratio 542. 544. non succedentem dirigid modus 546
		Satyriasis 958
		Scabies 511. retropulsae reuocatio 525
		Scarifatio in apoplexia 637. in arthritide retropulsa 604

I N D E X.

- | | | | | | |
|------------------------------|-----------|----------------------------|-----------------------|--------------------|-----------|
| 604. in hydrophobia | 692. | Syncope | 675. | vitam in ea ex- | |
| occipitis in otalgia | 728. | periundi tentamina | 680 | | |
| phrenitide | 296. | Synochus simplex | 237. | pu- | |
| palpebra- | | trida | | 241 | |
| rum in lippitudine | 721. | | T. | | |
| in ophthalmia | 718 | | | | |
| Scarlatina febris | 163. 166 | Tabes | 567. | dorsalis 569. eius | |
| Scirrus glandularum colli | | et phthiseos differentia | 783 | | |
| deglutitionis laefae cauffa | | Taenia | | 916 | |
| 810. hepatis | 843. | Tertiaria febris | | 64 | |
| lienis ib. | | Tinnitus aurium | | 735 | |
| Scorbutus | 492 | Tussis | 748. | humida et secca | |
| Scrota hydrops | 468 | ibid. pectoralis et stoma- | | | |
| Sepultura in syncopticis non | | chica | 750. | conulsiva in- | |
| acceleranda | 680 | fantum | | 753 | |
| Serpigo | 513 | Tympanitis | | 912 | |
| Setacea in amaurosi | 724. | V. | | | |
| lippitudine | 721 | Varices | | 443 | |
| Singultus | 832 | Variolae | 176. | earum species | |
| Situs febrilis | 30 | 177. | fomes | 179. | stadia |
| Soda | 822 | 184. | febris secunda | 202. | |
| Somnolentia | 626 | initio | 207. | confluentes | |
| Soporosi morbi | 612. | 196. | secundariae | 204 | |
| corum | | Vegetabilis | victus in arthri- | | |
| differentiae | 613 | 597 | tide | | |
| Spasmus febris cauffa | 36 | Venae | sectio in apoplexia | | |
| Specifica remedia ad calcu- | | 636. 640. | in asthmate | 770. | |
| lum | 947. | 772. | in catarrhali maligna | | |
| ad epilepsiam | 674. | 128. | in cephalalgia | 702. | in |
| ad hydrophobiam | 692. | in colica | 902. | cordis polypo | 802. 804. |
| ad vermes | 944 | 890. | in dysenteria | | in |
| Sputum cruentum in pleu- | | in furore uteri | 990. | gonorrhoea | 973 |
| rotide | 327 | in gra- | | in | |
| Squilla in asthmate | 765. 767. | uidis | 1004. 1006. | haemor- | |
| in hydropo | 486. | in narium | 381. | rhagia | |
| | 753 | in hepatis | 838. | in infarctu | |
| Stanni rasura ad vermes spe- | | inflammatione | 283. | in lenta | |
| cificum remedium | 944 | 265. | in lochiorum | | |
| Sterilitas | 1001 | suppressione | 1018. | in mel- | |
| Sudor in catarrhali maligna | | in me- | | ancholia | 688 |
| | 136 | lan- | | in ophthal- | |
| Sulphur in scabie | 523. | cholia | | mia | 718. |
| seq. in | | 688. | in otalgia | 728. | |
| lue venerea | 542. | in paralyti | 652. | ante partum | |
| eius bal- | | 1012. | in peripneumonia | | |
| sama in asthmate | 765. | 329. | | | |
| in | | | | | |
| vomica | 780 | | | | |
| Surditas | 734 | | | | |

I N D E X.

- | | | | |
|-------------------------------|-----------|-------------------------|---------|
| 329. in pleuritide | 329. | 335. Vomica pulmonum | 774. |
| in purpura puerarum | | eius ruptura promouenda | |
| 227. 229. in rheumatismo | | 781. ex pleuritide orta | 334. |
| 578. in soporosis morbis | | Vomitoria in apoplexia | 640. |
| 622 in vomica | 780. | in cholera | 868. |
| in uteri inflammatione | 121. | in digestio- | |
| curatoria in febribus | 51. | ne laesa | 815. |
| in ar- | | in dysenteria | |
| thritide retropulsa dubia | | 891. | |
| | 605 | in hepatis infarctu | |
| Venerea lues | 526. | 838. | |
| nouus | | in hypochondriaco | |
| morbus ibid. | | malo | 559. |
| eius caussa | | in ictero | 849. |
| contagium | 527. | in soporosis morbis | 621. |
| a scorbuto | | in tertiana febre | 77. 78. |
| differentia | | in tusse stomachica | 753. |
| | 532 | advo- | |
| Venriculi ardor | 822. | micam rumpendam | 781. |
| in- | | Vomitus | 826. |
| flammatio | 344 | eius differen- | |
| Vermes | 916 | tia | 827. |
| Vertigo | 612 | in catarrhalis | |
| Velcae inflammatio | 366 | lignai | 138. |
| Vesicatoria in arthritide re- | | in grauidis | 1006. |
| trhopulsa | 604. | cruentus | 394. |
| in amauosi | | Vrinae incontinentia | 954. |
| 724. in lippi udine | 721. | in grauidis | 1009. |
| in apoplexia | 638. 641. | Vrticata febris | 166. |
| in odontalgia | 745. | Vrricatio in paralysi | 653. |
| 729. in soporosis morbis | | Vteri hydrops | 471. |
| | 623 | inflam- | |
| | | atio | 1019. |
| Vterinus furor | 990. | Vterinae iniectiones | |
| uteri- | | in fluore | |
| nae iniectiones | | albo | 988. |





